FEUARDENT, François (O.F.M.)
R.P.Fr. Francisci Feu-Ardentii, Ordinis F. Minorum... Dialogi septem : quibus ducenti calvinianorum grauissimi errores perspicue refelluntur, et solide confutantur... -- Coloniae Agrippinae : In Officina Birckmannica : Sumptibus Arnoldi Mylij, 1594
[16] 714, [45] p., *-2*8, A-Z8, 2A-2Z8, 3A8, 3B4 ; 8º
Marca de imp. en port. -- Apostillas marginales
1. Calvinismo 2. Kalbinismoa 3. Teología dogmática 4. Teologia dogmatikoa I. Dialogi septem : quibus ducenti calvinianorum grauissimi errores perspicue refelluntur, et solide confutantur... II. Título

R-6515

R. P. FR. FRANCISCI

# FEV-ARDENTII,

DINIS F. MINORVM, S.

EOLOGIAE DOCTORIS ET

PROFESSORIS PARI-

SIENSIS,

# DIALOGI SEPTEM:

QVIBVS DVCENTICA VINIANO-

*rum grauissimi errores pe[illegible] refelluntur,*

*& solide confutantur.*

Additi sunt indices tres; ipsorum errorum, Scripturarum quæ explicantur, ac rerum magis memorabilium.

*Hieron. Prœm. in Dialog. contra Pelagianos.*

Nunquam hæreticis peperci: sed omni studio egi, vt hostes Ecclesiæ, mei quoque inimici fierent.

COLONIAE AGRIPPINAE,

In Officina Birckmannica, sumptibus Arnoldi Mylij.

ANNO CIↃ. IↃ. XCIV.

*Cum Gratia & Priuilegio S. Cæsareæ Maiestatis.*

# PRAEFATIO
# AD REVEREN-
# DISSIMVM D. PHILIPPVM,
## PLACENTINVM EPISCOPVM,
## S. R. E. CARDINALEM ILLV-
## strissimum, ac in REGNO FRAN-
## CIAE superioribus annis
## S. D. N. à latere Le-
## gatum.

N DIALOGI nostri Latio donati, & multis capitibus locupletati, tuis auspicijs, Cardinalis amplissime, tandem in lucem emittuntur; tum vt plurimorum bonorum deq; Catholica religione optimè meritorũ virorum votis, nostrisq; ad illos promissis pro virili faciamus satis; tum etiam vt non solùm in dulcissima parente Francia, sed & in tota Europa per hęreticorum proditorias fraudes, & Turcarum impotentem tyrannidem labascenti Christianæ fidei quantuluncunque possimus feramus auxilium. Quòd si non tantis humanæ eloquentiæ verbis inflati, nec dicendi splendoribus & ornamentis exculti, quàm nasutuli quidam fortassis expeterét, exire videantur; his tamen, vt verè, sic confidenter adfirmare possumus, veris ac solidis nostræ pietatis assertionibus instructi atque muniti prodeunt, quæ & Catholicos viros in hæreseôn odium accendere; & du-

bios constabilire, & tenebris errorum excę
catos & detentos, vt ad veræ Religionis
splendidissimam lucem oculos animosque
conuertant, permouere possint. His etenim
quàm fieri potuit decenti ordine, quanta-
que in rebus arduis & perobscuris licuit
perspicuitate & facilitate, certè maxima fi-
de ac reuerentia, ab his delirationibus &
blasphemijs in primis sanctiss TRINITA-
Summa to TIS in vnitate Essentiæ nomen, prisca con-
tius libri. fessio, adoratio, inuocatio; Personarum ra-
tio, emanatio, consubstantialitas, æquali-
tas, potestas, veritas æquitas, prouidentia,
sanctitas, bonitas, summa in totum genus
humanum beneuolentia, aliæque perfecti-
ones Diuinæ copiosè vindicantur, quæ à
Caluinianis & nouis Arrianis nunc incredi-
bili fraude, importunitate, & audacia im-
pugnantur, lacerantur, conuellũtur. HINC
Filij Dei æterna ineffabilisque generatio,
cum Patre æqualitas, vnicæ in duabus sub-
stantijs personæ ratio, cultus, inuocatio,
virtus, Mediatoris munus, & summa eadem
que cum Patre vnica Deitas certissimis ac
euidentissimis argumentis aduersus vete-
res, ab istis autem renouatas hæreses con-
stanter propugnantur. INDE eiusdem Do-
mini nostri ex illibata Virgine mirabilis
natiuitas, assumpti hominis eximia sapien-
tia, gratia, beatitas, potentia, perpetua inno-
centia, fama præclara, in prędicando Euan-
gelio perfecta concinnitas ac energia labo-
rum pro nobis assumptorum præstantia, &

coram

coram Patre ad merendum & satisfaciendum pro nobis summa dignitas & amplitudo à profanis nouationibus acerrimè defenduntur. PRAETEREA, de corporeæ passionis ac mortis eius fructuosissima contemplatione, votorum ac precum in horto fusarum integritate; ad crucem pergentis diuina planè caritate, constantia, & alacritate; de ligno pendentis conquestione, contestataque pietate, & eximijs, quibus nobis omnia bona, quædam verò sibi, meritis acquisiuit, piè & abundâter differitur. ADHAEC, eiusdem ad inferos descendentis, Patres inde liberantis, glorioßissimè & magnificentissimè resurgentis, ascendentis, sedentis ad dexteram Patris, & apud eum pro nobis verè & assiduè intercedentis Diuina mysteria diffusè & fideliter pertractantur. SPIRITVS sancti denique diuinam hypostasim, processionem & religiosum cultum; eiusdemque in Apostolos, Ecclesiam Catholicam, ac singulos hominum vera officia comprobamus: suppositicia verò pro viribus confutamus & reijcimus. Atque hæc est totius huius operis atque dogmatum Christianorum, de quibus inter Doctorem ac Ministrum septem diebus disceptatur, epitome: quæ hîc ordine suo distributa & proposita, nec importuna scio, nec iniucunda Reuerendiss. Celsitud. Tuæ videbitur. Iam quo animo ad hæc multis sanè vigilijs & laboribus colligenda, disponenda, examinanda, simulque publicanda nec coactè,

nec segniter incubuerimus, æquum est vt explicemus.

Editionis libri rationes.

DEVM in primis cordium inspectorem in conscientia testem & iudicem habemus, nullo nos quoruncunque hominum odio incitatos his operam dedisse; quandoquidē cunctas animas vt Dei optimi maximi ideas, eiusdemque gratiæ, ac vitæ æternæ capaces, etiam in latronibus, schismaticis, hæreticis, ac infidelibus, sicut nosmetipsos diligimus. Sed quia grauissimum nobis est sanctissimorum Apostolorum doctrinam, & tot martyrijs, tot miraculis, totque iam sæculis maiorum nostrorum comprobatam contestatamque pietatem tam indignè conuelli; molestissimum Ecclesiā Christianam nunc in pernicicm eius conspirantium Turcarum & Apostatarum libidini deridendam, lacerandam, opprimendam tam perfidè traduci; non ferendum tot animarum pretioso Christi sanguine redemptarum myriades tetris erroribus in dies excęcari, & in tartarum abduci; prorsus deniq; intolerabile pręcipua fidei nostrę capita tam nequiter & præfractè à leuissimis & impurissimis homūcionibus labefactari; eadem ipsa apud quoscunq; poterimus, sarta tectaq; constabilire, ac repugnantes eis hæreses pro virili refellere ac conuellere hoc libello studuimus & constituimus. Commouēt enim nos plurimum hæ comminationes Diuinę:

*August. li. 1. Medit.*

*Ezech. 33.* *Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, pereuntiū sanguinem dē manu eius requiram*

*requiram. Non ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis murũ pro domo Israel: propterea erit manus mea super vos*. Hanc ob rem quòd aliquandiu siluisset Isaias, postea clamat: *Væ mihi quia tacui.* In posterumque nequaquam taciturum se repromittens ait: *Propter Sion* (quæ Ecclesiæ typus fuit) *non tacebo*. De reliquorum etiam Doctorum ac Pastorum illius studio & opera dicitur: *Super muros tuos Ierusalem, constitui custodes tota die & nocte in perpetuum nõ tacebunt.* Vehemẽter etiam Dominus Pastoribus officium deserẽtibus succensens, appellat eos *Canes mutos, speculatores cæcos, canes impudentissimos, nescientes saturitatem: idola surda & muta: mercenarios denique, quibus non est cura de ouibus, quorumque incuria lupus rapit & dispergit oues*. Sed neque existimauimus ad vnicum Timotheum aut Titum, verùm & ad omnes honori Diuino bene consultum cupientes isthæc Apostolica mandata dirigi: *Certa bonum certamen fidei: Depositum custodi: Labora sicut bonus miles Christi IESV: Si sustinuerimus, & conregnabimus: si negauerimus, & ille negabit nos: Insta importunè, opportunè, argue, obsecra, increpa: in omnibus labora, opus fac Euangelistæ. Sunt multi vaniloqui & seductores, quos oportet redargui*: quibus veluti cælestium tubarum clangoribus, aduersus doctrinam Apostolicam emergentibus hæresibus obuiam eundum, & contra sceleratissimam hæreticorum conspirationem omnibus studijs, viribus & copijs confligendum esse admonemur. In hac remissos, negligentes

Ezech. 13.
Isaiæ 6.
Isaiæ 62.
Isaiæ 56.
Zach 11.
Ioan. 10.
1. Tim. 6.
2. Tim. 2.
2. Tim. 4.
Tit. 1.

*Apoc.3.* & tepidos, se ex ore suo euomiturum Chri-
*Apoc.21.* stus comminatur: timidis autem & incre-
dulis, & mendacibus in stagno ignis & sul-
phuris, quod est mors secunda, partem futu
ram esse Spiritus sanctus pro vero certoque
pronunciat. Quanto feruore & zelo, amabo
*1.Tim.1.* te, Paulus in Pseudoapostolos, in Elymã, in
*2.Tim.2.* Hymenæum, in Alexandrum, & in Philetũ
hæreticos excanduit? Quanta cum authori-
tate & seueritate, princeps Apostolorum
*Actor.8.* Petrus, Simonem Magum omnium hæreti-
corum parentem obiurgauit? Quanto Di-
*1.Ioan.2.3.* uinæ religionis seruandæ studio, Ioannes
*Iud.v.4.8.* in Ebionem & Cerinthum, & Iudas Thad-
*10.11.12.13.* dæus in suæ tempestatis seductores ferun-
*16.19.* tur? Ecquis inficiabitur, ist hæc de illis ad
nostram doctrinam scripta esse?

AFFICIVNT etiam vehementer animum ad bellum hęresibus indicendum, sanctissimorum Patrum Ignatij, vtriusq; Clementis ac Dionysij, Iustini, Irenæi, Cypriani, Athanasij, Basilij, vtriusq; Cyrilli ac Gregorij, Hilarij, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Fulgentij, Vigilij, ac plurimorum aliorum doctrinæ Catholicę aduersus quaslibet hæreses fortissimorum propugnatorum tum scripta, tum res gestę: quibus conspicimus diuinitus afflatos viros istos ad cuiusuis insurgentis hęresiarchę mentionem totos cęlesti zelo incanduisse, & totius mundi huius contępto amore vel odio, omnibus post habitis alijs rebus, in hanc vnicam toto animo incubuisse, vt deprehensum errorem in

ipso

ipso primo ortu suffocarẽt & opprimerent. Id vel ex vnius Hieronymi Romanæ quondam Ecclesiæ Presbyteri disertis verbis facilè & apertè colligitur. Ait enim ad Ruffinum: *In hoc tibi consentire non potero, vt parcam hæreticis, vt me Catholicum non probem.* Ad eos etiam qui eum inuidia inflatum aduersus illos scribere dictitabant, inquit: *Respondeo, Nunquam me hæreticis pepercisse: sed omni studio egisse, vt hostes Ecclesiæ, mei quoque hostes fierent.* Et ad Pammachium: *Hæreses refellere, homines emendare conabor.* Magno quoque Antisiti Augustino propter nauatam in extirpandis ex Africa Pelagianis, his verbis congratulatur: *Macte virtute in orbe celebraris. Catholicite conditorem antiquæ rursum fidei venerantur atque suspiciunt: & quod signum maioris gloriæ est, omnes hæretici detestantur: & me pari prosequuntur odio, vt quos gladijs nequeunt, voto interficiant.* Adeo tanto seruandæ pietatis amore, ac hæreseon opprimendarum studio veteres illi proceres feruebant; in tantumque Hæreticorum in se odia concitare non timebant; vt ea etiam vltrò expeterent, sibique gloriosa ducerent: tantum abest vt vel apertè vel occultè illis fauerent. CVNCTIS quoque Ecclesiarum rectoribus ad imitandum propositum est Maiorum aduersus Pauli Samosateni memorabile facinus. Nam vt hæresis illius palam erupit, illicò innumeri Sanctique Pastores ex Palęstina, ex Africa, ex Ierosolymis, ex Iconio, ex Ponto, ex Cappadocia, ex Asia, ex singulis orbis partibus

*Apolog. 3.*

*Proœ. dial. adu. Pelag.*

*Hier. ep. 80.*

*Diony. Ale. apud Euseb. lib. 7. hist. c. 26. 27. 28.*

Antiochiam properant, frequenter in vnum congrediuntur, conferunt, hæresiarchæ blasphemias denudant, refellunt, anathematibus confodiunt, authorem ab vniuersa quæ sub cælo est Ecclesia Catholica separant, aliũ eius loco substituunt; & ex domo Ecclesiæ, (ad id etiã implorato Aureliani Imp. tametsi ethnici, præsidio) singulari animi virtute & constantia expellunt atque deturbant: & singularem Dominici gregis corruptorem ac proditorem nullibi liberè agere sinunt.

QVEMADMODVM autem in superioribus habent & purpurati Patres, & Episcopi quos imitentur; sic nec desunt viris monasticen profitentibus quorum pietatem & zelũ sequantur, & in causa fidei vestigijs inhæreant: quando magnus ille Antonius (Sozomeno de illo referente) relicta eremo, venit in AEgyptum, Palæstinam, & Syriam, Ecclesias inuisit, & fidei orthodoxæ, quam maximis certaminibus tum Athanasius propugnabat, suffragatus, ab aduersarijs eius Arrianis sic abhorruit, vt nec colloquio cõueniendos esse verbo & exemplo doceret. Huius exemplo accensi Aphraates, Iulianus, Abrahames, Zeugmaticus, Marianus, Ephrem, Isaacus sãcti & perdocti monachi, desertis in solitudine mandris, certantibus aduersus Arrianorum furores, Valentisque Imper. hæretici grauissimas persecutiones Ecclesiæ Catholicæ pastoribus, operas suas (vt est apud Theodoretum) coniungentes, ad com-

*Lib. 2. hist. cap. 16.*

*Lib. 4. hist. c. 26. 27. 28. 29 &c.*

ad commune reſtinguendum incendium, verbis, ſcriptis, & miraculis non parum contulerunt. Quanta totius Chriſtianæ pietatis vtilitate & gloria aduerſus fanaticas hęreticorum opiniones Baſilius, Nazianzenus, Fulgentius, Euagrius, Palladius, vterq; Macarius, Damaſcenus perdocti & ſancti monachi decertârunt, manifeſtius eſt quàm vt hîc referre ſit neceſſum. Tot igitur & Diuinis præceptis commotus, & Sanctorum Patrum exemplis incenſus, nonne iure mihi videor iam à triginta annis, quibus ad publicum Diuini verbi & in ſcholis & in templis explicandi miniſterium vocatus ſum, & verbis & ſcriptis noſtros Gallos pro virili admonuiſſe, vt à renaſcentibus in Caluinianis veterum Hęreſiarcharum erroribus ſibi diligenter cauerent? In doctrina verò ac religione Chriſtiana maioribus noſtris à beato Lazaro, Martha, Magdalena, Maximino, Martiali, Paulo Sergio, Aureliano, Trophimo, Clemente, Sauiniano, Dionyſio, partim ipſius Chriſti, partim Apoſtolorum diſcipulis tradita, accepta, & in hoc vſque ſæculum noſtrum fideliter propagata & ſeruata, conſtanter perſeuerarent? Eandem ob rem hodie quoque & illos, & alios quoſcunque, ad quorum manus hi Dialogi peruenerint, quanto poſſumus maximo ſtudio per D. IESVM CHRISTVM communem ſeruatorem & iudicem admonemus, hortamur, & obſecramus, vt ab eadem nunquam abduci, & ad exorientes ſectas pertrahi ſe permittant.

*Socr. hiſt. li. 4. ca. 18. 19. 20. 21. 22. Iſidorus. Io. Ieroſoly.*

*Metaphraſt. Lippoman. Sur.*

mittant. Quin potius prudenter ac sedulò secum animaduertant & reputent, quàm immanis blasphemiarum sibi & veritati aduersantium & repugnantium colluuio, sub Caluinianæ ac reformatæ religionis exitialilarua non modò lateat; sed & nunc (Eheu conditionem huius temporis!) horum consilijs, artibus, & viribus promoueatur; quorum omnino reprimi, & penitus excindi deberet. Vociferant scio, & assiduas iaciunt ore querelas Palatini, Badenses, Tigurini, Bremenses, & alij aliquot eius veneno infecti, Euangelicam doctrinam Caluinismi nomine non tantùm imprudenter, sed & impiè tam à Catholicis quàm à Lutheranis diffamari, traduci, explodi: verùm expendant quæso, non tantùm ducentis (quos hîc coarguimus) sed & multo pluribus aduersus Deum teterrimis erroribus sectam illam pro certo scatere, & in cælum fœtere ac sordescere.

HINC etiam viros Principes, magistratus, & politicos conspicere attenteque secum meditari rogo & obsecro, quàm turpiter flagitioseque fallant & fallantur, qui vt quod supereſt veteris pietatis tuendæ zeli penitus extinguant, suadere nituntur Caluinismum vel tantùm in rebus adiaphoris, vel Sacramentorum ritibus, vel denique certè in quatuor aut quinque duntaxat doctrinæ capitibus, ab Ecclesiæ Catholicæ fide distare. Timeant ne sicut olim huiusmodi Satanæ fraudibus Manichæi, Pelagiani,

Donati-

Donatiſtæ prius à ſe deprauatam & corruptam Africam; & Arriani, Neſtoriani, Macedoniani ſuis factionibus laceratam & deformatam Aſiam impuriſsimis Maometanis in hunc vſque diem peſſundandam expoſuerunt; nouiſsimæ quoque ſectæ Hungariam, Tranſyluaniam, Croatiam Turcis proterendam offerunt; ita & Caluiniani totam Germaniam, Belgium, Galliam, Italiam, Poloniam ijſdem beſtijs populandam & abſumendam relinquant ac prodant. Per pendant quàm cruentas contra legitimos magiſtratus tragœdias huius hæreſeos miniſtri & ſatellites iã à triginta annis in Gallijs, in Belgio, in Scotia excitauerint: atque credant illos quicquid ad tempus diſsimulent, ſemper ſibi ſimiles eſſe. Conſiderent denique vniuerſi, quibus vera religio & animarum ſalus adhuc curæ eſt, infeliciſsimæ huius ſectæ Authoribus non minorem eſſe in ſuis erroribus tempore diſsimulandis, imò & ſæpe damnandis vafritiem & inconſtantiam; quàm in eiſdem fingendis & aſſerendis audaciam & impudentiam. Didicerunt namque à patre mendacij ex eodẽ ore calidum efflare & frigidum, aliud ſedentes aliud ſtãtes loqui, aliud per noctem meditari aliud effutire per diem, & quas fixerunt tabulas mox refigere, vt per ſingulas huius libri diſputationes patefecimus. Quinetiam, ô miram veritatis virtutem! & ipſi propriam aliquoties aduerſus Deum impietatem vltro confitentur, & diabolicum

cum

cum prorsus in corrumpendo, deprauando, & ad hæreses suas stabiliendas vi detorquendo sanctissimo Dei verbo studium atque consilium palam efferunt ac manifestant. Scribit namque de se, comministris, & sectatoribus suis Caluinus: *Magnum hoc nobis impedimentum est, quod Christum nõ aspicimus nisi carneis oculis: ita fit vt nihil in ipso magnificum nobis appareat. Vitioso enim nostro sensu quicquid in ipso est, eiusdemque doctrina, peruertimus, adeo siniſtri sumus interpretes. Deinde, eo ipso non contenti, multa falsa arripimus, quæ Euangelij contemptum pariant.* Quis hæc de seipso, suisque manipularibus tam grauiter diserteque affirmanti non crederet? Hinc etiam prouenire non dubito, vt Beza in cathedra pestilentiæ illius successor, errorum quibus & seipsum & multos alios in æternæ damnationis præsentissimum discrimen adduxit, iam pertæsus, illos in hac extrema senecta sua percupiat omnino sepultos esse. Nam in publico Mompelgartensi colloquio, coram Gallis & Germanis vociferatus est: *Fateor me multa scripsisse, quæ vellem à me scripta non esse.* Et vt indicet se non fictè, sed ex animo loqui, rursum postea exclamauit: *Fateor à me multa esse scripta, quæ vellem non esse scripta.* Denique vt hæc sua palinodia & inconstantia maiorem apud cunctos fidem inueniret, etiam tertiò animi sui vota his verbis expressit: *Vtinam verò memoria omnium eorum aboleretur communi consensu, &c.* Iam non rogo solùm, verùm etiã obsecro te, Germania, Polonia, Scotia, & An-

*In cap. 6. Io. v. 41. & 42.*

*Colloquij pag. 150.*

*Pag. 268.*

*Pag. 388.*

& Anglia; oro & obteſtor te, ſuauiſsima & cariſsima parẽs Gallia, per SS. TRINITATIS ter adorandum numen & nomen, per IESV CHRISTI ſaluifica vulnera, per antiquæ pietatis & exiſtimationis tuæ dulciſſimam recordationem vt quantam nunc viſceribus tuis perniciem concipias, quàm tortuoſum & veneficum ſerpentem in ſinu tuo alas & foueas, quamque non modò tibi, ac poſteris tuis; verùm etiam vicinis prouincijs, toti denique Europæ calamitatem accerſas, attentius tecum ipſa cõſideres; quando tam lethalium errorum Prędicantibus & aſſertoribus omnem diſſeminandorum illorum impunitatẽ, & ſeducendarum animarum liberam vbique facultatem concedis. Quando ſynceriores Theologos è finibus tuis expellis, fidos Paſtores à gregibus ſuis arces, meliores ciues tuos relegas, & pios monachos vincis, ſtrangulas, dilaceras, vt impuriſsimis apoſtatis & peſtilentiſsimis Hugnoſticis gratificeris. O ſi ſcires & tuquã graue ac peſtiferum ſit Schiſmatis crimen, quo te perfidi quidam conantur inuoluere, quamq; vicinam cognatamq; ſemper hæreſim habuerit! &c. Ad huius quoq; operis, vt etiam ad ſecundã Irenęi editionem procurandam, vt Coloniam me conferrem, nonnulli viridocti & pij in Germania ſuis literis addiderunt calcaria: inter quos non fuit poſtremus Cornelius Schultingius Steinuichius Hieronym. cõfeſſionis autor, & Sacrę Theologiæ ibidem profeſſor, ac Inſtitutionis

*Optat. lib. 1. cont. Parm. Aug. li. 2. de Bapt. ca. 6. Hieron. epi. ad Damaſ.*

nis Caluinianæ acris oppugnator, amicus integerrimus. Atque hæc de istius aduersus hæreses disceptationis euulgatæ scopo ac fine: nunc de forma, methodo, ac ratione dicendum.

Libri ratio & finis.

OPERAE PRETIVM porrò visum est, Dialogismo potius quàm oratione vti continua, tum quod inter personas sic distributus sermo suauius & iucundius legatur; tum maximè quod tam veterum quàm recentiorum Theologorum, qui hoc etiam modo de summis religionis Christianæ mysterijs & frequenter & cum laude disseruerunt, imitanda nobis vestigia libenter proposuerimus. Accedit, quod in his multa dicenda fuerint, quę sub Ministri persona magis appositè & conuenienter, quàm alterius proponuntur. Qui si quibusdam videatur non satis acriter & pertinaciter Caluinianorum partes tueri: respondeo, illum non ex præfractorum eorum grege fuisse, qui venundati sunt vt faciant malum; agnitamq; veritatem, intus reclamante & surdo verbere flagellante conscientia, impudenter oppugnent: sed virum pacis amantissimum, propriæque salutis studiosissimum & appetentissimum. Deinde, cùm inter Sectarios tantas in doctrina dissensiones & pugnas; tantam in hac tradenda leuitatem & inconstantiam; tot in consilijs ac occultis conspirationibus proditiones, perduelliones, & aduersus bonos viros nefarias molitiones; incredibilem denique in moribus deprauationem

nem

nem & dissolutionem animaduertisset, iam ab eorum institutis alienus esse cœperat. Postremò, si attentis, qui hæc obijciunt, animis attenderint Iustini Martyris Tryphonem, Minutij Cæcilium, Origenis Megistũ, Athanasij Anomœum, Hermiam Cyrilli, Eranisten Theodoreti, Luciferianum Hieronymi, Serapionem nostri Arnobij Romani, Vigilijque Martyris Antagonistas, eos non magis acerbos aut seueros in tuendis erroribus suis comperient, quàm Minister noster in fouendis Caluinianorum placitis seipsum exhibuit. At nemo eorum inuenitur, dicet litigator, qui tam facilè cedat, tamque paruo labore à castris illorum deficiens ad Catholicam Ecclesiam redeat. Imò verò etiam plurimorũ exempla proferre licet, qui Ministrorum impuritatibus pudefacti, horumque impietatum pertæsi, sponte ab eis deficiunt, & ad vnius, sanctæ, Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ gremium se celerrimè recipiunt: cuiusmodi in Germania sunt Vvicelius, Staphylus, Franckus, Xilander, Brunerus, Pistorius, Flaschius, alijque permulti: in Polonia Orichouius & Quadrantinus: in Gallia Carolus, Duarenus, Balduinus, Gibultius, Peschartus, quique multis & disertis scriptis Gallicis suis postea non parum eos lacessiuit & vexauit Matthæus Launœus; & alij quamplures: qui simplicis instar columbæ, ad mystici nostri Noe saluificam arcam, ex qua imprudenter egressi fuerant, prudenter & sapienter se recepérunt. Non

fuit ergo, subijciet vitilitigator, Minister hæreticus appellandus, sed vel Dubitãtius, vel Pyrrhonius, vel alio quouis mitiori nomine. At verò, morem S. Scripturarum sequutus sum, ô bone, in quibus homo vocatur puluis & cinis, mulier os de ossibus, virga serpens, vinũ aqua, Paulus persequutor, & Simon hospes Christi leprosus, quòd aliquando id fuissent. Quòd si deniq; quibusdam delicatulis minus arrideat, quod Caluinum ac sequaces eius asperioribus ac durioribus verbis nonnunquam excipiat, meritisque titulis exornet, queso secum illi reputent, quàm longè atrociora vbiq; scriptorũ suorum conuitia, quotq; probrorum & maledictorum plaustra in cunctos Ecclesiæ Catholicæ ordines, in Sanctos Apostolos & Martyres, in sanctissima Sacramenta, & in ritus eorum effundant. Perpendant etiam quibus verbis Christus, & Præcursor eius Scribarum & Pharisęorum ambitum ac hypocrisim coarguerint; quo ore Petrus Simonem Magum, Paulus Elymam & Pseudoapostolos, Ioannes Cerinthum ac Ebionem, Iudas Thadæus seductores, Polycarpus Marcionem, Ignatius Carpocratianos, Irenæus veteres Gnosticos, Tertullianus Valentinum, Hermogenem & Praxæam, & Hieronymus Iouinianum, Eluidium & Vigilantium increpauerint atque damnauerint; & protinus, confido, desinet nobis esse molesti. Atque hæc de totius libri summa, ordine, forma, scopo ac ratione.

ISTVD porrò qualecunque à pijs viris

iudicetur, eidem Reuere C.T. vel eò in primis dicandum sacrandumque fuit, quòd cùm superioribus annis Lutetiæ Parisiorũ, vbi Sãct. D.N. à latere Legatus esses, & de impietatibus, ac calamitatibus per Caluinianos in vniuersam propemodum Europam inuectis nobiscum frequenter ageres, horumque Dialogorum nostrorum mentio incidisset; grauissimis verbis monuisti, vt etiam Latinè publicarentur: quatenus & Germani, & Poloni, & Suedi, & Bohemi, & alij, inter quos hic pestifer ac funestus morbus inualescit, vel his saltem admoneantur, quàm horrẽdam impietatum lernam Secta ista partim ab inferis reuocet, partim comminiscatur: & cum præsentissimo Christiani orbis periculo, eadem constabilire moliatur. Quis autem tanti viri, tamq; sancta adhortatione non moueretur? præceptis non alacriter obtemperaret? Præsertim cùm Ecclesiæ sacris principibus repugnare, sit quasi peccatum ariolandi: & quasi scelus idololatriæ, non acquiescere? 1 Reg. 15

Dedicationis caussæ. 1591. 1592. 1593.

ACCESSIT singularis eiusdem Illustr. C.T. in me humanitas, summaque beneuolentia, quæ sæpe adeuntem me complexa, & de aduersis conquerentem benignè consolata: insuper, egentissima conuentus fratrum Minorum, cui tum præeram, & copiosa familia, & proprijs (vt tempus ferebat) facultatibus subleuata; & apud Sanctiss. D.N. pijs literis in meam gratiam commendata est. Quid etiam, quod me immerentem, &

nihil minus quàm de his cogitantem, ad eximium in Ecclesia gradum prouehere studuerit? Non solùm ergo ingratus, sed etiam impius essem, si tot tantaq; in me beneuolentis animi argumenta, publico gratitudinis testimonio non palam testificarer, quantum me eidem Illustriss. C. T. debere sentiam atque profitear.

VERVM, priuata sunt hæc, & exigua, si sequentibus comparentur. Quàm præclaram existimationem apud summos totius Ecclesiæ Christianæ Pontifices eidem Illustriss. C. T. iam diu pepererint eximiæ animi dotes, ac multiplices virtutes, vtpotè magna in rebus agendis prudentia, maior in Ecclesiastica dignitate tuenda solicitudo, maxima verò in Deum pietas & religio, testificantur per quadriennium ad Hispanos, per triennium ad Germanos, demumque ad Gallos, inter se plusquã ciuili bello aliquot iam annis dissidentes, perarduæ atque operosissimæ legationes. Quàm piè, diligenter, strenueque in superioribus Illust. C. T. sese gesserit, mirantur Hispani, prædicant Germani: ego de plurimis, quæ in nouissima, id est Gallicana, eademq; omnium difficillima, sanctissimè ac constantissimè præstiterit, pauca, eademq; strictim attingã; cæteris commodiori tempori consultò reliquis. Itaq; ab eo exordiar, quod non ignobilis scriptor Germanus retulit: *Innocentius IX. Pontifex Romanus, decimo octauo Decemb. Cardinales duos, D. Segam, Episcopum Placentinum, & Legatum*

*Mercur. Gal. Belg. pa. 356. Anno 1591.*

*Legatum in Francia, magnæ eruditionis, prudentiæque, & bene de repu. Christiana meritum Prælatum, & Antonium Fachinettum pronepotem suum creauit, &c.* Et rursum post multa: *Sub idem tempus Episcopus Viterbiensis Nuntius Apost. Roma in Gallias missus est ad Legatum, &c.* Alij quidem fauore Regum, ad sublimem hanc totius orbis dignitatem aspirãt; alij sanguinis cognatione ad eam ascẽdunt; alij priuatis Põtificum obsequijs eandem assequuntur; Illust. C. T. illam & publicis in rempu. Christianam meritis, & absens ab Vrbe, & pro fide Catholica in Gallijs retinenda dies & noctes decertans promeruit & accepit. Quàm verò sanctè sibi commissо à sancta Sede officio Illustr. C. T. ibidem functa fuerit, testes sunt perdoctæ sanctæq; ad hos & illos Exhortationes in lucem emissæ, testes assiduæ preces pro vera regni pace & pietate, ab vniuersis Catholicis ad Deũ effusæ. Qua porrò cõstantia non modò rapinam bonorum suorum, sed etiam obsessæ iugiter magnæ ciuitatis plurima incommoda, idq; quinq; continuis annis, eadem Reueren. C. T. pertulerit: quantisq; suæ virtutis exemplo ad omnes pro seruanda Catholica religione patienter ferendos labores præluxerit; nobiscum testabuntur innumeri, qui earundẽ calamitatum participes, per Dei gratiam, & singularem pietatis tuę imitationem, in illa adhuc stamus ac viuimus. Qua deniq; animi sagacitate & prudentia Aulicorum artes fraudesque eluseris, qua excelsi animi con- Pagin. 401. Anno 1592

ſtantia violẽtorum minas contempſeris; ac hæreticorum ſchiſmaticorumq́; improbitate iniectos terrores & pericula, ſuperaueris; ad ipſum etiam martyrium pro fide Catholica & vnitate Eccleſiæ tuenda paratum pectus tuum ante Deũ teſtatur. Ad eandẽ ergo Illuſt. C. T. iure referri poteſt, quod aliàs de quibuſdam fortiſſimis Dei athletis ſcriptũ eſt: *Docuiſti multos, & manus laſſas roborasti, vacillantes confirmauerunt ſermones tui, & genua tremẽtia confortaſti. Bonum certamen certaſti, impoſitæ legationis curſum conſummaſti, fidem ſeruaſti:* ideoq́; non ambigẽdum eidem repoſitã eſſe multiplicem iuſtitiæ coronam, quam ſuo tempore redditurus eſt iuſtus iudex. Cùm itaq; his Scriptis ac ſtudijs meis in orbe nihil potius, nihil pręſtantius habeam, quo eidem C. T. gratificari valeã, nihil antiquius quod offeram; eadem illi ſacro dicoq́;, nihil addubitans eadem grata & accepta fore.

Iob. 4.

2. Tim. 4.

DENIQVE, cùm in eorum Purpuratorum Patrum toto orbe colendiſſ ordinẽ eadem C. T. aſſumpta ſit, ad quẽ vnà cùm SS. D. N. pertinet de rebus in religione controuerſis omniũ poſtremo loco pronunciare: has profectò de ſummis fidei Chriſtianæ capitibus aduerſus hæreticos dimicationes non decuit alteri dedicari. Ad hanc etenim Sedẽ propter potentiorem principalitatem, vt Irenæus Martyr loquitur, & conſeruatam Apoſtolorum traditionem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vndiq; fideles. Inde nobis, Tertulliani

Lib. 3. c. 3.

Africę

Africę magni iubaris verba refero, quoque authoritas præsto est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apostolus Ioannes postea quàm in oleum igneum demersus, nihil passus, in insulam relegatus est. Fortissimusque martyr Cyprianus palam agnoscit & profitetur, cathedram Petri super quem à Domino ædificata fuit Ecclesia, principalem esse, vnde vnitas sacerdotalis exorta, cuiusque fides Apostolo prædicante laudata est: & ad quã perfidia non possit accessum habere. Quicunq; ergo extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Quicunq; cum ea non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.

*Lib. Præscri. cap. 36.*

*Epist. 18.*

*Rom. 1.*

*Hier. Epist. ad Damasĕ Papam.*

Hvc itaque vt obsequentissimum decet filium & seruum, non modò hęc, & alia quęcunque opuscula nostra; sed & nos ipsos regendos, docendos, & corripiendos ex animo subijcimus ac offerimus: Diuinam interim gratiam suppliciter obsecrantes, Illustriss. & Reuerendiss. C. T. diutissimè seruet incolumem. Coloniæ Agrippinæ, Anno à nato mundi Saluatore IESV, 1594. tertio Kalendas Septembris.

*Vestræ Illustriss. & Reuerendiss. Celsitud.*
*deuotissimus seruus,*
*F. Franciscus Feu-ardentius.*

# CARMEN CORNELII SCHVLTINGII STEINVVICHII IN SEPTEM DIALOGOS REVER. AC EXIMII VIRI religioſique Patris Franciſci Feu-ardentij, ſacræ Theologiæ Doctoris Pariſienſis.

*FAlſa refellerunt Lutheri dogmata plures,*
*Solam oſtendentes peſtiferam eſſe fidem:*
*Eximijq; Sophi pulchro in certamine palmas*
*Conſtituêre adeo clara trophæa viri.*
*Haud adeo multi Caluini dogma Latini*
*Pneumatici ſcriptis edomuêre ſuis.*
*Multi Doctores Anglo Galloq; valentes*
*Eloquio, monſtrum hoc conficere vſq; ſtudent:*
*Inter quos noſter longè Ardentiſſimus ignis*
*Colloquijs ſeptem dimicat arte graui.*
*At quia non omnes Germani Gallica norunt,*
*Caluinijq; rudes peſtis acerba petit:*
*Hortatu noſtro ſua Gallica ſcripta Latinè*
*Tranſtulit, & ſtudijs & pietate grauis.*
*Ordine bis centum Caluini contudit acer*
*Errores, totus flammeus ille micat.*
*Vos ô Germani peſtis petit illa cruenta,*
*Qua prope nunc Gallus, quaq; Britannus obit.*
*Arrius hic nouus eſt, qui ſuſcitat horrida bella,*
*Reges atque Duces, Turcica bella mouet.*
*Belgica regna cupit ſæua hæc abſumere flamma;*
*Toxica ne noceant pharmaca ſana bibe.*
*Spiritus ô vtinam ſanctus p'a corda virorum*
*Commoueat, ſimili noſq; labore iuuent.*
*Anglica quæ proſtant, & Gallica ſcripta Latinè*
*Vertant,*

*Vertant, participes nos faciantq; boni.*
*Omnia Caluinus scholijs corrupta malignis*
*Quatuor absoluit dogmata falsa libris:*
*Pestiferos sanè methodo conscripsit amœna,*
*Sic nitet eloquio, sic nitet ille stylo.*
*Ingenij neruos omnes intendit, vt istis*
*Retibus illaqueet, mille animasq; necet.*
*Præsidium, portus, sacra anchora tempore quouis*
*Hi libri, hinc semper tela inimica petunt.*
*Hi variis linguis totum funduntur in orbem,*
*Vnde venenatæ riuulus exit aquæ.*
*Hos ego, si vitam dederit Deus, ipse refellam*
*Constans, dum præeat Illyricusq; senex.*
*Hinc aderit qui bella gerit metuendus in armis*
*Claudius & Sanctes robore & ipse potens.*
*Quatuor auxilio venient oracula mundi,*
*Quorum sancta Dei spōsa requirit opem.*
*Græcia quicquid habet, Latium quod continet omne*
*Suppetias feret, hinc fortiter arma petam:*
*Sexcentiq; Duces veteres, pariterq; recentes,*
*Lumina succurrent militiæq; sacræ.*
*Ex nostris quotquot Sophiæ sacra castra sequuntur,*
*Caluinum contra tela parare decet.*
*Præcipuè hic Christi passim insidiatur ouili,*
*Mille necans animas fraudibus atque dolis:*
*Inter & hæreticos non est versutior alter*
*In contorquendis mille locis Biblicis.*
*Namq; Euangelium, quod primò sparsit in orbem*
*Luther, id in tenebris hic & vbique iacet.*
*At modò Caluinus latè dominatur vbique,*
*Quâ Germanus habet, quâqúe Britannus habet.*
*Isiebium pellit Caluinus sedibus hostem,*
*Pastores veteres deijciuntqúe noui.*

*Vos, vos Catholicis coniungite fœdere sancto,*
*Ne rude Caluaster turbet ouile lupus.*
*In commune nefas nostrum iuremus in hostem,*
*Vnanimes iuncti fœdere, amore, fide.*
*Quod nisi feceritis, Caluini posthuma proles*
*Concors discordes dilaniabit oues.*
*Catholicis citò vos accedite partibus ergo,*
*Tartareisq; modum ponite dissidijs.*
*Atque ita Caluini sectam superabimus vno*
*Ore, manu, iunctis viribus, atque viris.*

# IN HOS DOCTIS-

## SIMOS ET VTILISSIMOS R.di

## ATQVE EXIMII MAGISTRI NO-

## STRI P. FRANCISCI FEV-ARDENTII

S. Theologiæ Professoris Dialogos, Carmen

Fratris T. P. C.

*Gallia nulla tulit deformia monstra, nec vllos*
*Saltãtes peperit Satyros, rabidasq; Chimæras,*
*Centauros q;, Hydras q;, ac fœdificas Harpyias,*
*Nullaq; præterea variarum monstra ferarum:*
*Tempore sed nostro tulit his deformius vnum*
*Monstrum horrendum, ingẽs, nullo superabile ferro,*
*CALVINVM, vafrum, ter fallacemq; sodalem;*
*Qui dictis factisq; suis conscindere ouile*
*Christiadum studet, & veterum monumenta paren-*
*Spernere, fallaci populum nouitate tenere, (tum*
*Spargere per vulgus, populosa per oppida fraudes.*
*Dumq; per anfractus vitiorum laxat habenas,*
*Instabiles animos hominum sensusq; labantes*
*Impulit, & multos leuis ad sua dogmata traxit:*
*Non aliter iaceat campo si fortè cadauer,*

Con-

Continuò numero ingenti velut agmine denſo,
Conueniunt corui viles ſtridentibus alis,
Qui putridum rapido depaſcant ore cadauer.
Sic Caluine nigros rapis ad tua dogmata coruos:
Cerdones multos, ſutores atque ſubulcos,
Venit & vpilio, balatronum maxima turba eſt.
Cumq; nouandarum ſit plebs auidiſſima rerum,
Heu quod non ſtolidæ laudis veſana libido
Cogit adire ſcelus? quæ facta infanda recuſat?
Crimina ſacrifico pudor eſt commiſſa fateri,
Sunt quoque cum feſtis ieiunia pulſa diebus,
Rarus adit veneranda ſacræ ſolennia Miſſæ.
Ad thalamos properat Monachus pariterq; ſacerdos,
Sic noua libertas inſana licentia facta eſt.
Quid referam clades miſeras, quas ſæpè ſubiuit
Gallia, quæ roſeo tumulauit ſanguine multos?
Quo gemitu, lacrymisq; quibus nunc diruta flebo
Templa Dei, veneranda patrũ monumẽta piorum?
Ah pudet obſcœnas pœnarum pandere formas.
Mens horret, refugit qúe manus, calamusq; recuſat.
Caluini veſanæ nequit rabies ſaturari.
Quid cenſes? mentem quæ tanta inſania vexat?
Tu ne ſapies ſolus, reliquos malus error habebit?
Atq; ea dum delirus ais, dum voce canora
Perſtrepis, atq; leues trahis ad tua retia ceruos,
Ecce iaces proprio iaculo confoſſus & enſe.
ARDENTI venerande Pater, venerande Magiſter,
Tu tantum monſtrum calamo cõfigere tentas,
Et multis errorem animis nutantibus aufers,
Dum præſens conſcribis opus, quod nulla vetuſtas
Delebit; feret hæc magnam tibi fama ſalutem.
Te docuit diuinus amor, quæ laſſa Camœna
Suppreſſit, medio verba in ſermone relinquens.

*Vltrà quingentos magno moderamine Fratres*
*Prudens rexisti, quos docta Lutetia sancto*
*Est complexa sinu, FRANCISCI legibus omnes*
*Astringens: lustris tribus his sacra dogmata Christi*
*Peruigil exponens, tandem peregrinus & exul*
*Germanos adiens: te sancta Colonia gaudet.*
*Ardet amore tuum diuini numinis igne*
*Pectus, & ardentes rapiunt præcordia flammæ.*
*Ergo tibi cùm sint feruentia pectora, iustè*
*Præclarum ARDENTIS nomen & omen habes.*

## EPIGRAMMA ANDREAE FRVSII SOCIETATIS IESV in Caluinum.

*CAluus es, absq; comis operum Caluine bonorum*
*Qui nudam Christi vis satis esse fidem.*
*Sed quia caluitium natura turpe videtur,*
*Illud hypocritico crine sophista tegis.*
*Caluitium Caluine tuum iam iamq; patebit:*
*Decutiet falsas aura superna comas.*
*Vertice tunc nudo magis es Caluine futurus*
*Simia quàm glabro podice ridiculus.*
*Haud nudum, immò coma falsa labente patebit,*
*Quod scabies totum contegat atra caput.*

COM-

# COMMONITIO AD PIOS LECTORES.

QVONIAM quidem huius tempestatis, quos Dialogis istis oppugnamus, Hæresiarchæ, pro spiritu vertiginis, quo perpetuò agitantur, mendacijq; natura, in fidei ac religionis dogmatis nunquam sibi constant: sed aliud sedentes, aliud stantes decernunt; singulisque Libellorum suorum editionibus illa vel adaugent vel imminuunt, easdemq; tabulas figunt & refigunt, vt in Melanthonis Locis Cõmunibus, Buceri reuocationibus, Caluini Institutione, & commentarijs, Bezæ psalmis, adeoque ipsius Confessionis Augustanæ cunctis propemodum euulgationibus tam exploratum & certum est, vt nec ipsi diffiteantur Aduersarij: operæpretium mihi visum est, hic non solùm breuem catalogum contexere Librorum; sed & locos, & annos quibus sunt excusi; insuper, & capita, & paginas, & lineas eorum sæpe designare, ex quibus tot hæreses, & harum cõtradictiones extraximus, simulq; refutauimus. Non igitur subiectam illorũ accuratam enumerationẽ damus, vt quemquam ad eorum lectionẽ inuitemus: sed ne ipsi quibus cum manum conserimus, more suo, cùm de tot, tamq; tetris & manifestis erroribus coarguuntur, illorũ se authores, patronos, reosque solita impudentia esse pernegent; aut aliquo iure clamitent me impostorem, quando in illos tantum hæreseôn aceruum congero. Ipsi ergo, ipsimet & libros, & locos à me designatos, siquidem placuerit, vestigent, perspiciant, expendant: cumque illarum se coram Deo, Angelis, totoque mundo reos esse compererint; erubescant, confundantur, & conuertantur, ne in æternum pereant.

La grand

*La grand Bible en François, imprimée à Geneue 1562. par Antoine Rebul, auec les corrections, & annotations des Miniſtres dudict lieu.*

*Commentarij Philippi Melanthonis in epiſt. D. Pauli ad Rom. VVitembergæ, 1524.*

*Eiuſdem com. in eandem, Argentorati 1544.*

*Metaphraſis & enarrat. in epiſt. D. Pauli ad Rom. per Martinum Bucerum. Baſileæ, 1562.*

*In Euangelium Ioannis, Ioan. Brentij Homil. Francof. 1569.*

*Eiuſdem Hom. in Lucam, Francof. 1557.*

*Eiuſdem Catechiſmus, Francof. 1562.*

*VVolffgangi Muſculi Anticochlæus, Auguſtæ Vindelic. 1544.*

*In Apocalypſim conciones, authore Henrico Bullingero, Baſileæ, 1559.*

*Bernardini Ochini liber de Chriſti præſentia in Cœna, Baſileæ.*

*Eiuſdem Labyrinthi, Baſileæ apud Petrum Pernam.*

*In epiſtolam S. Pauli ad Rom. Petri martyris Vermilij commentarij, Baſileæ, 1560.*

*Eiuſdem epiſtolæ Theologicæ, Tiguri, 1580.*

*Eiuſdem Defenſio de Euchariſtia. Et comment in libr. Samuelis, Tiguri.*

*Tilmannus Hesbuſius lib. de aliquot erroribus Caluini, Ihenæ, 1560.*

*Rodolphi Gualtheri Homil. in Marcum, & Ioan. Tiguri 1564. & 1565.*

*Collatio & vnio quatuor Euan. per Carolum Molinæum, 1565.*

*Petri Rami Comm. de relig. Chriſtiana, Francof. 1583.*

*Inſtitutio Chriſtianæ relig. Ioan. Caluino authore, Anton. Rebul, 1561.*

*Harmonia ex tribus Euangeliſt. cum Ioan. Caluini comment. Geneuæ, 1563.*

*Eiuſdem in Ioan. Euangelium comment. Oliua Roberti Stephani, 1563.*

*Eiuſdem in librum Pſalmorum com. Oliua Robert. Steph. 1557.*

*Eiuſdem opuſcula collecta per N. Gallaſium, 1552.*

*Eiuſdem in omnes Epiſt. Apoſtol. comm. Geneuæ, 1561.*

*Inſtitution de la Religion Chreſt. par Iean. Caluin. A Geneue. Chez Iacques Bourgeois 1562.*

*Commẽtaires du meſme ſur les epiſtres de S. Paul. par Conrad Badius, 1561.*

Liure des actes de Seruet. A Geneue, chez Iean Crespin, 1554.
Commentaires de Iean Caluin sur l'euangil selon S. Iean. à Geneue 1553.
Pseaumes en rhime, Catechisme, Prieres, & Confession de foi. A Caen, chez Simon mangeant, 1565.
Instruction Chrestienne par Pierre Viret. A Geneue par Estienne Anastase, 1559.
Noui Testamenti Cathol. expositio, excerpta ab Augustino Marlorato. Geneuæ, 1564. excudebat Henricus Stephanus.
Theodori Bezæ Vezelij volumen Tractationum Theologicarum. Anchora Ioannis Crispini, 1570.
Theodori Bezæ poëmata Lutetiæ. Ex officina Conradi Badij, 1548.
Eiusdem Icones. Apud Ioannem Laonium, 1580.
Psalmorum libri argumentis, & Latina paraphrasi illustrati: eodem authore. Londini Typis Thomæ Ventrolerij, 1580.
Confession de la foi Chrest. par Theodore de Beze. A Geneue, chez Iacques du Pan, 1563.
Questions & responces Chrestiennes. par Theodore de Beze, chez Iean Crespin, 1572.
Le vrai Bouclier de la foi Chrest. de l'imprimerie de Pierre le Chandelier & Pierre Goudouin, 1562.
De la verité de la religion Chrest. par Philippes de Mornai. A Paris, chez Ioan Richer, 1582.
Commentaires & Annotations sur la Semaine de la creation du Monde, de Guillemme de Salluste. A Paris pour Abel L'Angelier, 1583.
Seconde Semaine du mesme Salluste.
Reueille matin des François & leurs voisins, 1574.
Le secret des finances de France, par N. Froumenteau, 1581.
Vie de Cat. de M.
Liber precum publicarum in Ecclesia Anglicana. Londini, per assignationem Franciſci Floræ, cum priuilegio Regiæ maiestatis.
Supplicatorij libelli quorundam Ministrorum de Synodo propter controuersias grauissimas congregandâ, Vrsellis, 1561.
Lamberti Danæi examen libri de duabus in Christo naturis, &c. Geneuæ, apud Vignon, 1581.
De Adoratione Christi Antuerpiæ, 1582.
Centuriæ Magdeburgenſium, Basileæ.

Pa-

*Paraenesis Andreae Volani ad omnes in regno Poloniae, &c. cæt.* Spirae, 1582.

*Refutatio blasphemiæ apologiæ Lambert. Danæi, per Iacobum Andreæ Tubingæ,* 1583.

*De æterno Dei Filio, &c. Iosia Simlero authore. Tiguri,* 1582.

*Acta colloquij inter Palatinos & VVirtebergenses Theologos. Heidelbergæ,* 1566.

*Acta colloquij Montpelgartensis. Tubingæ,* 1594.

*Refutatio blasphemiæ Farellistarum in sacrosanctam Trinitatem, per Petrum Carolum. Meti, per Ioannem Palier,* 1545.

*Defensio verborum Cœnæ Domini, &cæt. Authore Luthero. VViteberg æ,* 1557.

*Lutherus in Genesim. In Esaiam. In Amos. VViteberg æ,* 1557.

*Assumanis, &c. Tubingæ, apud Gruppenbachium,* 1587.

DIALO-

# DIALOGVS PRIMVS, IN QVO POST VOTA, ET INITA QVAEDAM PACTA INTER DOCTOREM CATHOLICVM ET MINISTRVM hæreticum, triginta Caluinianorum aduersus sanctissimam TRINITATEM errores discutiuntur, atque refelluntur.

## DOCTOR *precatur, deinde domo paululum digressus, secum meditatur, & sic orat.*

IN animo contrito ac spiritu humilitatis ad pedes Diuinæ Maiestatis tuæ desilio, Domine Deus, quem auguste sancteque veneror, dum singularem tuam imploro misericordiam, atque infinitam complector bonitatem, quę me Creationis beneficio compleuit; anima rationis participe, tuaque imagine insignita donauit; & in primo parẽte lapsum, Vnici Filij morte & sanguine, incredibili charitate atque misericordia ex inferis liberauit. Ab ipso mortalis vitæ meæ primordio, te patrem, te educatorem, te ducem, te omnium bonorum meorum authorem admodum liberalem, ac munificentissimum Mœcenatem agnosco & profiteor; adeò vt cum viro secundum cor tuum non immeritò linguam in hęc verba relaxem: *Quoniam tu es fortitudo mea, firmamentum meum, & liberator meus. Protector meus, cornu salutis meæ, & susceptor meus. Tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ; in te proiectus sum ex vtero. Susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus, sperabo in eum. Ipse me frequenter liberasti de laqueo venãtium, & à verbo aspero.* Deus meus, qui petere iubes, inueniri te facis, & pulsanti aperis; da mihi nosse me, nosse te. *Dan. 3. Act. 13. Psalm. 17. Psalm. 21. Psalm. 90. Lucæ 11.*

Tu mihi cor tene, mentem rege, intellectum dirige, amorem erige, animum suspende, & in superna hiãenta os ad te sitientis spiritus mei trahe. Taceant, quæso, tumultus carnis, conticescant phantasiæ terrarum, aquarum, aëris, & poli. Dispereat omnis cura mundi, solicitudo sæculi, amor mei. Sileat sibi & ipsa anima mea, & transeat se, non cogitando, sed te solum Deus meus: quoniam tu solus es re ipsa tota spes, & fiducia mea. Sine te etenim omnia sunt mihi tenebræ, omnia aduersa, omnia mala: quia nihil bonum sine te vero, solo, & summo bono. Hoc scio, hoc profiteor, Domine Deus meus, quia vbicumque sum sine te, malè est mihi præter te; nõ solùm extra me, sed etiam intra me: quia omnis copia, quæ non est Deus, mihi est egestas. Tunc & solùm satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Deus, cuius nos fides excitat, spes erigit, charitas coniungit. Deus à quo auerti, cadere est; ad quem cõuerti, surgere est; in quo manere, consistere est. Deus meus, quem nemo amittit, nisi deceptus; nemo quærit, nisi admonitus; nemo inuenit, nisi purgatus: te labijs, te corde, te omni qua possum virtute laudo, benedico, adoro. Tibi quantum possum maximas gratias habeo, quod ex huius mundi cœno ac scopulis, ad dilecta tabernacula tua vocaueris, vt sequerer te cum generatione quærentium faciem tuam, ambulãtium veræ obedientiæ semitam rectam, commorantium inter lilia castitatis, & tecum discumbẽtium in cœnaculo Euangelicæ paupertatis. Tuo in me singulari beneficio sacrarum rerum aliquantam peritiam consecutus sum, vt fructus vberiores cùm mea tum multo; ũ aliorum conscientia in sempiternam gloriæ tuæ memoriam colligerem: nec ipse vt paruulus fluctuans circũferrer omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris; nec alios pro credito tui verbi diuini ministerio, sinerem vacillare. Enimuerò à digno verbi tui præcone non solùm hoc te postulare scio, vt sit fidelis, & prudens, sciatque in tempore Ecclesiæ tuę filijs præbere tritici mensuram, paruulis lac, & adultis solidam escam subministrare: verùm etiam vt possit sanę doctrinæ contradicentes arguere, & insa-

*Aug. Manuale, cap. 12. Soliloq. c. 13. & Meditat. cap. 18.*

*Psalm. 16.*

*Ephes. 4.*

*Luce 12.*

*Tit. 1.*

& infelicia hæreseon zizania è medio tritici pro viribus euellere atque destruere. *Matth. 13.*

Supplex ergo à te contendo, Domine Deus meus, vt peccata mea, multa sanè & maxima, pro immensa miseratione tua condones, nec ad eadem redire vnquam permittas: paululum quoq; cùm in sacrum suggestum prodeundum erit, eius ingenij, charitatis, vehementioris q; amoris impertias, quod in Beatissimis Apostolis *Act. 2. 3. 4.* & Discipulis tuis tantopere diluxit. Fac vt verbo tuo per me indignum famulũ tuum annunciãdo, excelsa Diuinæ Maiestatis tuæ gloria innotescat, boni vt meliores euadant prouocentur, improbi emendentur, credentes confirmentur, & increduli prauisq; opinionibus infecti ad viam salutis reuocentur. Te postremò patrem optimum & humanissimum ab imo pectore emissis precibus exoro, vt dum cæteris exultantem cælestis gloriæ lætitiam significare peropto, in illius societatem me quoq; perducas: & resoluto corporis vinculo, in cælestium ciuium cœtum euolare facias. AMEN. Sed iam sub hac arborum amœnitate cupio apud me quidpiam perpendere ac contemplari.

*MINISTER Caluinianus egreditur domo, qui secum aliquid volutat, & composita Psalmi symphonia seipsum exhilarat.*

ADensissima varietatis caligine spiritum meum Dominus expediat, & ad reconditos sanctarum scripturarum sensus facilius capessendos eundem emolliat. Dirigat me in semitas mandatorum suorum; labia mea aperiat, & os meum annunciabit laudem eius pusillo gregi fidelium reformatorum; curæ ac solicitudini meæ ad erudiendum tradito. Plurimum equidem irradiante illius indigeo lumine: nam cerebro ferè diminuto, & capite grauedine oppleto, noctes diebus coniunxi peruigiles in ediscenda ad verbum concione proxima, in commentarijs Pellicani, Musculi, Bullingeri, Vermilij, Caluini: in euoluendis Lutheri Postillis: in legendis Gualtheri ac Lauateri homilijs: in relegendis locis

communibus Melanthonis, Hyperij, & Sarcerij: recenſendis Bezæ Aphoriſmis, confeſſionibus, verſibus, ac quæſtionibus; & Ochini labyrinthis: ad Molinei Harmoniam, Marlorati rhapſodiã, Vireti dialogos, Danei Iſagogen me totum addidi: neque tamen longiore gra uatus labore aut moleſto tędio defeſſus prætermiſi Galaſij notas, Farelli gladium colluentem; memoria ferè teneo Clypeum & Baculum fidei Geneuenſis: nec me fugit pro Herodoto Apologia, Matutinum excitatorium, Antiguiſardus, ſacrum Franciæ ærarium, Gallicus furor, Franco-gallia, Exilium Miſſę; ſed neque alia prætermiſi meliora ſanctioraque defecatæ religionis noſtræ monumenta. Verum, inanis ac defeſſus iam elanguet animus, nullam in his reperi doctrinam, nullam animarum conſolationem, nullam denique pietatem, confirmandis animabus idoneam. Inueni molles, fucoſas, & ſuaues dicendi veneres, intertexta dicendi pigmenta: ſed exoſſa & infirma, in quibus nihil aut parum eſt ſenilis pietatis, & admirandæ Maiorum doctrinæ: nihil feruentis animi in perpetua rerum cæleſtium meditatione verſantis, quibus abundant edita Patrum ac Doctorum volumina, quibusque grauiter, appoſitè & ſapienter, qui Catholicas concionnes habent, vtuntur.

## CALVINIANI Miniſtri in omnem hominum ordinem maledicentiſſimi.

Grauiter, & iniquo animo patior Religionis noſtræ Miniſtros, inſana verborum ſalebra balbutientes, ementita in Monachos conſpuere maledicta, atque in Presbyteros, Reges, Pontifices, & alios omnis generis viros, qui noſtram non amplectuntur doctrinam. Doleo reptitios illos libros atrociſſimis iniuriis eſſe refertos: non enim eos alliciendi, nedum commonendi idoneum id poteſt eſſe argumentum. Homines ſiquidem honeſtiſſimis artibus inſtructi ab hiſce verbis potius abhorrent, quàm ad ea arrecti permaneant. Hæc non redolent humillimam Domini bonitatem, ſed potius inauditi furoris intemperiem,

periem, effrenata temeritate gestientem, inusitatis cupiditatibus flagrantem, incredibili superbia inflammatam, & insaniam hominum indomitam. Non his furorum igniculis impios populos ad Christianam professionem Apostoli perduxerunt. Quid prosunt Caluini nostri aduersus Ecclesiam Romanam sæpius expressa & fastidiosè repetita conuitia? Non est sanè, non est secundum Apostolica præcepta ad eos accedere in spiritu lenitatis & mansuetudinis. 1. Cor. 4. Quid prodest tanta vehementia adlatrare, & Catholicos vniuersos passim appellare, *intolleranda sterquilinia, inquinamenta, sordes, funesta putidaue cadauera, villaticos canes, collectam ex omni fæce colluuiem, furiosa rabie concitatam, & debitam Deo gloriam surripientem, cruentos carnifices, crudelissimos tyrannos, cornibus armata pecora, sceleratissimos idololatras, desperatos Satanæ ministros, Antichristos, hostes Christi perpetuos & execrandos, in schola dæmonis educatos, importuna rabie correptos, quique dentibus D. Petrum dilacerarent, Paulū lapidibus obruerent, & Christum ipsum, si tenerent, lento igne vstularent*? En quibus eos passim in Harmoniatitulis exornat: cùm tamen pro certo sciam nullum esse in toto mundo Catholicum, quem falso decantata huiusmodi maledicta non possint non consternare, aut à nobis inuitum dimouere. In Harmonia passim. In cap. 23. Matth. vers. 29.

Aduersus monachos sempiternas exercere inimicitias cum Caluino etiam indicat se Beza, cùm eos contumelioſissimè vocitat *porcos, impudentes, nebulones, perditissimos sycophantas, quos si quis exenteret, ex meris mendacijs, fraudibus, dolis, & impostura conflatos inueniret, pestes, fallaces sophistas ac sinuosos, diabolo consecratos, & ab eo progenitos, coram Deo & hominibus infandam abominationem, sordida & proiecta mancipia, &c.* An non illud est ad sacrilegia, & cœnobia non solùm expilanda, sed & incendio, flamma, ac ferro vastanda, minimos & timidissimos impellere, atque ad innocentissimos quosque monachos vbique trucidandos violenter excitare? Appellant passim horum monasteria, *præposteræ libidinis infecta receptacula, & nefandæ veneris monimenta publica, quorum sordibus infestantur Angeli, & tanquam ex atris faucibus effuso halitu dæmones indignantur.* Confess. punct. 7. art. 14.

Putas bone, præceptis Apostoli eosdem obedire, qui in
1. Thess. 2. Gal. 6. spiritu lenitatis iubet nos aberrantes instruere, ac edocere eos qui resistunt veritati; experturi, an Deus eos pœnitere flagitij voluerit, vt reiectam ac repudiatam multò ante veritatem amplectantur?

Sed quibus contumelijs Regum ac Principum nostrorum translata ad posteros memoria multis seculis confirmata posset facilius deleri; qua tuba, quibus opprobrijs pernicioſa seditio concitari, quàm, per Excitatorium matutinum (Gallicè, *Reueille matin*) id diligentissimè procurant? Geneuensium, Rupellensium,
*Epist. ad Polonos. Dialogismo 1. & 2.* Sedanorum tabernæ his ac similibus libellis famosis, quibus Catholici Principes dilacerantur, & ad eos perimendos noui Poltrotij exacerbantur, passim sunt refertæ. Aduersus Pharaonem certè mitius agebat Moyses; Nabuchodonozorem Daniel, Mardochæus Assuerum & Hamanem amanter coarguebat. Ioannes contra Herodem, Petrus contra Pontifices, Paulus contra Neronem, Ioannes contra Domitianum, Andreas contra Aegæampacatum ac moderatum exhibuerunt animum. Equidem in eorum animis longè diuersus illuxerat afflatus. Voluerunt viri patres sanctissimi Titanum è genere eos esse sublatos, qui aduersarentur Magistratibus legitimis, & his quorum descriptione omnis Reipublicæ moderatio continetur: cùm omnis po-
*Rom. 13. 1. Petr. 2.* testas sit à Deo & qui resistit potestati, Dei ordinationi
*2. Timoth. 2.* resistat, damnationemque sibi acquirat. *Obsecro*, inquit Doctor gentium, *primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: Pro Regibus, & his omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam aganus in omni pietate & castitate.* Ministri nostri è contrario, Excitatorij matutini Autho, præsertim, aduersus Francorum Reges Carolum & Henricum, aduersusque Galliam optimam parentem quæcunque potuerunt mala improbè machinati sunt. Illam enim, nec minus impudenter quàm nefariè, iactant se contra illos concitasse Germaniæ Principes, Heluetiorum partes, atque etiam præcipuos Suetiæ, Daniæ, Scotiæ, & Angliæ proceres. Sæpius inflatas eorum copias & arma perhorrenda in

mediam adduxerunt Galliam, qui districto & bonorum Principum ceruicibus subiecto gladio eo perimere conati sunt, domos, villas, pagos, oppida florentissima prostrata atque diruta reliquerunt, Rege ad eædem designarunt, & dispositis castris iam septes eosdem aggressi sunt, eorumq; legatos partim veneno sustulerunt, partim trucidarunt, alios de propriis ædibus laqueo suffocarunt. Nónne Galliam reliquerunt suo sanguine redundantem, & bellis ciuilibus penitus exhaustam; cùm ex eius fide & mansuetudie, inauditam fecerunt perfidiam? Horum artibus, preter eius sepulcrum, nullum propè extat monimentum: vrbes sunt carnificinæ: templa, aut stabula, aut cisternes: arces, desolata sunt pascua: agri, ossibus inflati: arbores, infausta patibula: flumina, humano cruore intincta: nemora, latrocinia: diuturna quies, fluctibus oppressa est ruina: eius pulcherrima facies, truculentum, triste, ac formidolosum subiacet spectaculū. Atq; houi Euangelij fructus. Volunt interim tot cædes, tot crimina, tot miserias, tot furores, tot cruenta & tragica flagitia, amplissimo Euangelij velo, & vnico Reformatæ Ecclesiæ vocabulo à nobis Ministris commenda vel obtegi.

## CONVITIA Caluinianorum aduersus veteres & Sanctos Patres.

Existimo autem rem in primis exequendam, petulantioris linguæ spurcissima in sanctissimos Patres Ecclesiæ Doctores cuomere conuitia: aptissimum aduersus magnum, & ab omnibus pia cordatione excolendum D. Hieronymum, quem cum Iudæi ob singularem eruditionem suspiciunt atq; irantur, Eum Ministri nostri vocant *hominem incantem, furiosum, rabidum, mente captum, sibiq; repugnant, sacræ scripturæ euersorem, cùm stultas, infelices, & manaticas opiniones nititur adserere.* Ab Euangelica certè modestia omnino est alienum, virum tantis tot e donis Spiritus Sancti insignitum rursum appete *hominem impium, falsum Christianum, idololatrdoctorem, non sanctum, sed æquè damnatum atque diabol.* Hæc sunt honorifica per Genecuanos huic Sanctisno Patri attributa

*Scuto fidei Dialog. 6. 7. & 8.*

cognomina; & maximè in libro, quem firmissimum fidei nostræ volunt esse Scutum aut Clypeum. Præ cæteris meo quidem iudicio, errarunt Caluinus & Beza, Hieronymum nusquam fere citantes, nisi vt carpant, flagellent, & dentibus lacerent, vtpotè, *quòd in scriptis sis malignum, peruersumque apertè demonstrauerit spiritum. Hominem esse obtrectatorem, maledicum, seditiosum, blasphemum, Apostolis iniurium, & impietate repletum.* Nec his modestior Melanthon, asserens, *eũ cõfirmare falsas & superstitiosas opiniones de traditionibus humanis, vituperare coniugium, contumeliosa oratione insectari nuptias, malè colligere sortas scripturæ sententias, ethnico more concertare conuitij sexus muliebris & coniugij, scurrilia conuitia iacere in Dei ordinationem, laudare ritus sine verbo Dei institutos, esse & multos in scriptis Hieronymi non exiguos lapsus.* Credo quidem, nec vana fides, Lutherũ maligno spiritu impulsum, cùm aduersus hunc fidelissimum Domini faulum inflato debacchatur animo: *Impia & detestanda vox est Hieronymi. Quin te Hieronyme, conculcamus, vnà cũ Bethlehem, cucullo, & deserto?* Et iterum: *Hieronymi impia & diabolica vox est.* Iterumq; in colloquijs mensabus à Ioanne Aurifabro collectis, aiebat: *Hieronymus nusquam veræ fidei ac religionis meminit, nec etiam deberet ter Doctores Ecclesiæ numerari: nullum maiori odio prosequitur quàm Hieronymum, quoniam ieiunium & abstinentiam vque prædicat & castitatem,* &c.

Harm. in 19. Matth.
Annot. in 23. Act.
Com. in 14. Rom. 1544.
Argentorat.
Com. in c. 22. & 31. Genes.

Nihilo plus modesti sunt in eius familiarem & amicum Augustinum, quem Caluinus nuncupat *Theologastrum, nugacissimas blateratem nugas, quòd* τὸν λόγον *latinè reddiderit verbũ:* simulq; acuta, erudita & pia eius Commentaria cit esse *falsa, profana, inepta, absurda, plusquã anilia delirata, efficta fabularũ insomnia, allegorias pueriles & frigidas, hominem in omni doctrina varium et inconstantem, quem crepitæ vetulæ emoueant desideria.* Nec melius de eo sensit Melanthon, quando scripsit. *Interdum in eius scripturæ orationis occurrunt non satis explicatæ aut commodè: nec satis assuefactus fuit ad accuratas disputationes, & ideones de purgatorio, qui huius ætate percrebrescere cæperunt nec refutat, nec confirmat: plus tribuit vetis quàm conueniat: non satis considerauit quid vitij in*

Com. in Io. c. 1. 6. 11. 3. 15. 20. Instit. l. 3. c. 20. sect. 20.
Com. in c. 14. ad Ro. 1544.

vetis

*votis fuerit, vincebatur enim vulgaribus opinionibus sui seculi.*

Eadem intemperie inuehuntur in venerabilem illum Mediolanensium Antistitem Ambrosium, *quem diabolica illusum malitia dicitant*, cuius admirabilem deberent potius admirari constantiam, qua infandos Arrianorum impetus pertrusit, & à grassante huiusmodi peste eximiam Europæ partem liberauit. *Scuto fidei Dialog. 6.*

Multo minus Christianum esse censeo antiquissimos Patres Damascenum, Epiphanium, Cyprianum Martyrem, & Tertullianum grauissimum huius magistrum, *dementes, impuros, inanes, stolidos, insulsos fuisse acclamare: indignos cui fides adhibeatur. qui solent scripturarum corticem delingere, & sacras paginas deprauare; desipere, delirare, ineptire.* Horum vltimum vult Melanthon, *ridiculè argumentari: ludere de regno Sanctorum: Iudaica deliramenta in Ecclesiam inuehere: durissimè declamitare de consuetudine habenda pro lege, vt confirmaret ingentes errores: quapropter eius enarrationes & disputationes non recipiendas esse.* Cyprianum autem *inter declamandum effundere interdū absurdas sententias, & immoderatis hyperbolis exaggerare causam quam instituit: multa continere plena absurditatis: quapropter ipsius dicta pro dogmatibus habenda non esse.* *Scuto fidei Dialog. 11.* *Com. in 14. Rom.*

In istis nulla supereſt modestiæ particula, quandoquidem magnum illum ac percelebrem Theologum Nazianzenum, *Dei perpetuum sustineāt inimicum, quiq; ignorauerit, quæ propria manu consignasset*: Melanthonis autem præpostero iudicio, *fictas narrat fabellas: & vnà cum Basilio errores traxit suorum temporum: malo exemplo instituerunt cœtus monachorum: & quidam libri eorum sunt pleni falsarum opinionum de cœlibatu, & continent ridiculas nugas.* *Scut. fidei Dialog. 8.* *Com. in 14. Rom.*

Accusant doctissimum Præsulem, & antiquissimum Episcopum Lugdunensem Irenæum Martyrem, *numquam sacras perlegisse scripturas: nec intellexisse Apostolorum symbolum: sed et multa in Christum protulisse pestifera, nefaria, & ab omnibus reijcienda: multa temerè commutasse, & à vera Apostolicaque doctrina turpissimè deflexisse*: quæ maxima & impudentissima esse facilè deprehendet, totoq; pectore detestabitur, qui vel à limine libros tanti viri saluta uerit. *Scut. fidei Dialog. 8.*

Cent. fidei Dial. 11. Ex eadem officina prodeunt eorum peruulgata in Dionysium Areopagitam Diui Pauli auditorem, Timothei condiscipulum, toties à Græcis Patribus probatum, & summis laudibus exornatum, maledicta, *quem in effingendis mendacijs, & vanis somniorum portentis audacem & insolentem fuisse ausi sunt proclamare*. Insuper, Philip. 4. Diuum Clementem, Pauli Apostoli cooperatorem, Petrique successorem, *diabolico contagio infectum, & superbia animi obcæcatum nebulonem* dictitare non exhorruerunt. Et Melanthon de beatissimo Areopagita scribit: *In eo sunt initia monachatus, quod graui reprehensione dignum est, quod non discernit inter Sacramenta diuinitus instituta, & humanas traditiones.* Com. in 14. c. Rom.

*Chrysostomus*, ait idem, *multos ætatis suæ vitiosos mores recensens, non reprehendit: sicut laudat adeuntes monimenta Sanctorum. Monastica immodicis & falsis laudibus ornat: eius enarratio est obscura, nec vbique secum ipsa consentit: longius excurrit extra septa. Scriptum eius de pœnitentia pleraque falsa continet, & confusum ac perplexum est.* Ibidem,

Et vt finiam, idem sublato omni pudore, sanctissimum Pontificem Gregorium traducit, *quòd ethnico more ornauerit statuas: magnæ impietatis confirmauerit initia: in Ecclesias alienas sibi imperium sumpserit: impiè distraxerit coniugia: iniustus aduersus eos qui infantes è monasterijs abstrahebant fuerit: mortuorum spectris motus sit: lapsus denique sit in manifestam impietatem & tyrannidem*, &c. Ibidem.

In his sanè maledictis ac calumnijs Ministri nostri non imitantur Domini nostri summam illam mansuetudinem animi, tantopere commendatam, vt qui dixerit fratri suo Racha, reus sit gehennæ ignis. Sancti Apostoli & Discipuli non huiusmodi conuitijs afficiebant gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, ac omni copiarum genere abundantes, cùm idolorum cultum ex eorum pectoribus euellebant, & in ijsdem semina pietatis frugifera inserebant. His certè abstinebant conuitijs ac impostoris inclyti Martyres: qui diligebant inimicos suos, & orabant pro persecutoribus. quo pacto facilè est intelligere eos diuino numine afflatos, sæua tyran- Matth. 5. & 11. Matth. 5.

norum

norum ſupplicia exquiſitaque tormenta ſuperaſſe: primi verò doctrinæ noſtræ Miniſtri omnino repugnantem his exemplis edocent & exornant diſciplinam. V- *Matt. 7.*
naquæque arbor à fructu ſuo dignoſcitur; liquidam *Luc. 6.*
fontis aquam indicant liquidi, qui ex eo proſiliunt, ri- *Mar. 3.*
uuli; & oratio mentis interpres explicat tacitas animi *Pſal. 93.*
latebras, & inuoluta euoluit conſilia. Cùm autem me *Act. 10.*
mea conſcientia diſpunctim vehementius demor- *Apoc. 22.*
deat, ſi in viros vita functos, & rebus præclarè geſtis egregios, diſperſa inclementer conuitia diſſimularem, non ambigo quin ex hac re aliquid mali mihi quidem eueniret. Nec dubium eſt Deum vltionum Dominum, iudicem viuorum & mortuorum breui ad iudicium eſſe venturum, qui cùm verbum prohibuerit otioſum, *Matth. 12.*
ſempiternis cruciatibus ac ſupplicijs atrociſſimas iniurias in ſeruos ac fideles amicos pronunciatas meritò & iuſtè coercebit. Si ſanguinem lacerati corporis hu- *Geneſ. 4.*
mani non dimittat inultum, ſi clamantem ad ſe iuſti *Geneſ. 9.*
Abelis cruorem exceperit, tot mendacia in venerabiles Patres emiſſa profectò non relinquet impunita. Certa porrò & manifeſta cùm ſint hæc omnia, qua poterimus fiducia tam maledicorum miniſtrorum amplecti tuerique doctrinam? Id me diu multumque turbat, contorquet, & ſubductis diligentiſſimè expenſiſque calculis, me non parum ab illorum ſectis, cõmunione, & libris alienum efficit.

## DISSENSIONES Miniſtrorum Geneuanorum & Anglicorum.

Augetur verò iniectus mihi ſcrupulus multò plus quam ſignificare verbis aut dicendo cõſequi poſſim, quoties pro expectata conſenſione & concordia, inuenio pluſquam ciuilem, in varias partes diſiunctam, & prorſus diſſentaneam omniũ rerum diſſenſionem, & per ſumma religionis noſtræ capita repugnantem inter nouos Doctores noſtros diſciplinam, non modò in ſignis & ceremonijs, ſed quod peius eſt, in numero, eſſentia, & effectu Sacramentorum, vtriuſque Teſtamenti librorum, necnon alijs præcipuis fidei Chriſtianæ articulis. Omnes quidem Miniſtri vno eodemque conſenſu aduerſus Papam conclamant,

accepta à Patribus nituntur delere instituta; sed dum nouam tradere parvulis excogitant & moliuntur religionem, multo grauius implicati laborant, quàm qui olim superbum Babelis ædificium in cælos erigere tentauerunt. Anglicani ministri, qui propius ad nostram Geneuanam confessionem accedunt, cum expresso Reginæ & supremæ curiæ imperio strictissimè iubent festa Natiuitatis, Circuncisionis, Epiphaniæ, Transfi-

*Gen.* 11.

*Lib. precum public. in Eccles. Anglic.*

1. gurationis, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, atque etiam nominis IESV celebrari: addunt his Conceptionem, Annunciationem, Visitationem, & Purificationem intemeratæ Virginis Mariæ: Inuentionem sanctæ Crucis, & eiusdem Exaltationem: Natales duodecim Apostolorum dies, sacra solemnia Michaelis, Ioannis Baptistæ, Stephani, Innocentium, Gregorij, Ambrosij, Augustini, Hieronymi, Martini, Annæ, Agnetis, Agathæ, Magdalenæ, Margaretæ, Luciæ, Cæciliæ, imò & Sanctorum omnium Calendis Nouembris festum, religiosè ab omnibus obseruari: nos autem Caluini & Bezæ dogmata sequentes, hæc omnia vt idololatrica damnamus, & propria authoritate reijcimus. Insuper, ex nostro Calendario Gallico Sanctorum omnium expuncta sunt nomina: & horum occupant locum Pharaones, Nabuzardani, Herodes, Neroues, Maometi, Solymanni, Hussi, VVicleffi, Lutheri, Zuinglij, Buceri, Melanthones; quos vniuersus ferè mundus improbat, & vt fœdissimos hæreticos diffu-

2. git. Illi in Calendarijs Anglicanis, detracta felicis Natiuitatis Deiparæ cõmemoratione, Elizabethæ Principis suæ ortũ impurũ incredibili superstitione celebrant:

*In Excitatorio matutino Gallico.* Ministri nostri contrà in libellis suis eam vocant *Herodiadem, imbecillam, degenerem, frigidam, fraudibus ac periurijs delibutam, religionis expertem, pietatis despicatricem, antiquam Gallorum ruinam, & immortales inimicitias nobiscum exercentem: quæque Reges nostros sustinet esse tyrannos, perfidos, crudeles, improbos, quibus acerbissimæ necis turpissimum multoties festinauit apparatum.*

3. Illi ieiunia à veteribus in peruigilijs Apostolorum, aliorumque cælicolũm præscripta seruant: nos cum Caluino affirmamus nulla à nobis ieiunia requiri, eadem esse superstitiosa,

hypocri-

hypocritica,& Papiſtica: quinetiam conſtanter negamus Dominum Quadrageſimale ieiunium ſeruaſſe, *vt exemplum abſtinentiæ relinqueret*. Illi volunt templa & ſacella priſtinam retinere formam, & ſedilia in choris ſuperſunt integra: quæ nos diruta, effracta, funditus euerſa, & proſtrata expilamus, & conflagramus pari ſæuientis furoris vehementia, qua Chaldæi quondam Ieruſalem, Diocletianus Chriſtianorum, Turcæ Græcorum & Latinorum magnificas vaſtarunt Eccleſias. Illi oblongis & demiſſis veſtibus induti, & ſacerdotalibus ornamentis conueſtiti, ſuas in templis incipiunt preces Matutinas per verba ab antiquis Chriſtianis vſurpata, *Domine, labia mea aperies. Venite exultemus Domino, &c.* quibus addunt varias Lectiones: ſubiungunt, *Te Deum laudamus &c.* & has finiunt per canticum, *Benedictus Dominus Deus Iſrael*: ad Veſperas, *Deus in adiutorium, Magnificat, Nunc dimittis, &c.* concinunt, vulgato fateor ſermone: nos verò nullũ neq; Latinum, neq; Gallicum hiſce de rebus ſacris facimus verbũ. Illi publicas Litanias inſtaurant diebus Dominicis, Mercurij, ac Veneris, ſanctiſſimam inuocantes Trinitatem, exclamando, Sancta, beata, & glorioſa Trinitas, tres perſonæ, vnus Deus, miſerere nobis peccatoribus: anteſignani verò Miniſtri noſtri Caluinus, Beza, Muſculus, Danæus, id *contaminatam, periculoſam & barbaram ſuperſtitionem nuncupant*. Illi Cœnæ Dominicæ initio, publica peccatorum confeſſione ſeſe exonerant: decantant, *Gloria in excelſis Deo, &c.* Euangelium in Eccleſia Romana conſuetum: Symbolum Nicenum: Præfationem, cuius eſt initium, *Per omnia ſecula ſeculorum, Surſum corda, Gratias agamus, Verè dignum & iuſtum eſt, Sanctus*, proferunt: & illa ex canone Miſſæ verba, *Qui eanocte, qua tradebatur, accepit panem*, & cætera in Miſſali libro Romano contenta: denique panem Cœnæ flexis genibus deuexi ac deuoluti excipiunt. Nos primipilos noſtros inſequuti, illos ritus vniuerſos deſpicimus, abominamur tanquã notas Antichriſti, fœdiſſimamque idololatriam. Illi dum infantes ſacro intingunt baptiſmo, antiquam retinent Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem Exorciſandi, & Abrenunciandi Satanam, Catechiſandi interro-

*Har. in ca. 4. & 6. Matth.* 4.

5.

6.

7.

8.

gata

gata & responsa de fidei Christianæ articulis; Fideiulsores (patrini vulgo dicuntur) adhibent; paruulos exuunt, immerguntin aquæ fontem, & frontibus crucis Christi signant imagine: postremò adductos ante mensam Dominicam, super eos sacrum legunt Euangelium. Nos hæc omnia sapientissimè à maioribus tradita, & vbique locorum hactenus religiosissimè obseruata, quasi vna litura Geneuæ editorum Catechismorum deleuimus. Illi nullum, nisi Episcopi manuum impositione Confirmatum, & cruce consignatum, ad sacram permittunt accedere Communionem: nos & in crucis figuram expuimus, & ne Confirmationis, aut Episcopi quidem nomen audire sustinemus. Illi dum nubentes coniungunt, ab vtroque hæc verba exigunt, *Accipio te in meam*, *Accipio te in meum*; *Hoc annulo te spondeo, potestate corporis mei te honoro, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*: deinde pronunciant, *Quos Deus coniunxit, homo non separet*; recitant, pro veteri more, Psalmum, *Beati omnes qui timent Dominum*, &c. *Kyrie eleyson, Christe eleyson*, &c. *Pater noster*. Nouo autem nuptiarum vinculo copulati ante mensam Domini genua ponunt, Euangelium audiunt, ad Communionem accedunt &c. at inter nos exoleta hæc subiacent omnia. Illi dum aliquem morbo oppressum, aut difficiliori ægritudine collapsum adeunt, domum ingressi; *Pax huic domui*, *Ne reminiscaris*, &c. *orationem Dominicam*, *Symbolum Apostolicum* distincta clataque voce pronunciant; submissam & secretam audiunt peccatorum Confessionem; Absoluunt ab illis sub hac recepta formula, *Absoluo te ab omnibus peccatis tuis*: illis singulariter Cœnæ panem deferunt. Nos homines omnium nequissimi, Geneuensi doctrinæ annuentes, morbo præpeditos his armis & auxilijs spoliamus amicos. Illi cùm mortuorum cadauera ad sua exportant cœmeteria, concinunt, *Ego sum resurrectio & vita*, &c. *Scio quod Redemptor meus viuit*, &c. *Homo natus de muliere*, &c. *Audiui vocem*, &c. *Kyrie eleyson*, &c. nos pro suggestis denunciamus ea omnia esse hominum excæcatorum inuenta. Illi Anglicanæ Ecclesiæ caput imbellem volunt esse fœminam (quam

tamen

tamen ab omnibus officijs, ciuilibus & publicis Iura remouēt)Reginā nempe,cui in negotia Ecclesiastica, & Ministros, ac Episcopos suos summam permittunt potestatem: quod si quis contrarium scribere, defendere, aut aliquo pacto innuere tentaret, crimen Maiestatis grauissimum continuò subiret. Nos post Caluinum, Vermilium, Bezam, defendimus Christum sic vnicum Ecclesiæ caput esse, vt quisquis aliud proposuerit, tametsi vicarium aut secundarium, ille execrabili sacrilegio nitatur æternum Dei Filium de suo submouere throno, atque Ecclesiam eius reddere horrendo ac bicipiti monstro similem. Illi suos habent adhuc Decanos, Archidiaconos, Episcopos, Archiepiscopos, alioscj; Ecclesiastici ordinis officiarios: nostri verò religionis authores ac ministros omnes in Scotia, Batauia, Zelandia, Frisia, Heluetia, Sabaudia, Palatinatu, & Gallia, vbicunque superiores euaserūt, veluti putida membra inutilia que sarmenta omnino resecarunt. Illi die nocteque Catholicos diuexant, ad audiendas conciones suas pertrahunt, renuentes in vincula conijciunt, distorquent, plagis lacerant, crucibus suspendunt, colligatis membris dispungunt, viuos ex patibulis demittunt, pudenda amputant, exenterant, & adhuc palpitātia euellunt præcordia, caque rosta, auibus, feris, canibus apponunt deuoranda: extracta viscera in feruentem aquam ingerunt, in quatuor partes corpora dilaniant, & priscis persecutoribus inaudita supplicia in eos consumunt, qui acceptam à Patribus religionem cupiunt obseruare atque retinere. Nos contra per vniuersam Galliam libellis, colloquijs, Synodorum edictis, atque concionibus, confirmamus vniuscuiusque liberam, in qua libuerit vitam agere religione, oportere esse conscientiam. An non ergo necesse est, aut nos, aut illos, mendaces, impostores, hæreticos, atque Antichristi procuratores esse ac ministros, cùm tam disiunctam tamque contrariam habeamus de religione sententiam?

*L. Fœminæ ff. de regulis iuris l. 1. §. 5. de postulando l. 12. §. 2. de iudicijs. Et l. 18. Cod. de procuratoribus.*

14.

15.

DISSEN-

## DISSENSIONES Miniſtrorum Lutheranorum & Caluinianorum.

Vnum adhuc ſupereſt, quod me vehementius permouet, ac meam exagitat acerbius cõſcientiam, quandoquidem video doctos illos Germaniæ Miniſtros, quibus acceptam referimus doctrinam, vt ab illis inuentam, nobiſque traditam, noſtras velut impias & erroneas reijcere ſententias, dexteras ſocietatis recuſare, quin etiam cœtus noſtros pro hæreticis, & omni Chriſtiana cõmunione ſubmouendis habere. A nobis omninò diſſentiunt, de reali præſentia, maieſtate, communione, & veneratione corporis Chriſti in Cœna: de incarnatione, natiuitate, vtilitate paſſionis eius: de numero, formis, effectibuſque Sacramentorum: de prædeſtinatione & reprobatione: de diuina Patris, Filij, & Spiritus Sancti eſſentia, omnipotentia, prouidentia, bonitate, ſapientia, veritate, adoratione, inuocatione; deque alijs præcipuis doctrinæ ac religionis Chriſtianæ fundamentis. Nec vana conſcientiæ meæ
1. commotio, aut abs re perturbatio. Etenim Lutheri, Melanthonis, Alberi, Marbachij, VVeſtphali, Illyrici, Heshuſij, Brẽtij, Memmingi ſcripta aduerſus Zuinglium, Bullingerum, Vermilium, Caluinum, Bezam, Boquinum (quos appellãt hæreticos, Sacramentarios, Dominici teſtamenti fallaciſſimos deprauatores, proditoris Iudæ æmulos, & de grege Epicureorum porcos) declarãt manifeſtè nos ab ipſis plurimum diſſen-
2. tire. A confeſſione Auguſtana, VVitẽbergenſi, Manſfeldenſi, Pomeranenſi, Saxonica, Tranſſiluanenſi, diſtant omnino vniuerſæ Cõfeſſiones, quæ noſtris nominibus ediræ circunferuntur. Nicolaus Amsdorfius
3. & Simon Muſeus ex ſententia aliorum quinquaginta Miniſtrorũ, qui ex Saxonia, Thuringia, Miſnia, Franconia, & Mansfeldia in ſynodum Ihenenſem, anno Dom. 1561. conuenerant, generali conſenſu Caluiniſtas anathemate damnarunt, *quòd ſacroſanctum teſtamentum Filij Dei peruertant, illudantq; verborum præſtigijs.*

*Supplicatorio libello ex Erfeldia.*

4. Brentius quoad vixit, doctrinam Caluini, Bezæ, Bullingeri & Vermilij, vt nefariam & impiam verbis & ſcriptis

scriptis insectari non destitit. Agens autem animam, vixque extremũ in faucibus retinens spiritum, cunctos Germanos Principes, Lutherique sectatores iureiurando obstrictos polliceri curauit, quicquid in his esset roboris atque neruorum intẽderent, vt Sacramentarios, veluti pestes longè lateque grassantes, patriæ nefaria molientes, & bellorum ciuilium ac seditionum faces exterminarent, & ex suis finibus eijcerẽt: alioqui perexiguas imperij Romani reliquias breui tempore perituras iudicabat. Brentius filius, Tubingensis Minister, libro à se non ita pridem edito, non solùm calumnias Sacramentariorum contundit, sed & horum argumenta, vt inanes nebulas, dispellit; Caluinianamque de Cœna doctrinam, veluti perniciosam, & à tetro dæmone machinatam conculcat & reijcit. Iacobus Andreas, non multos annos antequam efflaret animam, edidit *Admonitionem de crimine stellionatus Caluinianorum*: deinde, alium emisit librum, ita quidem inscriptum: *Refutatio blasphemæ Apologiæ Lamberti Danæi*: nos vnà cum illo pro viris blasphemis, & in Deum contumeliosis existimans. Præterea, *in Refutatione disputationis de Cœnæ materia*, quanta pronunciat anathemata aduersus dogmata Geneuensium & Tigurinorum? Infandis blasphemijs & impietatibus totam accusat turbam nostram, in declamatione inscripta: *Oratio de incarnatione Filij Dei contra impios & blasphemos errores Zuinglianorum & Caluinistarum, &c.* Ecce pulcherrimum magni Germaniæ doctoris de nostris iudiciũ. VVilhelmus Holderus eandem de Caluinianis habet opinionem; quippe qui aduersus nostram doctrinam singulis prope annis nouos euulget libellos; vt non ita pridẽ eum, quem per antiphrasin *Candorem Caluinianum* nominauit: alterumque *Cuculum Caluinisticum* appellauit, in quo multis argumentis contendit, nos veluti Cuculos in alienis parere nidulis, ouaque propria alijs tradere excludẽda, tandemque nostram iugulare matrem. Ex eius officina prodijt *Prodromus Labyrinthi Sacramẽtarij*: &, *Asinus auis*, in quibus damnãdo errores nostros vt impios, & à patre mendacij profectos, asinis efficit nos similes, qui ridicula transformatione in aues se cõuerterent: & relicta

5.

6.

7.

ſtupiditate, in ſublimia cœlorum conuexa efferre ſe
8. contenderent. Eodem tempore Ioannes Moſellanus Gaylndorfij miniſter peſtiferos nos exiſtimauit, cùm ſcripſit & publicauit, *Præſeruatiua contra venenum Cinglianorum & Caluinianorum.* Andreas Poncherius nos mul-
9. tis conuictos blaſphemijs contra duas Ieſu Chriſti naturas, & earum vnionem, eſſe ſignificauit, libello inſcripto, *Theſes oppoſitas blaſphemæ diſputationi tertiæ Clebitij Geneuæ* 1583. *impreſſæ.* Philippus Nicolaus Vueſtphalię Miniſter in libro, cui nomen eſt, *Fundamentorum Caluinianæ ſectæ cum veteribus Arrianis & Neſtorianis communium detectio,* nititur efficere neminem poſſe Geneuana noſtra religione teneri, niſi impias Arrianorũ & Neſtorianorum ſimul defendat aſſertiones: quinetiam cæca quadam & tacita conſpiratione errorum, tãdem in execrandum totam Europam alliciemus Maometiſmum, quo Aſiam & Africam infecerunt Arriani &
11. Neſtoriani. Tilemãnus Heshuſius in Saxonia Miniſter mordacibus verbis noſtram improbat ſectam, eiusque ſolidiora dilucidis rationibus euertit fundamenta, *in Adſertione teſtamenti Ieſu Chriſti contra blaſphemam Caluiniſtarũ exegeſim.* Idem libro de prẹſentia corporis Chriſti in Cœna aduerſus Caluinum, Bezam, Boquinum, & Clebitium, addit *Collectanea plurimorum & grauiſſimorum errorum Caluini, contra Deum, eius prouidentiam, potentiam, & prædeſtinationem.* Deinde nos coarguit, quod non minus impiè, quàm turpiſſimè, conſentiamus cum Pelagianis & Anabaptiſtis, in eo libro quem vocat, *Refutationem Pelagiani ſeu Anabaptiſtici Caluiniani er-*
12. *roris, de baptiſmo & peccato originis.* Memmingus Bremę prædicans, nos coarguit, quòd deprauamus ſacroſancta Filij Dei verba, in ſcripto, quo oſtendit, *Quomodo verba Cœnæ Domini Sacramentarij inuoluant & peruertant.*
13. Nos Deo & hominibus inuiſos reddunt VVitebergicę Theologiæ pfeſſores, ſcripto à ſe dicto, *Solida refutatio compilationis Cinglianæ & Caluinianæ, quam illi Conſenſum orthodoxum ſcripturæ & veteris Eccleſiæ de controuerſia Sa-*
14. *cramentaria appellarũt, & aliquoties recoxerũt.* Quàm acerbum & fortem aduerſarium in nos exacerbatum, Federicum Petrum Brunſuicenſis Principatus aluit, qui

libris

libris editis scribit, *Nos grauiter peccare contra vnionem Hypostaticam, proprietatum communicationem, realem manducationem, & adorationem Domini nostri Iesu Christi?* Du- 15.
rissimum quoque nobis indicit in Hassia bellum circa personam Christi, eius proprietates, duplicem in eo substantiam, & Diuinam eius maiestatem, huius prouinciæ ministrorum supremus, in libro de his aduersus nos nuper edito. Rursumque in eadem regione 16.
aduersus nos pugnat Basilius Salterus, quæstionibus propositis & promulgatis. Zacharias Riuander VVitebergicus, libro quem *Lupum excoriatum* nuncupauit, 17.
vult nos eos esse lupos pellibus ouium tectos, quos Do- *Matth.7.*
minus iubet esse diligenter fugiendos. Lucas Osiander 18.
in *Admonitione Christiana & fideli, scripta ad Ecclesias, quæ sunt in Gallia*, suos edocet, vt in materia Cœnæ Dominicæ, plurimisque alijs capitibus fidei Christianæ, à nobis studiosè caueant. Acta colloquij Montisbelgar- 19.
tensis primùm Tubingæ, deinde Genuæ edita, in oculis omnium testantur citius calidum & frigidum, amarum & dulce, tenebras cum lumine, & mendacium cum veritate posse consentire, quàm possint Brentiani & Bezani, Sacramentarij & Vbiquistæ, Lutherani & Caluinistę inter se cohærere. Sed vt his finē imponam, 20.
VVigandus Erphordiensis, Clauigerus Bremensis, Hamelmanus Altenburgēsis, Schilterus Leypsicus, & alij innumeri Academiarum, rerumpublicarū & prouinciarum Germanicarum Prædicantes, qui perpetuas nobiscum exercent inimicitias, toti huic mundo manifestant, minus inter nos conuenire, quàm consueuerunt feræ, quæ per densissima nemora ferocissimè solent inter se depugnare.

## CAPITA doctrinæ ac fidei Christianæ, in quibus Lutherani à Caluinianis Ministris dissident.

Sed relictis personis, ad certa doctrinæ capita protinus me confero, in quibus nobis aduersantur, & propterea anathematibus nos configunt. Sustinent con- 1.
stanter & vbiq; veram realemq; corporis & sanguinis Christi in Cœna præsentiā: nos, secundum Caluinum

& Bezam, illã tantum ab eadẽ diſtare docemus, quan-
2. tum cælum à terra credimus eſſe remotum. Illi obnixè defendunt verum corpus & ſanguinem Chriſti verè ſubſtantialiterque adeſſe, diſtribui, accipi, & ore manducari in Cœna Domini, tã à bonis, quàm à malis: nos à Caluino & Beza diſcimus, illud ipſum eſſe prorſus impoſſibile, ſed hos cum Antropophagis & Sarcopha-
3. gis potius relegandos eſſe. Ex illis præſtantiores ac do-
Lutherus. ctiores volũt Dominum IESVM in Cœna præſentem
Chemnit. ſummo cultu venerandum & adorandum eſſe: nos id cenſemus deteſtandam artolatriam & idololatriam.
4. Credunt ac docent illi in huius myſterij inſtitutione nihil dici per metonymiam aut figurã, cùm typi figuręque ad ſolum vetus Teſtamentum pertineant: ex no-
Tom. 7 fol. 381. ſtris verò, etiam referente Luthero, Carlſtadius ex his ſacroſanctis vocabulis; *Hoc eſt corpus meum*, miſerè diſtorquet pronomen *Hoc*: Zuinglius verbum ſubſtantiuum *Eſt* macerat: Oecolampadius nomẽ *corpus* torturę ſubijcit: alij totum textum excarnificant, & inuertunt vocabulum *Hoc* ex primo in poſtremum locum: alij dimidiam partem textus crucifigunt, & vocem *Hoc* in medium textus collocant: alij textũ obtruncant: Vermilius, Caluinus, Beza denique hanc ſacratiſſimam Filij Dei ordinationem confictis à ſe metonymijs figu-
5. risque omnino deformãt & ſubuertunt. Hic agnoſcũt Omnipotentiæ Diuinæ miraculo fieri, vt idem corpus Chriſti adſiſtat, ſimulque recipiatur in multis locis: nos id, abſque vlla numinis reuerentia, vociferamus Deo prorſus impoſſibile, imò & in Deo negamus vllã eſſe abſolutam, legibusq; naturæ ſolutam poteſtatem.
6. Illi ſcribunt, hos fidei articulos, *Chriſtus aſcendit in cælos, ſedet ad dexteram Patris, inde vẽturus iudicare viuos & mortuos*, nihil omnino repugnare reali præſentiæ corporis eiuſdem Chriſti in Cœna: nos eidem omnino contra-
7. dicere vbique prędicamus. Illi profitentur Deũ omnes vt ſaluarentur condidiſſe: nos cum Caluino contra aſſerimus, eum maximam eorum partem creaſſe *deſtinatò vt perirent*.
8. Illi audiunt libenter & proponunt conſtanter Filium ac Spiritum Sanctum æterna emanatione Eſſentiam Deitatemque à Patre accepiſſe: nos eam

illos

illos à ſeipſis poſſidere docemus. Illi cuncta per diui- 9.
nam prouidentiam ſeruari regiq́ue profitentur: nos
*Deum nulla ſolicitudine aut cura malorum hominum tangi co-*
*tidie concinimus.* Illi peccata ſola Dei permiſſione fieri 10.
docent: nos Deo volente, impellente, imò & operan-
te tam dęmones quàm ſceleſtos homines peccare con-
tendimus. Illi viginti & tres duntaxat libros noui Te- 11.
ſtamenti canonicos habent: nos viginti & ſeptem.
Illi cum Luthero & Melanthone nunc tria, mox qua- 12.
tuor, interdum & quinque Eccleſiæ Chriſtianæ Sacra-
menta numerant: nos vix vnum & alterum admitti-
mus. Aſſerunt illi nos omnes in peccati originalis ini- 13.
quitatibus concipi & naſci: noſtra verò in Paulum
ſcholia, & Catechiſmi Caluiniani placita canunt, *filios*
*fidelium in vteris matrum ſanctos omnino eſſe.* Credunt illi 14.
ſanctum Baptiſmi lauacrum omnino ad iuſtitiam &
ſalutem neceſſarium eſſe: nos paruulos ſine eo iuſtos
& ſaluos fieri, ſi ante eius ſuſceptionem hinc migra-
uerint, conſtanter aſſerimus. Illi cùm vrget mortis pe- 15.
riculum, & in priuatis domibus baptizant, fœminis-
q́ue in neceſſitate baptizare permittunt: nos iſtud hor-
rendam clamitamus eſſe Sacramẽti prophanationem.
Conſtanter ſibi perſuadent Chriſtum hominem mirè 16.
natum, & ex vtero Deiparæ Virginis egreſſum, vt illic
diuinitus conceptus fuerat: nos cum Caluino, Vermi-
lio & Beza beatiſſimam Mariam cum doloribus, inqui-
namentis, effractionibusq́ue inſtar cæterarum fœmi-
narum p periſſe adfirmare nihil dubitamus. Illi Chri- 17.
ſtum hominem ſupremo cum Patre & Spiritu Sancto
cultu adorant, colunt, & ſuppliciter inuocãt: nos iſtud
inter ſuperſtitioſos & idololatricos Papiſtarum cultus
reijcimus. Aſſeuerãt Dominum pœnis in corpore ſuo 18.
perpeſſis, ſuo ſanguine, & in cruce acerbiſſima morte,
cuncta totius mundi peccata eluiſſe: nos è contrario
Caluinus compellit & credere, & vbique proclamare,
*nihil eum pro nobis feciſſe, ſi corporea tantùm morte obijſſet.*
Palam adfirmant eundem clauſo obſtructoque adhuc 19.
ſepulchro, in vitam ad ſuos redijſſe; obfirmatis inſu-
per feneſtris oſtijsq́ue ad diſcipulos in Cœnaculum in-
troijſſe: nos quiduis aliud imaginamur & commini-

20. ſcimur potius, quàm id verum eſſe confiteamur. Et ne ſingula, quæ nobis cum illis ſunt de ſummis religionis Chriſtianæ capitibus diſſidia percenſeam, illi adhuc in ſuis templis, in Chriſti perpeſſi memoriã, eiuſdem de cruce pendentis effigiem imaginemque palam retinent: nos in eam, vbicunq; datur, vt execrandum idolum, conſpuimus, & debacchamur, &c.

Quare neceſſe eſt, aut nos, aut illos prodigioſis mendacijs ac impoſturis animas eorum eludere atque ſeducere, qui noſtras, aut illorum conciones audiunt, aut libros euoluunt. Quibuſnam enim fidem adhibebunt piæ mentes, ac de ſalute ſua ſollicitæ, vt pacatam & liberam habeant conſcientiam, certamque & exploratam eiuſdem ſalutis ſuæ rationem? Seſe etenim, vt & nos, illi iactant ac efferunt credere, docere, & in omnibus obtemperare ſoli ac puro verbo Dei: habere ſe veram, & omnibus abuſionibus repurgatam Eccleſiam: legitimam veramque Sacramentorum adminiſtrationem: extra ſuos cœtus nullis exiſtimãt aditum in regnum cœlorum patere. Si dixerimus, illos adhuc veritatẽ ignorare: reſpondent, ſe eam cognouiſſe, prædicaſſe, & conſeruaſſe multo prius & melius quàm cæteri quotquot ſint populi. Si in Hebraicis Græciſque literis peritiſſimos gloriemur eſſe magiſtros: illi exiſtimãt nos non poſſe minimos eorum iudicari diſcipulos. Si Martyres noſtros in medium adducamus, facilè vincimur, quando ſi vnum à nobis audiunt, continuò decem obijciũt. Si dicimus eos cæcutire, reſpondent nos penitus cæcos eſſe. Si autumauerimus illos diſcipulos & auditores ſuos fallere, reſpõdent nos turpiſſimè noſtros ſeducere. Si eos contumaces & inſanos iudicemus, reclamant nos incredibili ſuperbia furere, & nouandarum rerum inuſitata cupiditate flagrare. Poſſent ne facilius amarum cum dulci, cum terra cœlum, & cum lumine tenebræ commiſceri; quàm tam acriter pugnantia & cõtradicentia concordare? aut inter tam varia religionis præcepta, Spiritus Sanctus pacis & vnitatis largitor inueniri? Nunquam id mihi perſuaſero. Quò igitur me vertam, vt veram fidem inueniam, amplectar, & ſaluti meæ conſulam? Te igitur,

Pater

Pater cœleſtis, te ſummis precibus proteſtor, qui vis omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, 1. Tim. 2. vt me lucido Spiritus tui radio illumines, ac in eum locum & cœtum perducas, vbi omnia ignorantiæ meæ vincula poſſim diſrumpere, & quę ignoro cognoſcere. Id autem facilè conſequi poſſem pacata & Chriſtiana quadā diſputatione cum aliquo pietatis & pacis amante viro, quique non modò ſacrarum literarum, aut veterum Theologorum, ſed & recentiorum omnia diligenter euoluiſſet volumina. Intellexi quendā Doctorem nuper in hanc terræ plagam appuliſſe, in his maximè verſatum, & harum controuerſiarum diuturna exercitatione clariſſimum. Vtinam, iterum autem vtinam, mihi obuiam ille veniret, cum quo priuatim de his colloquerer, & pectoris mei pondus in eius ſinum tutò poſſem effundere. Age, neſcio quid profectò mihi animus præſagit boni. Is certè, is eſt, qui ea ſeſe recreat vmbella. Eum ergo quicquid ſit nunc conueniam:

Salue Domine Doctor. DOCTOR. Precor Deum maximum, vt ſuam tibi impertiat gratiam. MIN. Quid hic boni agitas & cogitas? DOC. Longiore ſtudio grauatus, volebam pauliſper meditari. MIN. Quæſo mecum comiter ac benignè ſic agas, vt quicquid boni agitat animus, mihi non dedigneris aperire. DOCT. Faciam libenter, nihilque reticebo, modò prius qui ſis dixeris, & quam ob rem id à me requiras.

MIN. Sum equidem in Domini Caluini ſchola eruditus, Bezæ ſucceſſoris eius condiſcipulus, atque verbi Miniſter, in ea Eccleſia, quæ à noſtris appellatur Reformata: nihilominus pacis magnopere ſtudioſus; nec mihi aduenit vnquam aliquid iucundius, quàm perpetuam videre inter nos cōcordiam, atque conſentaneam in doctrina Chriſti voluntatem. Verùm, nuper apud me attentius perpendens, quàm multiplicia horrendaque Authores noſtræ reformationis euomant in omnes Catholicos conuitia; quantasque aduerſus legitimos Reges ac magiſtratus deſignauerint rebelliones, ſeditiones, obſidiones, cædes, vaſtationes; deinde reuoluens iniurias ab eiſdem in ſanctos Dei ſeruos diſ-

ſeminatas; poſtremò repugnantes inter Miniſtros Eccleſiæ noſtræ primarios de ſummis doctrinæ Chriſtianæ capitibus, ſalutisque humanæ præcipuis fundamentis ſententias; in varias & ancipites cogitationes diſtractus eſt mihi animus: nec quid teneam, ſat ſcio. De his quid ſentias, velim ex te audire: ſi modò tibi eſt otium, & velis.

DOCT. Ante aliquot annos, accepta & impetrata venia, Miniſtrorũ in veſtris ſectis clariſſimorũ libros non ſegniter euolui. In his tot tamque turpes hæreſes, ſecumque & cum veritate pugnantes ſententias & blaſphemias aduerſus Diuinam Eſſentiam, Trinitatem, Deique ſapiẽtiam, bonitatem, veritatem, ſanctitatem; aduerſus incarnationis Chriſti myſteria, fructus ac vtilitates; aduerſus Spiritũ Sanctum, & eius in Eccleſiam Catholicam officia; aduerſus ea quæ de Paradiſo, Purgatorio, ac Inferis pijs omnibus ad credẽdum piè propoſita ſunt, legendo & relegendo comperi, vt ad tãtos errores obſtupuerim, & ferè immotus diu multumque permanſerim. Tandem verò collectis viribus, vbi mihi redijt animus, harũ hæreſeon ordinem, numerum, & rationem perſcripſi; quaſdam inſuper perbreues refutationes addidi; partim vt Eccleſiæ Catholicæ auitã doctrinã aduerſus illas defenderem; partim vt eos pro virili ad meliorem mẽtem reuocarem, qui eam temerè deſeruerunt, & à fide recta naufragiũ fecerunt. De his rebus, cùm mihi occurriſti, profectò cogitabam. Nec graue mihi erit de his, & quibuſcunque volueris religionis Chriſtianæ capitibus tecum placidè cõferre, dum modò, vt dixiſti, velis mecũ pacatè & moderatè agere, à conuitijs veſtro gregi aſſuetis abſtinere, atque Diuino verbo, Conciliorũ, Patrumque, qui ab Aſcenſione Domini vſque ad quingenteſimum deinceps annum floruerunt, ſanctiſſimis decretis & interpretationibus te ſubijcere.

MIN. Iſta mihi perplacent. Nam vniuerſi illorum quinq; ſeculorum Patres vixerũt longè ante exorta inter nos diſſidia. Præterea, viri ſanctiſſimi fuerunt, quorum vitę ſingularis integritas, dona Spiritus ſancti clariſſima, raraque ſapientia efficit, vt credam facillimè eos in

eos in nullam hominum opinionem diuertere: sed potius veritati consentiendo, eandem cunctis huius mundi rebus anteferre. Hi fermè omnes aut assidui Apostolorum discipuli, aut Martyres sanctissimi, aut veræ Ecclesiæ Pastores, & Doctores fuerunt: certè omnes viua veraque membra Sponsæ Christi, quam iubemur sub æternæ mortis comminatione obaudire, & vt firmissimam veritatis columnam obseruare. Accedit ante actę vitę innocentia innumeris miraculis confirmata, deinde multiplici, & Spiritus Sancti irradiante lumine effusa in eorum animis omnium rerum scientia: quæ eos scripturæ sanctæ interpretes fidelissimos, Apostolicæ fidei ac doctrinæ testes locupletissimos, & nostrarum controuersiarum iudices idoneos meritò constituit. Hanc ob rem septem ex nostris præcipuis ministris, videlicet, Dilierus, Boquinus, Oleuianus, Dathæus, Vrsinus, Ehemius, Erastus, in colloquio Malbrunensi, cum totidem superioris Germaniæ ministris, præsente Federico Principe Palatino, & Christophoro Duce Vvitembergensi, magno consensu iurauerunt, sese admissuros Patres illos, veluti iudices arbitros omnium, quæ inter eos essent de religione dissidiorum. Nam ita, inquiunt illi, constituerunt pridem Melanthon & Bucerus in Colloquio Vormatiæ celebrato, vt est in actis eius Latinis, editis Heidelbergæ 1566. paginis 24. & 25. Quinetiam Caluinus fatetur *puram religionem synceramque doctrinam in omnibus Ecclesijs floruisse annos illos quingentos: & vsque ad tempora Diui Augustini nihil in eadem Apostolica doctrina immutatum fuisse, sed ab ipsis vsque Apostolis constanter & vnanimi consensu retentam.* Et rursum: *Nos*, inquit, *Nicenam, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem, ac similes priscas Synodos, quæ confutandis erroribus habitæ sunt, libenter amplectimur, reueremurque vt sacrosanctas, quantum attinet ad fidei dogmata. Nihil enim continent, quàm puram & natiuam Scripturæ interpretationem.* Alibi rursum inquit: *Eam doctrinam recipi, ac vigere cupimus, quam suo sanguine obsignarunt Apostoli & Martyres.* Rursumque ait: *Statue tibi ob oculos veterem illam Ecclesiæ faciem, qualem Chrysostomi aut Basilij ætate apud Græcos: Cypriani, Ambrosij, Augustini seculo apud Latinos extitisse,*

*Matth. 18. 1. Tim. 3.*

*Anno 1564.*

*Lib. 1. Instit. cap. 11. §. 13. & lib. 4. ca. 2. §. 3. Li. 4. Instit. ca. 9. §. 8.*

*In cap. 23. Mat. ver. 19. Ep. ad Sado.*

*tisse, ipsorum monumenta fidem faciunt*. Denique magni illi Germaniæ præceptores Illyricus, VVigandus, & Faber palam testificantur, *etiam quinti à Christo seculi Patres doctrinam de Deo vero contra hæreticorum corruptelas summa fide tradidisse & defendisse: Trinitatis doctrinam sanctè custodiuisse: Christi incarnationem summa fide tractasse, & cæt.*

*Cent. 5. ca. 4.*

*Confess. fidei punct. 1.*

Insuper, cum Theodoro Beza, *à teterrimis hæresibus Sabellij, Samosateni, Arij, Nestorij, Eutychetis, aliorumque hæreticorum, quos vetus Ecclesia damnauit, toto pectore & animo abhorreo*. Deum immortalem, æternum, omnipotentem, nunc iudicem habeo, testes Beatos Angelos, me omnia à veteri Ecclesia reiecta, in posterum respuere: execrari etiam vniuersa in libris nostrorum contenta, si possis probare sacræ scripturæ (quam antiquissimi Patres exposuerunt) tantisper repugnare: aut eorundem hæreticorum impios errores pauxillulum redolere. Est mihi amicus Caluinus, est & Beza: sed omnium amicissima veritas. Iam incipe quæso, & ea persequere, quæ in scriptis nostrorum aduersus Sanctissimæ Trinitatis professionem Christianam deprehenderis: me sedulum auditorem & collocutorem habes.

DOCT. Ad gloriam Dei sempiternam, & animarum nostrarum salutem, nostrum ergo istud colloquium prodeat, & felicissimè exeat. MIN. Amen.

## *DE DIVINIS nominibus Trinitatis; personarum consubstantialium; Dei infiniti, Dei vnius & trini, eius Essentia & substantia; eorum antiqua confessione & professione inter Christianos: aduersus tres nefarias Caluinianorum hæreses.*

DOCTOR.

PRimùm quidem classici vestri Authores inter alios conspicui, omnia diuina truculentissimo genere erroris, quantum in eis est, inquinantes, non minus temerariè quàm iniustè defendũt tres sceleſtas hæreses contra sacra diuinaque nomina, Trinitatem; consubstantiales personas; Deum infinitum, Dei vnam essentiam, Deum trinum; atque etiam horum originem & publicam confessionem. MINISTER.

Recita

Recita eas ordine, earumdemque authores. DOCT. Vester Caluinus nititur obliuionis tenebris illa nomina sepelire. Cùm enim de his agit, sceleratas preces & abominanda eructat ista vota: *Vtinam quidem sepulta essent, constaret modò Patrem & Filium & Spiritum Sanctum esse vnum Deum.* Inst. lib. 1. ca. 13. §. 5. Nunquid non est sanctissima nomina ex scriptis Prophetarum & Apostolorum extracta, ab antiquissimis Patribus ad defendenda fidei nostrę fundamenta aduersus Sabellianos, Samosatenianos, & Arrianos religiosè vsurpata, sempiterna obliuione delere? MINIS. Perlegi sanè cuncta illius opera, sed semper ab ijsdem nominibus abstinet. DOCT. Sed præstat vt Petri Caroli primùm Næocomensis, hinc & Lausanensis Ministri, verbis tibi patefaciam, quanto sacrilegio & Farellus, & Caluinus sint aliquando in Sanctissimam Trinitatẽ debacchati. Ait enim: *Videbamus clam suppullulantes hæresum syluas, sectas innumerabiles suboriri, sphem. Fac. & c. & quod horresco referens, execrandas in Christi Diuinitatem, & generationem æternam blasphemias: breuiter sacrosanctam personarum Trinitatem inter sciolos passim palamq; proscindi, in quotidianis congressibus, in concionibus publicis, libris editis, synodis, epistolis.* Et aliquanto post: *Caluinum vox Trinitatis offendit, eò quòd Ciceroni fuit insueta.* Hęc ille in actis colloquij Lausanensis. Refutat. blasphem. Fareli starum.

MIN. Quam dicis secundam esse hæresim? DOC. Eam, qua negant horum nominum confessionem & prædicationem veteribus fuisse cognitam, & Christianis necessariam. Nam VVolffangus Musculus, inter Bezæ imagines toties celebratus, hæc verba scripsit: *Nollem coram Ethnicis Patrem & Filium & Spiritum Sanctum dicere tres personas, ne viderer dicere tres Deos. Vocabulum hoc, Persona, non ita necessarium est ad fidem Christianam, vt sine illo nequeas esse Christianus: cùm illud primi Christiani ignorauerint.* Primo Anticochleo. MINIST. Collusionem hominum nequissimorum iam percipio. Quæ Caluinus sepulta & extincta esse desiderat, Musculus non fateretur: sed potius taceret, aut negaret corã Ethnicis, Iudæis, Maometanis, id est, maiore huius mũdi parte. Et quod alter vult tollere, alter superfluum, primis Christianis ignotum, & minimè necessariũ ausus est asserere. Sed perge.

DOCT.

DOCT. Tertia hæresis consistit in atrocissimis iniurijs, quibus Bernardinus Ochinus, nuper Geneuæ & Tiguri in lingua Italica minister, vehementer exar-
*Lib. 2. Dialo.* sit in hæc sancta Diuinaque nomina, *Deum infinitum, Dei essentiam & substantiam, Deum in Trinitate personarum*, ea vocans *monstrosa, Satanica, Prophetis & Apostolis incognita.* MINIS. Eius hominis tanta extitit ne demētia? DOC. Fuit sanè: & postquam Geneuæ id publicè docuit in lingua Italica, etiam Basileæ idem typis mandari, & in orbem cum vulgari Latina lingua curauit. Has tres eorum hæreses aduersus infinitam Dei maiestatem, primaque religionis Christianæ fundamenta, cum eis propugnabis, an mecum damnabis? MINIS. Non omninò, sed tantùm aliqua ex parte excusatum velim Caluinum, eò quod subijciat, *modò constaret Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum vnum esse Deum*: quibus indicat se nihil vnquam de Trinitatis maiestate detractum velle. DOCT. At si ostendero eum insigni fraude istud ānectere, vt sub his verbis plurimas aduersus eam hæreses vafrè malitioseque inuehat, nonne eas mecum reijcies, virumque perfidiæ atque crimine maiestatis damnabis? MIN. AEquè seuerè atque incendiarium, qui incensa domo, fingeret se desiderare tecta, parietes, fundamenta, omnisque generis suppellectilem illæsam videre: aut veneficum, qui iniecto in fontem veneno, se nihilominus nec riuos inficere, nec aliquem veneno tollere se velle impudenter affirmaret.

**Confut. 1. ab incommodis & absurdis consequentib. 1.** DOCT. Audisti porrò, quo pacto Musculus & Ochinus (effractis per Caluinum aduersus sanctissimam Trinitatem portis) quàm temerè in sacra Dei nomina irruunt, abnegant, & blasphemijs importunis dilacerant: & iam in Poloniæ, Bohemiæ, Hungariæ & Transsyluaniæ quibusdam locis, qui antea Caluiniani fuerant, præceptoris sui votum secuti, supradicta nomina de medio tollunt: deinde res sacras his vocabulis demonstratas penitus extinguere conantur, fiuntq; noui Atriani, Sabelliani, Maometani, &, quod solo dictu horrēdum, Athei. Quocirca fructus acerbissimi sanè ac tristissimi huius Caluiniani voti plus satis probāt

Autho-

Authorem nullo modo posse excusari. MIN. Certò scio Stancarum, Blandratam, medicos Principis Trãssyluaniæ, Alciatum Italum, Dauidem Trãssyluanum, Somerum Germanum, Matthiam Polonum, Gribautium, Nigrum, Sozinum, Lysmanium, Cazanouium, Franckeñ, Sternbergerum, & alios nouos Arrianos, & ad Maometismum quotidie declinantes verbi Ministros, alta voce conclamare, se nihil pronunciare contra Trinitatis mysterium, *quod non didicerint ex Caluinianorum & Zuinglianorum disputationibus & cõmentarijs.* Præterea, compertum est mihi, Iobum Gastium libro de origine errorum Anabaptisticorum, Coruinum in Dialogis, Bucerum commentarijs in cap. 3. Matthæi, Volanum in Paræneſi, Simlerum Præfatione librorum de æterno Dei Filio & de Spiritu Sancto, isthæc non tantùm confiteri, sed & ingemiscere, & de his assiduas iacere ore querelas: Bullingerum denique, dum se suosque excusare nititur, ineptum ac impudentem se declarare.

DOCTOR. Credas velim, impios illos Arrianos & Antitrinitarios legentes Caluinum *exoptantem Trinitatis nomen sepultum*, Musculum *nolentem tres Personas Diuinas confiteri*, Ochinum eas blasphemantem, Bezam vnicam & simpliciſſimam Dei Essentiam *realiter in tres distinguentem*, Danæum & alios Caluinianos *prohibentes illius adorationem & inuocationem*, eiusdem postremò omnipotentiæ, præscientiæ, sapientiæ, bonitati, permissioni &c. magna confidentia detrahentes; ausos esse & idem impudentius facere, secreta præceptorum murmura in publicum euomere, & quæ audierant Genevæ, Lausanæ, Tiguri in secretis illorum magistrorũ cubiculis, prædicare super tecta. 2.

Ad hæc, audientes illos Symbolum Apostolorum in dubium reuocare, Athanasij improbare, & Nicenum ex parte mutilare; & isti de euertendo fidei Catholicæ fundamento in doctrina sanctiſſimæ Trinitatis contento, protinus cogitauerunt. Et quoniam illi mali corui nimis præfractè ac importunè crocitabãt, *Nihil prorsus docendum aut credendum esse, nisi veteris aut noui Testamenti verbis expressum contineatur*, hæc mala 3.

oua, ſanctiſſimæ Trinitatis, Perſonarum conſubſtantialiū nomina, iiſdem ſyllabis illic non comperientes, illa nimis audacter reprobarunt, & adoranda myſteria his ipſis vocabulis ſignificata prorſus reiecerunt.

4. Deniq; audientes illos Oecumenicis Concilijs aduerſari, Patres antiquiſſimos omnes maledico dente carpere, dicere vniuerſam per mundum Eccleſiā Chriſtianam vſque ad eorum aduentum in perpetuis denſiſſimisq; tenebris fuiſſe; ſeſeq; efferentes, vt primos in cunctis Europæ partibus Apoſtolos ac Euangeliſtas; ex his iſti concluſerunt, omnem noſtram de ſanctiſſima Trinitate fidem & doctrinam Catholicam, impurum eſſe mendacium, ab hominibus Papiſticis erroribus detentis inuentum & conſtitutum. Ideoq; noui iſti Arriani, Ebionitæ, Samoſateniani & Antitrinitarij, ſuos parentes Hugnoſticos & Caluinianos, aduerſum ſe frementes, his ſuo iure verbis affantur: Vos patres, quorum adminiculis tales, quales ſumus, euaſimus. Vos præceptores, quorum imitatione ac præceptis noſtram tenemus doctrinam. Vos primi miniſtri, quorum veſtigijs inhæremus. Vos ſcaturigines, ex quib. noſtras exhauſimus ſententias. In publicis diſputationibus noſtris aduerſus Romanam de Trinitate, conſubſtantialitate, & coæqualitate in Deo perſonarum, fidem, veſtra nitimur doctrina: in publicis iudicijs veſtra producimus decreta; conciones noſtrę ex veſtris libris acceptę ſunt. Cur aduerſus nos tantopere indignamini? Pudet præceptores diſcipulos agnoſcere? Licet patribus ſuos liberos reijcere? & artificibus opera manuum ſuarum ignorare?

2. MIN. Hęc quidem abſurda & horrenda, attamen explorata & manifeſta ſunt. Quiſquis enim cū Caluino nomina Trinitatis, & conſubſtantialium Perſonarum in vnico & ſolo vero Deo ſempiterna obliuione obſcurauerit, cum Muſculo eadem fateri recuſauerit, & cum Ochino contumeliosè vituperauerit; conueniet facilè cum Sabellianis, Arrianis, & alijs hæreticorum monſtris, quos vetus damnauit Eccleſia. Inſuper, haud difficilè conſpirabit cum Iudæis; breui negotio conſentiet cum Maometanis, Apoſtatis, Ethnicis, alijſque manifeſtis

nifestis Christi hostibus, qui ob istam præsertim doctrinam & religionem Euangelium non solùm auersantur, sed & persequuntur. Sed valde auco scire, quibus diuinarum scripturarum præsidijs fulciantur à Patribus inuenta huiusmodi nomina.

DOCT. Omnibus, quæ docent vnum esse Deum natura, trinum verò personis, videlicet, Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Cùm enim Ioannes scripsit, *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt*; sic colligendum reliquit: Si tres sunt, ergo Trinitas est: non Deorum, ergo Personarum. Præterea, hi tres vnum sunt, videlicet in substantia & natura: igitur corde credendum & ore confitendum est, Deum esse vnum in natura, trinum verò Personarum consubstantialium & coæternarum Trinitate. MINIS. Ista me hercle, tam manifesta & certa sunt, vt atheus, & diuini verbi sacrilegus hostis mihi videatur, quisquis non crediderit. 3. 1. Ioan. 5.

DOC. Verba Baptismi nostri, ab ipso Filio Dei constituta, istud rursum dogma nostrum satis confirmāt. Præcipiens enim Apostolis, *Baptizare in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, dū harum trium personarum expresse meminit, eas realiter inter se distingui, sanè indicat, improbans earū confusionem factam à Sabellianis & Priscillianis: & dum singulari numero vtitur, *in Nomine*, id est, authoritate, potentia, & maiestate, docet eas tres vnum esse in Deitate ac infinita natura & essentia. Quare, vt sanctissimè Athanas. canit in Symbolo, *Fides Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur*. MINIS. Ecce profectò dilucida locupletissimaque testimonia, idonea ad fidem per vniuersum mundum propagandam: euertendas verò delirationes eorum, qui cupiunt nomen Trinitatis in obliuionis caligine sepeliri, & huius confessionem impedire. 4. Matth. 28.

DOC. Paulus tuba Euangelica, longè lateq; personans, vnum Deum totius mundi creatorē & rectorem; deinde Iesum Christū eius Filium verū Deum orbis redēptorem & iudicem; postremò Spiritum S. etiam verum Deū, oīs iustitię & sanctitatis fontē: nōne altioris vocis con- 5. Ro. 1. 2. 3. 4. Ephes. 3. 4. Coloss. 1. 3. Hebr. 3. 11.

contentione intonat, omnino neceſſarium eſſe ad ſa-
1. Cor. 1. 3. 4. lutem, credere atque colere ſanctiſſimam perſonarum
6. 12. 14. 15. Trinitatem, in vnius eiuſdemque eſſentiæ ac Deitatis
Act. 17. etc. vnitate? Prædicans etiam huiuſmodi Deum ac Dominum non ſolùm ſecundum Deitatem, ſed etiam ſecundum iudicia viasque ſuas eſſe prorſus immenſum &
Rom. 9. 11. incomprehenſibilem; nonne apertè docet illum eſſe infinitum, inexhauſtum, interminatum? Ochinum verò eſſe virum à cacodæmone obcæcatum, & omni ſupplicio rum genere puniendum, qui hos Diuinę maieſtatis & gloriæ titulos tam fera rabie lacerat & conculcat? Eos deniq; è medio tollendos ſatis indicat, qui vel cupiunt ea nomina ſepulta eſſe, vel profeſſuros ſe eadem negant coram Ethnicis? MINIST. Non poſſunt planè excuſari in eo quod fidei noſtræ proditores deprehenſi, vniuerſis Apoſtatis expeditas rationes ſub miniſtrant funditus euellendi diſijciendique, precipua illius præſidia. Nam qui ſacra hæc nomina delebit, eorumque ſignificata tollet, omni perfidiæ ac hæreſi viam aperiet atque parabit. Sed velim nominum illorum origines ex ſacrarum literarum oraculis patefacias.

6. DOCT. Nomen Græcum eſt ὑπόστασις, cui Perſona, Latina vox, reſpondet. Reperitur autem in Apoſtolo, ſcribente Ieſum Chriſtum eſſe ſplendorem gloriæ &
Hebr. 1. figuram τῆς ὑποστάσεως, formæ ſeu ſubſtantiæ Patris. Atque locum hunc Pauli ſic interpretati ſunt non ſolùm Beatiſſimi Apoſtolorum diſcipuli Dionyſius & Ignatius, verùm & qui proximè ac deinceps illos ſunt ſequuti, Iuſtinus, Athanaſius, Baſilius, Chryſoſtomus; quinetiam feliciſſimi trecenti decem & octo illi Patres, qui ex toto orbe in Synodum Nicenam aduerſus Arrium coierunt. MINIST. Sed fortaſſe Latini illud ipſum non retinuerunt vocabulum. DOCT. Imò verò, nihil ſæpius reperitur in libris de Trinitate ab Hilario, Victorino, & Auguſtino exaratis. Sacra etiam Biblia in Latinum ſermonem conuerſa eandem *Perſonæ* dictionē tam ſtudiosè retinent, vt tam in veteri quàm in nouo Teſtamento plus quadrageſies poſſit reperiri ab his, qui volunt omnia diligentiſſimè obſeruari.

MINIS.

MINIST. Alia eiusdem generis nomina, vtpotè Essentia & substantia, vtrum sint à sacris literis accepta, & à maioribus nostris vsurpata? DOCT. Græcum verbum οὐσία substantiam significans, habetur in Euangelio Lucæ: ipsumque substantiæ nomen frequenter vsurpat Apostolus epist. ad Hebræos, & alibi sæpissimè. Deducitur porrò ab eo vocabulo ὤν, quod Deus sibi arrogat, dicendo ad Moysem. *Ego sum qui sum Sic dices filijs Israel, Qui est, misit me ad vos.* Eo inde vocabulo liberè vtuntur omnes fermè veteres, veluti Tertullianus libro aduersus Praxeam, Hieronymus epistola ad Damasum, Augustinus 5. & 7. de Trinitate. 7. *Luc. 15.* *Hebr. 1. 3. 11.* *Exod. 4.*

Petrus quoque & Paulus vtuntur nomine φύσις, id est, natura, etiam cùm de Deo mentio est. Prior scribens, ἵνα διὰ τούτων γένησθε θείας κοινωνοὶ φύσεως, quod vetus interpres sic optimè retulit, *Vt per ipsum efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Posterior verò, ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς, *seruiebatis ijs, qui natura non sunt Dij.* Vnde sequitur diuina vocabula ab hæreticis furiosè & obcæcatè reiecta, è puris fontibus Sancti Spiritus esse exhausta, qui reuelauit nobis per scripturas quid de Deo credendum, quid confitendum, & quomodo loquendum sit. *2. Petr. 1.* *Galat. 4.*

MINIST. Restat ex te audire vsum originemque verbi Consubstantialis. DOCT. Probauimus verba οὐσίαν καὶ φύσιν, Essentiam seu naturam esse sacræ scripturæ, vnde eius inflexum, vel, vt loquuntur, deriuatiuum ὁμοούσιος videtur consequenter & artificiosè conflatum, veluti ὁμόσιος, qui manifestè reperitur in Euangelio. Eo etiam vsi sunt non solùm trecenti & octodecim Patres sanctissimi Concilij Nicæni, verùm etiam longè ante omnes & singuli Apostolorum successores ac Discipuli, vt doctè & sapienter obseruant Athanasius & Theodoretus. Ex his ergo certum & manifestum est, omnes Christianos tam verè ac sanctè his vti verbis, *Vnus Deus in Trinitate personarum; Tres personæ eiusdem naturæ, substantiæ & Diuinitatis*, quàm nefariè & diabolicè Ochinus, & eiusdem sceleris improbissimi ministri ea contemnunt, blasphemant, ac reijciunt. Denique B. Augu. oportet nos insistere regulis; Dum modò *Luc. 6.* *Lib. de decretis Nicenæ Synodi: & Apologia pro Dionys. Ale. Lib. 1. hist. c. 12. & 13.*

in sacra scriptura dictionum substantiam reperiamus, aut significationem, quid opus natiua inquirere verba? Quid enim est, inquit, contentiosius, quã vbi de re constat, certare de nomine? Non sunt fugiẽda nomina noua, quæ contra nouas hæreses instituuntur. Idem profitentur Vigilius Martyr, disputationibus suis aduersus Arrium, Photinum & Sabellium: Hilarius li. de Trinitate: Victorinus περὶ τοῦ ὁμοσίου: Athanasius orat. contra Arrianos; omnis denique religiosa Antiquitas.

*Epist. 174.*

MIN. Mihi quidẽ satis esse video sanè pernicio-
9. sam esse malitiam, dictiones in dubium reuocare, siquidem earum significata sint in ipsis scripturis contenta; veruntamen me quædam tenet infinita auiditas audiendi ex te, quinam Apostolorum discipuli, Martyres, & Doctores prisci in suis libris ac sermonibus superiorum verborum diserte meminerint. DOCT. Quo tempore arbitraris Dionysium Areopagitam in Eccle-
*Pag. 1.* sia floruisse? MIN. Circiter annum Domini 96. si Baculo fidei nostræ fides adhibenda sit: vel anno post na-
*Pag. 26.* tum Dominum 86. vt in Ecclesiæ ordine à Crispino dispositio, & Geneuæ excuso notatum fuit. DOC. Vtitur autem Trinitatis vocabulo sanctissimus ille Timothei, Titi, ac Hierothei in schola Doctoris gentium cõdiscipulus, Hierarchiæ Ecclesiasticæ, cap. 1. 2. & 6. in Cælesti Hierarchia, ca. 7. in Diuinis nominibus ca. 1. 2. 3. 13. & in Theologia mystica, ca. 1. & 2. MIN. Reperitur ne Trinitatis vocabulum apud eum Clementem, quem
*Philip. 4.* Apostolus Paulus prædicat suũ in Euangelio fuisse cooperatorem? DOCT. Nominatim in prima epistola, libro 2. Recognitionum, & libris Cõstitutionum Apost. quorum meminerunt veteres. Ijsdem temporibus Martialis vnus ex Christi discipulis, epistola ad Burdegalenses cap. 10. & eius discipulus Aurelianus, in vita eiusdem præceptoris sui. Prochorus, vnus ex septem Apostolicis discipulis commemorat ὁμόσιον τριάδα, consubstantialem Trinitatem. Iacobus frater Domini in sacra Liturgia, quam probauit sexta S. Synodus Oecumenica, sexties sanctam nominat Trinitatem. Ita etiam Egesippus Historiographus Hebræus libro quinto, capite nono. MINIST. Hos septẽ authores (quicquid alij aliter &

ter & impudenter garriant) cum sanctis Domini Apostolis familiarissimè vixisse constat; & ab ijsdem ea verba, simulq; cuncta fidei Christianæ mysteria accepisse, quæ alijs verbo & scripto tradiderunt, nihil prorsus dubito. Addas, si placet, nonnullos insequentis seculi Patres.

DOCT. Prædictis sanctis nominibus sexties vtitur Iustinus Martyr & Philosophus libro de sancta & coessentiali Trinitate: & quinquies in lib. quæst. & responsionũ ad Orthodoxos. Vsurpant etiã illa Theophilus Antiochenus libris ad Autolycum, Athenagoras in Legatione ad Antoninum, &, vt obiter multa dicam, Tertul. Orig. Cyprianus, Dionysius Alex. Gregorius Neocæsarienſis, Alexander Primus Pontifex & Martyr, Sixtus, Hyginus, ijdem Pontif. & Martyres. 10.

MIN. Scio omnes illos secundo post Apostolos vixisse seculo, quos secuti sunt tertij, quarti, & quinti seculi Patres, tum quia in eorũ libris fuerunt diligenter versati, tũ quia Sabellianos, Arrianos, Macedonianos, & alios SS. Trinitatis, Personarumq; consubstãtialium iuratos hostes perpetuis bellis profligauerũt. Nam horum doctrina, vt etiam libenter fatentur Magdeburgici Centuriatores, consensit cum Ecclesijs Apostolicis: isq; consensus ac concordia communis fuit omnibus in Europa, in Africa, in Asia Ecclesijs. Deinde habuerunt illæ ætates, si quæ vnquam aliæ, plurimos vita & doctrina præstantes Doctores, qui doctrinam Christi & Apostolorum eius puram & integram custodierunt, summaq; dexteritate propagauerunt. Quibus fit, vt nũquam satis mirari possim Caluinum (*qui puram religionem per illos priores quingentos annos adhuc in Ecclesijs floruisse fatetur*) tanta improbitate fuisse correptum, tuiq; oblitum, vt extincta sanctissimæ Trinitatis, Personarumque consubstantialium nomina desideraverit. 11.

Ad hæc, elato satis animo alibi profert: *Michaelem Seruetum ob reiecta huiusmodi nomina iustissimè arsisse*, suaq; suasione Geneuæ deflagrasse. Enimuerò si Seruetus, quòd ea simpliciter negaret, ardentiore igne absumptus est; non minorem pœnam meretur, qui eadem exoptat sempiterna obliuione sepulta & consopita. 12. *Li. Apol. Serv. pag. 240.*

13. Idem rursum in Institutione fatetur Ecclesiam necessitate coactam illa nomina sanctè vsurpasse, cùm ad explicandam clarius suam fidem atque doctrinam aduersus rabidos morsus & adlatrantem hæreticorum linguam, tum ad intercludenda eorundem lubrica per fugia. Quinetiam sponte comprobat pulcherrimam illam Gregorij Nazianzeni sententiam, *Vnum mente non possum concipere, quin tres protinus occurrant: nec tres possum discernere, quin ad vnum redeant.* Fatetur etiam nos minimè perfectè Deum cognoscere, nisi fides nostra tres Personas in vna Essentia Diuina concipiat.

*Lib.1.c.13.§. 2.3.4.5.6.*

*Harm.in 28. Mat.ver.19.*

14. Beza quoque in sua fidei confessione, quæ per vniuersas Reformatæ Ecclesiæ nostræ coitiones volitat, palam profitetur *credere se in Trinitate personas distinctas, coessentiales, & coæternas esse, sine vlla proprietatum confusione.*

*Punct.1. art. 2.*

15. Denique Philippus Mornæus, Caluiniani iuris defensor & propugnator acerrimus, libro de Religionis Christianæ veritate, quem subtiliter ex Galatini Franciscani, Eugubini Augustiniani, Ludouici Viuis Hispani, & Principis Mirandulani scriptis compilauit, apertè demonstrat, antiquos Chaldæos, Arabes, Aegyptios, Græcos pènè omnes, maximè Academicos; imo verò Sybillarum oracula, & Oraculorum responsa, in eadem nobiscum *de Trinitate personarum doctrina* mirabiliter consensisse: veteresq; Hebræos longè ante aduentum Domini nostri Iesu Christi, & prædicatum toto orbe Euangelium, eadem scriptis suis significasse, & credidisse, *cùm Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum dixerunt, non tres Deos, sed tres personas in vno & solo vero Deo.* Quare cùm ineptè Caluinus secum dissideat, Beza non consentiat, Mornæus fidem & confessionem trium Personarum in vna Deitate probet impressam esse in animabus omnium populorum; Caluinicam hac in re malitiam totus exhorret animus, impuramq; Musculi calumniam & Ochinistam blasphemiam seriò detestatur. Contrà verò, duce Deo, semper toto corde credam, & coram omnibus viuentibus ore confitebor, hîc & vbiq; terrarum, sanctissimam Trinitatem personarum Diuinarū in vnica numero essentia

*Cap.6.*

& Diui-

& Diuinitate infinita, hominum & Angelorum animis incomprehensibili atq; ineffabili. Præterea, profitebor sacra & diuina illa nomina ex verbo Diuino & sacris scripturis, à S. Apostolorum discipulis, primisq; Christianis sanctè & accõmodatè deducta esse. Sed de his hactenus: ad alia iam nostra se referat disputatio.

## *DE INVOCATIONE, & ADORATIONE sanctissimæ Trinitati debita, aduersus quartam quintamq; hæresim Caluinisticam.*

DOCTOR.

POstquam primarij vestri Ministri in nominibus S. Trinitatis, Diuinarumq; personarum funditus delendis diu multumq; desudarunt, vel potius petulantissimis suo more verbis ea sunt insectati: statim eorum effrenata eò vsq; sese erexit audacia, vt eiusdem prohibuerint inuocationem, & adorationem, hæreses duas omnino damnandas commolientes. MIN. Qui tantarum impietatum authores? DOC. Cùm Lutherus ex Litanijs Germanicis sanctissimam istam precandi formulam, *Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis*, tam audacter quàm nefariè primus detraxisset, statim eum secuti Anabaptistæ, Suenckfeldiani, Zuingliani & Caluiniani, illam damnarunt *tanquam impropriam & barbaram*. MIN. Agnosco censuram verbaq; Caluini hæc esse. DOCT. His addidit nuper Lambertus Danæus, *orationem illam esse ineptam, insanam, inconcinnam, à Patribus matilem: & Elè inuētam, atq; periculosam*. Quocirca, tametsi multas preces contineāt vestri Catechismi, Psalmi, & libelli, nulla tamen earum ad sanctissimam Trinitatem dirigitur: adeo vt ex vestris cœtibus & supplicationibus omnino nunc sublata sit sanctissimæ Trinitatis inuocatio. MINIS. Hæc ita sese habere diffiteri non valeo. Sed qui Trinitatem prohibent adorandam? DOCT. Ijdem qui & prioris impietatis assertores. Nam cùm palam prædicent scribantq; inuocationem sic ad adorationem pertinere, *vt quicunque inuocat, adorat: inuocationem sub adoratione contineri: & inuocationem non posse ab adoratione separari*: manifestissima est sequela, quod si Trinitas non est inuocanda, neque sit adoranda aut colenda. MINIST.

*Lib. aduers. Valent. Gentilem: & Epist 2. ad fra. Polonos.*

*Lib. adu. Gebrardum.*

Pag. 84. Pag. 143. Propositio sanè Clypei est fidei nostrę: assumptio Caluini & Danæi: consecutio itaque ex præmissis planè deducta & certa est. DOCT. His adde, vestros authores ex fine omnium Psalmorum subtraxisse versiculos ab optimis Patribus additos, & ab vniuersis adhuc pijs Christianis per orbem decantari solitos, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & cæt.* quibus profitemur sanctissimam Trinitatem nos credere, inuocare, & colere aduersus Sabellianorum, Arrianorum, Iudæorum & Turcarum furores. Insuper, ex cunctis Calendarijs vestris, festi sanctissimæ Trinitatis, vt & Sanctorum omnium, Ministrorum vestrorum summo studio subla ta est memoria. Præterea in vestro Catechismo cùm de cultu Dei agitur, *tantùm vultis Deum Patrem adorari, & Christo suo quendam honorem exhiberi.* Denique, è cœtibus & precibus vestris iam pridem has Catholicas laudes, *Te adoramus, te inuocamus, ô beata Trinitas: Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu*, non modò sibilis, sed etiam cõuitijs explosistis. Quid igitur superesse potest, nisi vos omnem religiosum cultum & adorationẽ sanctissimæ Trinitati apertè detrahere? honorem quãtum potestis imminuere? MIN. Tam perspicua sunt hæc omnia, vt aduersari non possim: &, vt ingenuè fatear quod sentio, illa mihi displicent, & conscientia, quæ mihi pluris est quàm omnium hominum sermo, flagitiorum stimulis agitata plurimum indoleret, si huiusmodi impias hæreses sustinerem. Has itaq; tecum iam paratus sum contemnere, & veluti furores incredibili temeritate gestientes comprimere.

Cõfutatio. 1. Primam itaque susceptæ disputationis partem discutiamus, & sanctissimæ Trinitatis inuocationẽ ex diuinis scripturis constabiliamus. DOCT. Omnes imprimis Prophetarum & Apostolorum scripturæ edocent, toto corde inuocandum esse Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ: eædem rursus sepissimè verbis & exemplis interpellare suadẽt IESVM Dei Filium, & hominum summum mediatorem: & pari religione implorant gratiam & auxilium Spiritus ab vtroq; procedẽtis, non vt tres Deos, sed vt vnum, solũ, æternumq; Deum, quẽ tam sedulò vbiq; vrgent, & cunctis

cunctis inculcant: ex quibus sequitur, Caluinianos istam Christianorum orationem, *Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis*, respuētes, more Gigātum cum Deo bellare, Deum verum de throno suo deturbare, & doctrinę tam Prophetarum quàm Apostolorum æquè ingratè ac præfractè sese opponere. MIN. Luce meridiana clariora sunt hæc omnia, & certissima, vti Deus certissimus est: consequentiaq; adeò manifesta & necessaria, vt nemo possit resistere, nisi sensu omni & ratione careat. Siquidē initio mundi patres dicuntur inuocasse nomen Domini: Psalmi frequentes sunt in huiusmodi supplici & demissa interpellatione: Euāgelicus Propheta grauiter cōqueritur, *Non est qui inuocet nomē tuum. qui consurgat, & teneat te.* Et idem illicò precatur: *Et nunc Domine, Pater noster es tu, nos verò lutum: & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris Domine satis, & ne vltra memineris iniquitatis nostræ. Ecce, respice, populus tuus omnes nos.* Ad Messiam porrò, id est IESVM Christum æternum Dei Filium preces fundendas esse his verbis vaticinatur: *In die illa radix Iesse, qui stat in signū populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Et rursum: *Aegyptij, Aethiopes, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, tui erunt, post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabūt, teq; deprecabuntur.* Consentit & Psaltes Regius, his ipsum regem Messiam compellans: *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.* Pari modo tertiam Trinitatis personam, id est, Spiritum S. suppliciter exorat, dicens: *Spiritum rectum innoua in visceribus meis: Spiritu principali confirma me: Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me: Emitte Spiritum tuum, & creabuntur: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Non inuocant autem tres Deos, cùm nihil magis quàm à multis & alienis dijs Prophetæ abhorreant, & vnum confirment: constat ergo illos Trinitatem in personis, vnum verò in Essentia & substantia Deum suppliciter inuocare.

*Genes.* 4. 12. 13 21. 26. *Psalm.* 4. 13. 17. 19. 30. 49. 55. 74. *Isaiæ* 64.

*Isaiæ* 11. *Isaiæ* 45. *Psal.* 44.

*Psal.* 50. 103. 142.

DOCT. Attende etiam, quæso te, quanto studio Paulus initijs ferè omnium Epistolarum precetur, *Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino nostro Iesu Christo. Obsecro vos per Dominum nostrū Iesum Christum, & per charitatem Sancti Spiritus: Flecto genua ad Patrē Domini nostri*

2.

*Ro.* 1. 15. 16. 1. *Cor.* 1. 2. *Cor.* 1. 13.

Galat.1. Ephes.1.3.6. &c. 2.Cor.13. *Iesu Christi, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem, corroborari per Spiritum eius in interiori homine, & cæt.* Et rursum: *Gratia Domini nostri Iesu Christi, charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus, sit semper cum omnibus vobis, Amen.* An non id est, vnum Deum in Trinitate personarum summo affectu inuocare? Dumque preces dirigit sic ad Diuinas personas sigillatim nominatas, nõne eiusmodi orationis typum ac veluti exemplum vniuersæ relinquit Ecclesiæ Catholicæ? MIN. His profectò tam expressa ac dilucida Trinitatis inuocatio cõprehenditur, vt Sebastianus Meyerus in commentarijs, & Marloratus in Rhapsodijs idipsum coacti testentur & comprobent: eademque opera Caluini præceptoris sensa reprobent. DOC. Sed qui his modis omnibus anteferendus est, D. Augustinus, dilucidè & constanter in his adfirmat ipsam Trinitatem, pariterq; incõmutabilem vnitatem inuocari: quoniã gratia, qua liberamur à peccatis; & pax, qua reconciliamur Deo Patri haberi non potest, nisi per Christum, & in Spiritu Sancto.

To.4. li.vno expos. epis. ad Rom.

3. Apoc.1. Initio quoque Apocalypseos D. Ioannes sanctissimam precatur Trinitatem, dum his vtitur verbis: *Ioan. septem Ecclesijs, quæ sunt in Asia, Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus, qui in conspectu Throni eius sunt, et à Iesu Christo, qui est princeps regum terræ.* En aperta precatio, ad tres Diuinas hypostases suis elogijs distinctim descriptas & expressas: quod & diligenter obseruant Rupertus, Ansbertus, Primasius, Ticomus, seu Augustin. Ambrosius, totusq; SS. Patrum chorus. MIN. His etiam addi possunt non infimæ inter nostros notæ Bullingerus, Meyerus, Conrardus, Viretus, Marloratus, qui vi veritatis cõpulsi idipsum confitentur: sicq; & apertis scripturarũ testimonijs conuicti, & proprijs telis confossi victique iacent sanctissimæ Trinitatis aduersarij.

4. Matth. 28. DOCT. Inter alios præterea scripturæ locos, is potissimum edocet inuocandam esse SS. Trinitatem, qui arctissimè iubet Apostolis baptizare omnes gentes sacro Euangelio credentes. *Ite*, inquit æternus Dei Filius, *docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, et Filij et Spiritus S.* Nemo enim inficiari auderet, tres illas personas

ſonas Diuinas proprijs nominibus hîc exprimi: deinde, naturæ eſſentiæque Diuinę vnitas etiam ſignificari voce *in Nomine*: inuocanda verò diſertè præcipitur verbo imperandi, *baptizate in Nomine, &c.* MEN. Equidem Caluinum ita preſſit ille contextus, vt illic trium Diuinarum perſonarum apertam inuocationem fieri coactus ſit confiteri: ex quo conſequitur eundem ſibi repugnare, tandemq; aliquando eam amplecti doctrinam, quam prius improbauerat: & ſanctiſſimæ Trinitatis inuocationem laudare, quam antea conſueuerat vituperare. *Har. in c. 28. Matth.*

5. Sed ſatis ſuperque ſcripturarum verbis confirmata ſunt hæc, refutataque contraria hæreſis: addas, ſi placet, nonnulla ſapientis religioſæque Antiquitatis in hanc rem teſtimonia. DOCT. Exordiar igitur à Diuo Auguſtino, qui effuſis precibus ſanctiſſimã Trinitatem his alloquitur verbis. O tres coæquales & coæternæ perſonæ, Deus vnus & verus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, qui ſolus habitas æternitatem & lucem inacceſſibilem. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, terribilis & fortis, iuſtus & miſericors, vnus Deus, tres perſonæ, vna eſſentia, potentia, ſapientia, bonitas, vna & indiuiſa Trinitas, aperi mihi clamanti portas iuſtitiæ, & ingreſſus in eas confitebor tibi Domine. En ad oſtium tuum pulſo, iube aperiri pulſanti. Ante te eſt omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Et tu, Domine, non auertas faciem tuam à me, nec declines in ira à ſeruo tuo. Retrahe me de profundis aquarum, de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, &c. Alibi quoque ſic orat: Rogo te omnipotens Pater, cum dilectiſſimo Filio tuo, teque dulciſſima Proles cum ſereniſſimo inuoco Paraclito, trahe me, quatenus poſt te curam in odorem vnguentorum tuorum. Et poſtea: Te Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritũ Sanctum Paraclitum, ſanctam & indiuiduam Trinitatem toto corde & ore confitemur, laudamus, atque benedicimus, &c. Rurſumque ait: Inuocat te Trinitas beata, vox clara, & ſyncerus amor fidei meæ, quam ab ipſis cunabulis illuminaſti, quam adaugens confirmaſti *Soliloq. c. 37. 1. Tim. 6. Iſa. 6. Pſal. 117. Matth 7. Pſal. 26. 37. 39. L. Medi. c. 4. Cant. 1. Cap. 11. & 13. Cap. 31.*

firmasti in me per documenta matris Ecclesiæ. Te inuoco beata, & benedicta, & glorioſa vna Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, &c. Ecce optimi, doctiſſimi, & antiquiſſimi Patris pia admodum verba, quæ noſtram diſputationem non modò confirmant, verùm etiam per intima præcordia irrumpunt, & mentem in Deum mirum in modum attollunt.

6. MIN. Quorundam aliorum locos tantùm deſigna, quos maiori otio aliquando conſulã, & mihi ſatis erit. DOCT. Hieronymus ad Damaſum, Ambroſius libro primo de fide, Baſilius & Chryſoſtomus in Liturgijs, Dionyſius Areopagita tertio capite de Diuinis nominibus, & in exordio myſticæ Theologiæ, & alij paſſim plurimi idemtidem obſeruant. MIN. Quantò expreſſa illa ſanctorum Patrum teſtimonia in fidem & inuocationem ſanctiſſimæ Trinitatis animam meã reducunt ac confirmant, tantò impios errores, quibus Caluinus & Danæus eandem obrutam inuoluerant, nunc abhorreo. DOC. Debes etiã diligenti cogitatione ſæpiſſimè animaduertere grauiora, quæ toto mundo Caluinicus error adferret incõmoda, ſi Dei optimi maximi in Trinitate perſonarum tolleretur cultus & inuocatio.

7. MIN. Id ne reticeas etiã atque etiam rogo. DOCT. Primùm quidam nequiſſimus Maometis Alcoranus paulatim inter Chriſtianos ſerperet: Iudæorum perfidia reuireſceret, & loco Euangelij ac Chriſtianæ pietatis vbique locorum tandem exurgeret. MIN. Id equidem facilè fieret, quoniam nec Turcæ in ſuis Meſquitis, nec Iudæi in Synagogis, nec Pagani in fanis ſuis de ſanctiſſimæ Trinitatis inuocatione aut cultu quicquam audiri volunt. Proinde ex noſtris quamplurimi, (heu conditionem huius temporis!) in Polonia, Hungaria, VValachia, & Tranſyluania, à modo Chriſtianam religionem deſerunt, & Turcis aut Iudæis multo facilius ſe dedũt, vt patet ex miniſtrorum, qui illic agunt, quotidianis querelis.

Volanus. Chytræus. Lasychius. Symlerus.

8. Deinde, eadem Caluini impia hæreſis ex ſordido puluere & veteſtatis cinere hæreſes damnatas non modò ſecum multas retraheret, ſed obducta Praxeanorũ, Hermogenianorum, Sabellianorum, Noëtianorum, Samo-

Samosateniorum, Arrianorum, aliorumque pestilentium hominum vulnera refricaret: qui omnes, vt Caluinus, vnum Deum in Trinitate personarum consubstantialium negabant inuocandum & adorandum.

MIN. Perspicuum est planè Trinitatem eos minimè inuocasse, qui eam nolebant confiteri: & sic illos cum nostris Geneuensibus mirum in modum in eo articulo consensisse.

DOCT. Postremò, vestri huius impietatis authores sibi manifestè repugnant, cùm superius multoties recitatam orationē vituperant: quandoquidem veteris Ecclesiæ, sanctorumq; Patrum Athanasij, Hilarij, Hieronymi, Basilij, Nazianzeni, Chrysostomi, Ambrosij, Augustini fidē doctrinamq; reprehendunt ac damnāt, quam ante laudauerūt & probauerunt. Nam hi omnes submissis animis Deū in Trinitate inuocarunt, & eam deprecandi nobiles formulas posteritati reliquerunt. 9.

MIN. Mihi cumulatè satisfeciſti, remouēdo omnem, quam nostri ea de re effingunt, difficultatem. Pollliceor itaq; secundum doctrinam Prophetarum, Apostolorum, antiquissimorumque Patrum, me in posterum Deum viuentem in vnitate essentiæ, & personarum Trinitate sanctè interpellaturum: & qui contrariam habebunt opinionem penitus relicturum. Nunc de eiusdem Trinitatis adoratione & cultu dicamus.

## *DE SANCTISSIMAE Trinitatis adoratione.*

DOCTOR.

SI inuocatio sub adoratione ita contineatur, vt quicunq; inuocat, simul etiam adoret, vt est in vestræ fidei Clypeo, qui Trinitatis inuocationē probauit, nónne etiam eius adorationem satis confirmauit? Sicque paucis & validis argumētis superioribus iam confectum est à nobis hoc negotium? MIN. Verum est; interim libentissimè ex te audirē locos sacrę scripturæ, Patrumque veterum, qui hanc Trinitatis religiosam adorationem suadeant. *Confutatio.* 1.

DOCT. Purissimi & beatissimi illi Spiritus, qui iuxta Isaiam, astantes throno Dei, concinunt *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth. Plena est omnis terra gloria eius*, plenè adorant & glorificant sanctissimā Trinitatē. 2. *Isa. 6.*

MIN.

MIN. Profectò Ioannes Oecolampadius, omnium noſtrorum miniſtrorum fortaſsè doctiſſimus, ſuis in eum locum commentarijs fatetur, *Angelos hoc cantico laudare & glorificare, eandem perſonarum Trinitatem, in cuius nomine omnes Chriſtiani baptizati ſunt.* DOCT. Etiam ſi non fateretur, optimo iure ſatis eſſe debet, quod expreſſum Dei verbum idipſum continet. Deinde, quod iſtud etiam colligunt Dionyſius in Cæleſti Hier. Iuſtinus Martyr lib. de coëſſentiali Trinitate, Tertullianus, Athanaſius, reliqui omnes.

3. Iterum, Ioannes in Apocalypſi ſe audiuiſſe refert quatuor animalia plena oculis, & requiem non habentia die ac nocte, cum Angelis, iuxta thronum Dei, eaſdem prorſus laudes aſſiduè præcinentia. MIN. Certè noui Teſtamenti Geneuenſes Annotationes docent, *omnes creaturas viſibiles & inuiſibiles per hæc quatuor animalia repræſentari.* Quomodo & Bullingerus ſcribit in eum locum, illa his cantici verbis innuere, *Sanctus eſt Deus Pater, Sanctus eſt Deus Filius, Sanctus eſt Deus Spiritus Sanctus, Sanctus eſt vnus Deus in Trinitate ſemper adorandus.* DOCT. Vides igitur quomodo præcipui veſtri Antiſtites ad fidem Catholicam, quam prius abiurarant, coacti tandem reuertuntur.

*Apoc. 4.*

4. Sed dic obſecro, quid hæc vox Deus, in omnibus, tum veteris, tum noui Teſtamenti locis deſignet, in quibus Scriptura iubet *Dominum Deum noſtrum adorare, & diligere ex toto corde, ex tota anima, ex omni mente, & ex omnibus viribus noſtris?* Solam ne Patris perſonam? MIN. Minimè verò, ſed ex æquo Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: qui vnum duntaxat verum & ſolum Deum conſtituunt. DOCT. Rectè quidem, & ſecundum mẽtem Auguſtini, volentis nomina ſubſtantialia in Diuinis ſingulari numero enuntiata, de tribus coniunctim perſonis eſſe intelligenda. Itemque abſoluta omnia vocabula, quæ vel ad eſſentiam Diuinam pertinent, vel eam conſequuntur, ita dici de ſingulis perſonis in numero ſingulari, vt de omnibus ſimul in numero plurali efferri nec poſſint, nec debeant. Igitur toties ſanctiſſimam Patris, Filij, & Spiritus Sancti iubemur adorare perſonarũ Trinitatem, quoties ſacra ſcriptu-

*L. 7. de Trin. c. 4: In quæ-ſtiunculis de Trin. & lib. de Trinit. & Vnitate Dei, cap. 2.*

ſcriptura præcipit Deum adorandum, timendum, co- *Exod.20.*
lendum, & ex tota anima diligendum. MIN. Tam *Deut.6.*
clara & certa ſunt hæc, vt nemo mentis compos, poſſit
contra ſentire vel dicere: tantumque eſſe credendum
eſt, *Deum adora, Deum time, Deum dilige*, atque Patrem,
Filium & Spiritum Sanctum adora, time, & dilige.

DOCT. Ingenuè quæſo etiam dicas, cur ſummus 5.
cultus Deo debetur? MIN. Planè ob ſummam pote-
ſtatem, bonitatem, miſericordiam, ſapientiam, iuſti-
tiam, & reliquas quæ huic infinitæ Maieſtati conueni-
unt perfectiones. DOCT. At verò eiuſdem ſunt ſum-
mæ bonitatis, poteſtatis, & maieſtatis tres perſonæ, ſic-
ut & eiuſdem naturæ, eſſentiæ, ſeu Deitatis. Nam vt in
Symbolo fatemur, *Omnipotens eſt Pater, omnipotens Fi-*
*lius, Omnipotẽs Spiritus Sanctus. Dominus Pater, Dominus Fi-*
*lius, Dominus Spiritus Sanctus. Non tamen tres omnipotentes,*
*aut tres Domini: ſed vnus Dominus Deus omnipotens.* Igitur
vno eodemque cultu religioſo ac ſummo à cunctis ad-
oranda & colenda eſt ſanctiſſima Trinitas.

Dic etiam, te rogo, an non cenſetis omnes æquè 6.
credendum atque ſperandum eſſe in Filium Dei, ac
Spiritum Sanctum, atque in Deum Patrem? MIN. Id
clariſſimè & conſtantiſſimè profitemur, iuxta Sym-
bolum Apoſtolicum, & veteris nouique inſtrumenti ex-
preſſas ſcripturas. DOCT. At, fidem & ſpem ſupremi
cultus ſpecies eſſe nemo vnquam inficias ire poſſet. Ea
propter certum eſt Filium ac Spiritũ Sanctum vnà cum
Patre, id eſt, ſanctiſſimam & auguſtiſſimam Trinita-
tem, omni tam interno quàm externo cultu adoran-
dam eſſe.

Rurſum, omnium cuiuſlibet linguæ, & conditionis 7.
ſumma conſenſio eſt, Deum Patrem omni demiſſione
ac religione adorandum eſſe. Nemo etiam negare po-
teſt Filium ſubmiſsè adoratum fuiſſe à Paſtoribus, *Luc.2.*
à Magis, à Centurione, à cæco nato, à Chananæa, ab *Matt.2 & 8.*
vxore Zebedæi, à cæcis, à leproſis, ab infirmis, à Diſci- *Ioan 9.*
pulis, ab Apoſtolis, ab Angelis. Denique, tertiam Tri- *Matth.15.20*
nitatis perſonam, Spiritum Sanctum adorant Prophe- *& 28.*
tæ, Apoſtoli, cæleſtes ſpiritus. De eodemq; profitetur
palam vniuerſa Eccleſia, quod *cum Patre, & Filio, ſimul*
*adora-*

*adoratur, & conglorificatur.* Consequens est ergo, omnem creaturam cælestem, terrestrem, & infernalem supremo Latriæ cultu sanctissimam Trinitatem religiosissimè & sanctissimè debere complecti, adorare, & venerari. MIN. Adeò certa & firma videntur mihi tua argumenta, vt non solos Caluinianos, verùm & Iudæos, & Atheos omnes, quantumuis contumaces, possint quamprimùm expugnare.

8. Venerandæ sanctæque Antiquitatis quædam testimonia nunc tantùm à te postulo. DOCT. Ante mille & trecẽtos annos magnus Athanasius ait, & vniuersa Ecclesia suscepit & probauit: *Fides Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Hanc nisi quisque (fidem) fideliter firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.*

9. MIN. Audio verba sanctissima, religiosè & integrè conseruanda. Sed quoniam multa Augustino, eiusque raræ atque mirabili doctrinæ videtur Caluinus vbique concedere, scire velim, Vtrum sanctam adorauerit ipsemet Trinitatem. DOCT. Audisti nuper quàm blandè & concinnè Trinitatem adorans sæpè inuocauit, iam audias quàm submisse eandem veneratur & adoret: O summa Trinitas, inquit, virtus vna, & indiscreta maiestas, Deus noster, Deus omnipotens, confiteor tibi ego vltimus seruorum tuorum, & exiguum membrum Ecclesiæ tuæ, confiteor tibi & honorifico te debito sacrificio laudis, &c. Idemque postea: Tu es Deus omnipotens, quem trinum in personis, & vnum in substantia Deitatis colimus & adoramus, Patrem ingenitum, Filium de Patre vnigenitum, Spiritum Sanctum de vtroque procedentem, & in vtroque permanentem, sanctam & indiuiduam Trinitatem, vnum Deum omnipotentem, &c. Gloria Patri, qui creauit nos; gloria Filio, qui redemit nos; gloria Spiritui Sancto, qui sanctificauit nos; gloria summæ & indiuiduæ Trinitati, cuius opera inseparabilia sunt, cuius imperium sine fine manet. Te decet laus, te decet hymnus, tibi debetur omnis honor, tibi benedictio & charitas, tibi gratiarum actio, tibi honor, virtus,

*L. Meditat. cap. 12.*

*Cap. 33.*

virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen. Idemque rursum alibi ait: Soli quidem tibi Trinitas, integrè nota es, Trinitas sancta, Trinitas supermirabilis, exuperans omnem sensum, omnem rationem, omnem intellectum, omnem essentiam supercælestium animorum. Cognoui te, & confiteor te Deum Patrem ingenitum, te Filium à Patre genitum, te Spiritum Sanctum Paraclitum, sanctam & indiuiduam Trinitatem in tribus coæqualibus personis consubstantialibus & coæternis, Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate corde credens ad iustitiam, & ore confitens ad salutem, &c. Cognoui te vnum Deum viuum & verum, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, trinum in personis, vnum in essentia, quem confiteor, adoro, & glorifico toto corde meo. Alibi rursum ad gaudia cælestia suspirans, exclamat: O quàm fortunatus ero, si audiuero iucundissimas ciuium tuorum cantilenas, carmina melliflua, laudes summæ Trinitati debito honore promentia! &c. Nunquid istud est cum maxima fide & demissione Trinitatem venerari & suppliciter adorare? MIN. Imò & hanc adorationem plurimis certissimisque exemplis confirmare, atque pias hominum mentes secum in sanctissimam & religiosissimam eiusdem Trinitatis adorationem rapere. Mihi autem perplacet audiuisse Deum in Trinitate personarum sese mortalibus manifestasse, & ab ijsdem sic inuocari & adorari suo verbo patefecisse, quandoquidem omnium Christianorum semper ea extitit iam inueterata fides & religio. In alium iam sermonem incidamus.

*Soliloq. c. 28. & 32.*

*Manuali, cap. 6.*

## *DE VNICA, SIMPLICI, ET INdistincta Essentia Diuina Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: contra sextam Caluinianorum hæresim.*

DOCTOR.

PVtasses ne vnquam vestrorum sacrorum Antistites eò dementiæ vel inscitiæ peruenisse, vt simplicem, vnicam, & impartibilem Essentiã Diuinam nefariè

nefariè multiplicarent, & in tres partes reipsa sciungerent, pessimeq; dilaniarent? MIN. Absit omnino, absit vt id vnquam mihi de tantis viris persuadeam: sed est ab aliquo maleuolo illata falsò optimis viris illis calumnia. DOCT. Habes fortasse ad manum Bezæ magnam fidei Confessionem Gallicam? MIN. En præstò est: quid vis ex ea legam? DOCT. Principium secundi articuli ex puncto primo. MIN. Scribit: *La parole de Dieu nous enseigne clairement, que ceste Essence Diuine est distincte realement, & à la verité, & eternellement en trois personnes.* DOCT. Dic Latinè ad verbum. MIN. *Verbum Dei clarè nos docet, quod ista Essentia Diuina est distincta realiter, & secundũ veritatem, & ab æterno in tres personas.* DOCT. Viden, quo pacto verbo Dei imponit, Essentiamque Diuinam reipsa in tres partitur? Nam distinguere realiter, etiam iuxta Caluinum, *veram rei distinctæ per partes separationem atque distractionem significat*: vnde sequitur Bezam in tres partes vnicã Diuinam naturam & simplicem Essentiam impudenter dissecare & proscindere. MIN. Id si negarem, quotquot sunt mortales me perfrictæ frontis hominem iudicarent.

*L. Gallic. de actis Serueti, pag. 219.*

Sed demus Bezam vel malitia, vel rei Theologicæ imperitia in hanc impietatem lapsum esse: debet ne idcirco ea culpa cæteris defecatæ religionis Ministris, & alijs eiusdẽ professoribus continuò irrogari? DOC. Sanè quidem, obseruant illum veluti doctorem maximum, legitimum Caluini successorem, qui cum eo constituit (quam dictitant) emendatam & expurgatam religionem, & doctrinam quam profitentur. Tantum etiam abest, vt talem sua censura notent errorem, quin illum è contrario suauiter legunt, libenter amplectũtur, & vnà cum illo pro fidei suæ articulo verbis & scriptis probant & profitentur. Accedit, quod Caluinus huius etiã impietatis author ei fuisse mihi non iniuria videatur. Scribit namque libro de actis Serueti: *Il fait accroire, que nous coppons Dieu, en distinguant sa simple essence en trois personnes.* Latinè est ad verbum: *Persuadet quod Deum nos scindamus, distinguendo simplicem eius essentiam in tres personas*: quibus verbis diserte fatetur se suosque, Essentiam Diuinam in tres reipsa distinguere.

*Lib. de actis Ser. p. 343.*

Qui

Qui & aliquantò ante hæc verba, ſcribens, *Filium Dei habere ſubſtantiam à Patre diſtinctam*, auget adhuc ſuam de Diuina Eſſentia diuiſionem, cùm Deitas, ſubſtantia, natura, & eſſentia in Deo vnum ſint. Eandem multò magis patefaciens, concedit Valentino Gentili, *Nomen Dei per antonomaſiam Patri ſoli conuenire, & Filium reſpectu Patris Creatorem cæli & terræ impropriè appellari.* Scribit præterea in Inſtitutione ſua, *quod Filius poſt vltimum iudicium Patri remanebit ſubditus, in ratione diuinæ ſuæ naturæ.* Ex quibus manifeſtè ſequitur, Diuinam Eſſentiã non ſolùm eſſe diſtinctam diuerſamque in Patre & Filio, verùm etiam alteram altera præſtantiorem & ſuperiorem eſſe. Quid tu ad hæc? MIN. Certiſſimum eſt, quod alteri ſubijci, eſt diuerſam ab eo habere eſſentiam. Rurſumq;, ſi Filius à Patre diſtinctam habet ſubſtantiam, habebit neceſſariò diuerſam Eſſentiam. Ac proinde Bezam & Caluinum omnes, ſuos edocere diſcipulos *vnicam, ſimpliciſſimam & impartibilem Dei Eſſentiam in tres ſecernere atque lacerare*: quod nunquam in animum meum induxiſſem. pagina 249. & 250.

DOCT. Suſtine adhuc pauliſper, & audies rurſum tertium Caluini diſcipulum hanc vnicam Diuinam Eſſentiam æquè nefariè ac temerariè triplicãtem atque multiplicantem. MINIST. Quis hic tam conſceleratus? DOCT. Guilielmus Saluſtius, cuius poëmata veſtri omnes adeo ſuſpiciunt & mirantur, vt propemodum ſuper Euangelia & Apoſtolica efferant ſcripta; quæque etiam vnà cum Beza veſtrorum plurimi ſuis Epigrammatis certatim commendant. Ille itaque initio primæ ſuæ Hebdomadis, hæc perſonat carmina Gallica:

*—— & dont la Deité*
*Subſiſte heureuſement de toute eternité,*
*Et fait des trois enſemble vne Eſſence triple vne.*

Quæ ſic ad verbum Latinè ſonant. *Cuius Deitas ſubſiſtit feliciter, & facit ex tribus ſimul vnam Eſſentiam triplicem vnam.* Et rurſum poſt medium ſecundæ diei eiuſdem Hebdomadis, Gallicè canit: *Du Dieu triplement vn, &c.* Id eſt. *Dei tripliciter vnius.* Et paulò ante finem ſextæ diei Gallicè ſcribit: *Non qu'il y eſt vn partage de ſa triple vne*

*Essence. Non quod Deus portionem fecerit de sua triplici vna Essentia.* Eisdem iterum sese implicans erroribus, in secundo die secundæ hebdomadæ, tractatu quem de Columnis inscripsit, rursum etiam Gallicè canit:

*Dieu n'a pas seulement*
*Engauè dans l'airain du viste firmament*
*Sa deuise sacree, & dessous la figure*
*D'vn triangle pourtrait sa triple-vne Nature.*

Quod ad verbum Latinè est: *Deus non tantùm insculpsit in ære velocis firmamenti sui sacrum signum, & sub figura trianguli suam triplicem vnam Naturam.* Hactenus ille.

MINIST. Consona mihi & grauissima videntur carmina illa; quid tu erroris in illis deprehendis? DOCT. Quod vnicam & indiuisibilem Dei essentiam naturamque, contra verbum Dei, & grauissimas Ecclesiæ Catholicæ definitiones triplicē esse, tam absurdè quàm impiè cantet: & cum Caluino Bezaque Antitrinitarijs viam tam latè aperiat, vt ex Polonia, Transyluania, & Hungaria, vbi nunc tantùm regnant, in Galliam nostram commigrent. MIN. Ah, nunc errorem animaduerto, quem concinnitas verborum auribus adblandiens mihi occultabat. Verùm, existimo verba illa lectissimo poëtæ excidisse citius incogitātis animi vitio, aut librorum Bezæ lectione, quàm hæretica malitia. Atque hoc præmium est leuitatis & facilitatis nostrorum Gallorum, qua multi imprudentes & inscij euadunt Arriani & Antitrinitarij vento quorundam nebulonum, qui se Ministros legis prædicant, cùm nec minimam illius particulam rectè intelligant. DOCTOR. Quicquid sit, vides me ex vestrorum tam magistrorum, quàm discipulorum testimonijs euicisse, Caluinianos Essentiam Diuinamque Naturam in tres veluti partes reipsa secernere, triplicare, imò & Filio Dei substantiā à Patre distinctam tribuere: superest, vt id vel cum ipsis sustineas, vel mecum, vt pium virum decet, certioribus argumentis coarguas, atque seriò abomineris.

Cōfutatio. 1. MINIST. Imò præstò nunc sum, & Caluinum, & Bezam, & Salustium ipsum proprijs verbis atque scriptis

ſcriptis ſuis refellere: tantùm abeſt vt eis hac in impietate conſentiam. Etenim Caluinus libro eodem de Actis Serueti, eum appellat, *Canem erraticum, porcum, aſinum, bufonem, furioſum, dementem, & ſordidum mendicum, propterea quòd triplicem Dei faciebat Eſſentiam: rem ab omnibus execrandam fidelibus, nimirum, ſimplicem & impartibilem Dei Eſſentiam in tres partes ſecernere.* Deinde profitetur *ſe nunquam conſentire, vt Eſſentia Diuina in Serueti carnificina debeat aut poſſit lacerari.* Ex quibus ita poſſum ratiocinari, atque huiuſmodi aſſumptionem conficere. Sed Caluinus ipſe, Beza, Saluſtius Eſſentiam Diuinam in tres realiter ſecernunt, faciunt triplicem, imò & Filio tribuunt ſubſtantiam naturamque diſtinctam à Patre: ſunt ergo vnà cum Serueto porci, canes, aſini, bufones, atque furioſi & dementes; ſiquidem vera eſt Caluini propoſitio. *L. Gallic. de Serueti actis pag. 245. & 277.*

Rurſum idem Caluinus in Inſtitutione ſua, de Eſſentia Diuina verba faciens, ſeuerè admodum *vult omnium ſuppliciorum pœnas in Seruetum, & omnes alios conſumendas, qui putant vnicam Dei Eſſentiam, ſimplicem, impartibilem, & indiſtinctam, eſſe triplicem: rem peſſimam exiſtimat* (vt reuera eſt) *eam diſtinctione reali facere multiplicem: decernit eos, qui notam diſcretionis in Eſſentia ponunt, eam lacerare, & veram Chriſti Deitatem in nihilum redigere: teterrimum errorem, imò brutalem impietatem affirmat eſſe, aliquam in Eſſentia Diuina reponere diſtinctionem.* Denique, vehementer decertat aduerſus Manichæos & Arrianos, *quòd eam diuiſerint, & Diuinarum perſonarum conſubſtantialitatem negauerint, &c.* DOCT. Perſpicis itaque quemadmodum ſibi ſuisque aduerſatur, & ſeipſum damnat. Deinde, quòd nihil eſt certum aut conſonum in tota Sectariorum doctrina: ſed tantùm in ſola & vnica Chriſti Eccleſia Catholica, quæ Spiritum ſanctum perpetuum habet doctorem & ductorem. Sed potes ne demonſtrare etiam Bezam ſecum pugnare, & non modò non cohærentia inter ſe dicere, ſed maximè diſiuncta atque contraria? 2. L. 1. c. 13. §. 2. 3. 4. &c. §. 25. *Iſa 14.*

MIN. Hoc ita eſt in promptu, vt ampliore proba- 3.

tione res non egeat: quandoquidem initio eiusdem maioris Confessionis fidei suæ, in ore atque oculis omnium dicat, *Deum esse natura ac essentia vnicum: tres personas esse consubstantiales: & se à teterrimis hæresibus Marcionis, Sabellij, Samosateni, Arrij, Nestorij, Eutychetis, aliorumque hæreticorum, quos prisca damnauit Ecclesia, toto animo abhorrere.* DOCT. Suo sese igitur iugulat gladio, ac proprio iudicio condemnat, eodem in loco reipsa discernens Essentiam Diuinam in tres personas, quod ei commune est cum Marcione, Manichæo, Arrio, & multis alijs à vetere Ecclesia proscriptis, & Satanæ traditis hæreticis. De poëta Salustio quid dicis? Nosti genus esse irritabile vatum. Num & secum dissidet ipse?

4. MIN. Multum per omnem modum. Nam eodem loco, quo Essentiam Diuinam peruersè triplicat, vnicam prorsus eandem esse in tribus personis, piè canit his verbis Gallicis: *De ces deux* (Pere & Fils) *proceda leur commune puissance, Leur esprit, leur amour; non diuers en Essence.* Id est, *De his duobus (Patre & Filio) processit communis eorum potestas, Eorum Spiritus, eorum amor: non diuersi in Essentia.* DOCT. Bezam primùm damnat, qui eam in tres realiter distinguit personas: deinde, seipsum erroris conuincit, cùm paulò post eandem triplicem facit. MIN. Hæc sunt quæ ex ipsis contra ipsorum errorem depromere nunc valeo: tu scripturarum oraculis confirma Essentiam Diuinam, nec in tres personas reipsa distinctam, nec triplicem, nec aliam & aliam esse: sed vnicam prorsus atque impartibilem.

5. DOCT. Sententiam istam laudant, vehementissimeque comprobant omnes illæ Diuinæ Scripturæ, atque inuictæ rationes, quibus edocemur vnicum & solum esse Deum verum ac immortalem, qui cuncta ex nihilo condidit: deorumque multiplicationem, inuentum esse Satanicum, ac prorsus impossibilem. *Gen. 1. 2. 3.* Moyses namque omnium sacrorum scriptorum primus, vnius tantùm Dei meminit, dum historiam creationis mundi percenset: Satan verò pater mendacij serpentis larvam referens, primus ausus est Deorum plura-

pluralitatem efferre, dicens, *Eritis ſicut Dij, &c.* Adeò Satanicum mendacium eſt vel triplicem, vel multiplicem fingere Eſſentiam ac naturam ſummi numinis, vt diligenter ſapienterq; ante multos annos Clemens Romanus, & Iuſtinus Philoſophus ac Martyr obſeruauerunt. *L. Recognit. Orat. paræneticæ.*

Ille rurſum populum Hebraicum primi ac potiſſimi totius religionis fundamenti grauiter admonens, ait: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.* Idemque Deus de ſeipſo manifeſtè teſtificatur: *Ego ſum Deus,* inquiens, *& non eſt alius Deus præter me.* Et per Iſaiam ait: *Ego primus & ego nouiſſimus, & abſque me non eſt Deus. Quis ſimilis mei? Nunquid eſt Deus abſque me, & formator, quem ego non nouerim?* Et poſtea: *Audi me Iacob, & Iſrael, quem ego voco: Ego primus, & ego nouiſſimus.* Et alibi: *Videte quòd ego ſum ſolus, & non ſit alius præter me.* Pius quoque rex Ezechias ſic orat: *Domine Deus Iſrael, qui ſedes ſuper Cherubim, tu es ſolus Deus regum omnium terræ.* Et eodem pacto beatus Eſdras precatur: *Tu ipſe Domine, ſolus feciſti cælum & terram.* Dauid quoque deos gentium fictitios tanquam ſurdos mutosque non ſolùm irridet, ſed & impura dæmonia vocat: Deum autem verum ſic vnicum eſſe vbique adfirmat, vt cantet eum ſolum facere mirabilia: ſolum altiſſimum eſſe ſuper omnem terram: exaltatum eſſe nomen eius ſolius. Inſuper, quoties Deus ſiue per Prophetas, ſiue per Apoſtolos, ſeipſum mortalibus patefacit, toties de ſe, vt de vnico & ſolo vero Deo, vnica eademque indiuiſibili atque inſeparabili Eſſentia ſeu natura & Deitate conſiſtente loquitur. 6. *Deu. 6. et 32.* *Iſa. 44.* *4. Reg. 19.* *2. Eſdr. 9.* *Pſal. 113. & 105.* *Pſal 82. 85. & 148.*

Quinetiam Vnigenitus Dei Filius, ad hoc natus vt teſtimonium perhiberet veritati, veraq; fide illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum, eandem Deitatis vnitatem conſtantiſſimè prædicat, dicens: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Nemo bonus, niſi ſolus Deus. Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, &c.* Nullum autem vnquam verbum emiſit de triplici natura Dei: altiſſimum etiam vbique ſilentium eſt de Eſſentia realiter in tres diſtincta, 7. *Ioan. 1.* *Matth. 4. 19. & 22.* *Ioan. 17.*

aut alia ſubſtantia Filij à Patre.

8. Apoſtoli quoque in vniuerſum mundum dimiſſi, vt docerent omnes gentes, prædicarentque Euangelium omni creaturæ, verbis, miraculis, morte denique ſua, deorum pluralitatem cum primis toto orbe expugnauerunt, Deum autem vnicum & ſolum eſſe mundi conditorem & rectorem tanta virtute perſuaſerunt, vt multæ virorum, fœminarum, puellarum myriades pro huius fidei aſſertione vitas ponere nihil dubitauerint. *Scimus*, ait Paulus, *quia nihil eſt idolum in hoc mundo: & quod nullus eſt Deus, niſi vnus. Nam & ſi ſunt qui dicantur Dij*, (ab ethnicis videlicet) *ſiue in cælo, ſiue in terra, nobis tamen vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo: & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum.* Et iterum: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma. Vnus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Iacobus quoque ait: *Tu credis quoniam vnus eſt Deus? Bene facis. Et dæmones credunt & contremiſcunt.* MIN. Grauiſſima iſta teſtimonia de Dei veri vnitate & ſimplicitate, ſic omnibus impreſſa, vt nec cacodæmones eam poſſint denegare. Sed nihil ne officit ei trium perſonarum inter ſe realis diſtinctio? DOCT. Nihil omninò, quoniam trium vnica & impartibilis eſt Eſſentia atque natura, quemadmodum de ſe & Patre Chriſtus Filius profitetur: *Ego & Pater vnum ſumus.* Et dilectus diſcipulus de tribus ſimul dicit: *Hi tres vnum ſunt*: quibus & Bezæ, Eſſentiam in tres perſonas ſecernentis, damnatur impietas; & Caluini aliam à Patre ſubſtantiam tribuentis, coarguitur hæreſis; & poëtę Saluſtij Deitatem triplicantis conuincitur aut inſcitia aut perfidia.

1.Cor.8. Ephes.4. Iacob.2. Ioan.10. 1.Ioan.5.

9. MIN. Hæc quidem ex ſacris fidei Chriſtianæ pijs ſufficere debẽt, verùm augebitur in ſanctiſſimam Dei vnitatem & ſimplicitatem religio atque reuerentia, ſi his addideris, quid de hac re veteres illi Patres ſanctiſſimi & ſapientiſſimi Theologi docuerunt atque crediderunt: quandoquidem conſtet, tam Lutheranorum, quàm noſtrorum allatis initio iudicijs, Apoſtolicam doctrinam eorum adhuc temporibus puram, ſartam, tectamque permanſiſſe. DOCT. Ab Auguſtino Doctore

ctore maximo exordiar. Is superiorum seculorum doctrinam fidemque laudans ait: Omnes, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ Deus est, diuinorum librorum Catholici tractatores; hoc intenderunt docere, quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnius eiusdemque substantiæ, inseparabili æqualitate Diuinam insinuēt vnitatem: ideoque non sint tres Dij, sed vnus Deus. MIN. Insanit ergo Caluinus, *Filio distinctam à Patre substantiam affingens*, furuntque cum illo discipuli Diuinam Essentiam realiter distinguentes atque triplicantes. DOCT. Sustine adhuc paululum differentem Augustinum. Ait enim posteà, velut iam Salustianam poesim impietatis damnans: Nec quoniam Trinitas est, ideoque triplex putandus est: alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quàm simul Pater & Filius. Et iterum alibi: Trinitas vnus Deus est, nec ideo non simplex, quia Trinitas. Neque enim propter hoc naturam Dei bonam simplicem dicimus, quia Pater in ea est solus, aut Filius solus, aut solus Spiritus sanctus. Sed ideo simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est: (nempe omnis accidentis, ac diuisionis substantiæ expers est) excepto quod relatiuè quæque persona ad alteram dicitur. Et rursum idem scribit: Cùm itaque tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est simul Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, nullo modo triplex dicendus est Deus. Et alibi eadem repetens & confirmans addit: Perfectus Deus siue Pater, siue Filius, siue Spiritus sanctus, ideo Trinitas potius, quàm triplex dicenda est, &c. quia vnum sunt in natura, omnipotentia, & æternitate. Indubitanter siquidem credere debemus ipsam sanctam Trinitatem esse inseparabilis substantiæ, essentiæ, inseparabiliterque operari, quicquid à singulis personis legimus operatum esse. Attende rursus qualibus anathematibus eos percutit, qui aut realiter secernunt, aut multiplicant Diuinam Dei nostri Essentiam. Maledictus, inquit, qui indiuisam Deitatem Patris & Filij & Spiritus sancti non confitetur. Maledictus, qui propria nomina Personarum, tres deos, aut tres dominos, aut tres spiritus

*L. 1. de Trin. c. 4.*

*L. 6. de Tri. c. 7.*

*L. 11. de ciu. c. 10.*

*L. 6. de Tri.*

*Serm. 6. de temp.*

confitetur. Si quis non dixerit, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vnam Deitatem, maieſtatem, potentiam, gloriam, atque vnam voluntatem, anathema ſit, &c. Expendiſti prudenter ac diligenter tanti Doctoris verba & ſenſa? MIN. Expendi, ex hisque primùm obſeruaui, eum non priuatam quandam opinionem aut ſententiam ſuam referre, quæ ab alijs diſſideat: ſed Catholicam totius Eccleſiæ Chriſtianæ, adeoque ipſorum Apoſtolorum fidem & doctrinam. Deinde, triplicem, aut cuiuſdam diſtinctionis realis vi multiplicem Dei eſſentiam confingentes, nullo modo inter Chriſtianos ferendos eſſe: alioqui perſonæ Diuinæ haudquaquam coæquales, & ſimplices eſſent. Præterea, eos diris deuouet, qui Eſſentiam diuidunt, ſicque tres Deos Dominos & Spiritus in vno Deo comminiſcuntur. Denique, nihil præter relationes paternitatis filietatis ac ſpirationis in Diuinis multiplicari: cætera indiuiſa & prorſus vnum eſſe. DOCT. AEquè prudenter atque piè colligis: quandoquidem idem ipſe Auguſtinus ſic concludit: Catholica fides credit Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, vnum Deum, vnius ſubſtantiæ Trinitatem, inſeparabiliter, æqualiter, non commixtione confuſam, non diſtinctione ſeparatam. Et iterum: Qui poteſt capere, capiat: qui autem non poteſt, credat, & oret, vt quod credit, intelligat.

*Tract. de eo: Ego ſum qui ſum.*

*L. 3. contra Maximin. c. 10.*

10. MIN. Ex Latinis vnicus ſufficit mihi Auguſtinus: quoſdam adijcias ex Græcis & Orientis Patribus. DOCT. Magnus Athanaſius, eos exiſtimat paganorũ erroribus infectos, qui aut Deorum pluralitatem credunt & colunt, aut vnius Dei vnam Eſſentiam reipſa in plures diſtinguunt, quod Beza impiſſimè facit. Scribit enim ille hoc pacto: Neque tres ſubſtantias ſeorſim diſtinctas, vt corporaliter in hominibus fit, cogitamus, ne Deorum pluralitatem inſtar gentium ſapere videamur. Gregorius Niſſenus ſimillimum pronunciat iudicium, inquiens: In multitudinem extendere numerum Deitatum, eorum eſt duntaxat, qui laborant errore multitudinis Deorum. Baſilius & Anaſtaſius Antiochenus & ipſi apertè docent, in Dei eſſentia

*Epiſtola ad Epictetum.*

*Baſ. epi. 141. Anaſt. lib. 1.*

ſentia aut natura nullum poſſe numerũ reperiri: proin deque non eſſe reipſa diſtinctam, aut vllo modo diuiſam: imò integram, ſimplicem, & in qualibet perſona vnam & totam eſſe: quibus facilè ſubſcribunt Ambroſius Libro 1. de fide cap. 2. & Auguſtinus Tractatu 39. in Ioannem. *de documentis.*

11. Iuſtinus Martyr & Philoſophus, Athenagoras & ipſe Philoſophus Chriſtianus, Gregorius Nazianzenus cognomento Theologus, Cyrillus Alexandrinus, alijque multò plurimi Apoſtolicæ doctrinæ per Orientem aſſertores, expreſſis verbis fatentur, Deum in ſua natura ac eſſentia ſic eſſe ſingularem & omnino indiuiduum, vt nequaquam ſicut genera aut ſpecies in ſua inferiora ſubiectaque reipſa diſtinguatur; ſed vnicam, ſimplicem ac indiuiſam Deitatem habere, quę per ſuam infinitatem tribus perſonis inter ſe diſtinctis ſine vlla ſui diſtinctione reali communicetur: & propterea has tres perſonas vnum & ſolum verum Deum eſſe. Ex quibus rectè colligere licet, veterum Patrum iudicijs, nefandiſſimum eſſe ſacrilegium, realiter diſtinguere, aut triplicem efficere vnicam ac ſimplicem Patris, Filij & Spiritus Sancti Eſſentiam: taliumque impietatum aſſertores ab vniuerſa Eccleſia Catholica damnari, vt homines verum & vnicum Deum abnegantes, & cum Ethnicis Deorum pluralitatem effingentes. *Lib. de monarch. Dei. Apolo. Orat. ad Eragrium. Li. 11. in Io.*

12. MINIS. Enimuerò, ſi Eſſentia Diuina reipſa diſtincta ſit in tres perſonas; atque triplex, vt Beza & Saluſtius confingunt, conſequetur tres aut triplices eſſe Deos; quemadmodum Abraham, Iſaac & Iacob tres ſunt homines; Michaël, Gabriel, Raphael tres ſunt Angeli, propterea quod illis humana, & iſtis Angelica natura cum diſtinctione reali communicetur: ſicq; effugere non poſſunt huius hæreſis authores, quin tres Deos comminiſcantur & fabricent, in vnius & ſolius veri Dei noſtri ſummam contumeliam. Hoc autem nihil aliud eſt, quàm hæc totius religionis Chriſtianæ fundamẽta, *Credo in vnum Deum*, &c. funditus euertere, & paganiſmum tot ſeculis damnatũ ab inferis reuocare. Nihil aliud quàm ſublata Apoſtolorum per or-

bem doctrina, iamdiu consopitos excitare Gnosticos & Valentinianos, vt triginta Aeonũ, id est, fictitiorum Deorum pleroma instaurent: insuper & Romanos, vt duodecim quos præcipuos imaginabantur, in publicam postremãq; humani generis perniciem, Deastros restituant. MINIS. O miram, imò miserabilem Satanæ in impios homines efficaciam! Multorum (heu!) vices nunc doleõ, qui Bezæ fidei confessionem sibi proponunt imitandam, simulque Salustij poëmata tanto in pretio circunferunt; neque attendunt quàm miserè eos ab vnius solius & veri Dei confessione longissimè distrahant. Sanctè nunc tibi iuro, me de cætero in illorum scriptis prudentius habiturum; simulque in concionibus fratres monituram, vt ab illis diligentius caueant. Ad alia festinemus.

## *TRES DIVINAS PERSONAS VNICVM esse numero spiritum atque Deum: aduersus septimam Caluinianorum hæresim.*

DOCTOR.

2. Tim. 3. QVàm verè dixit simulque prædixit Apostolus, *Malos homines proficere in peius, errantes, & in errorem mittentes*, exemplis suis patefecerunt initio nascentis Ecclesiæ Simoniani, Nicolaitæ, Gnostici; mediis autem temporibus Arriani, Nestoriani, Pelagiani, Donatistæ; nouissima verò hac ætate idipsum plus satis superque confirmant vestri Caluiniani & Hugnostici, quando post sanctissimæ Trinitati denegatam adorationem & inuocationem; realiter distinctam triplicatamque Essentiam Diuinam, tres in ea distinctos diuersosque spiritus comminiscuntur. Idem enim Barthasius poëta Gallus, quem vestri tantopere mirantur, & communi voto probant & amplexantur, fingens Patrem alium spiritum esse à Filio; & Spiritum sanctum tertium alienumque esse spiritum ab vtroq; Gallicis versibus canit:

Secund. Hebdom. 3. die, quæ est de columnis.

*Que l'esprit eternel d'vn double esprit yssu,*
*Ait engendré iamais, &c.*

Quod

Quod ad verbum sic Latinè sonat: *Spiritus æternus ex duplici spiritu procedens vnquam genuerit*. His enim duos diuersos spiritus dicit esse Patrem & Filium, tertium verò Spiritum sanctum esse confingit.

MIN. Quid tu in graui illo & ingenioso poëta reprehendis? An non Deus Pater spiritus est, Filius quoque spiritus, & Spiritus sanctus præsertim spiritus dicitur, sicque tres sunt in Deo spiritus? DOCT. Quid verò tu Antitrinitarijs ac Tritheistis, imò & vniuersis Ethnicis, qui cum serpente pluralitatem Deorum in orbem inuexerunt, viam tam latam patefacis & communis? Pari etenim modo & forma tecum argumentantur, Pater est Deus, Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus; ergo & tres Dei asserendi atque credendi: quod tamen mecum iudicas esse cogitatu dictuque nefarium & impium. Eodem etiam modo alij vnitatis Diuinæ aduersarij contendent, Pater est æternus, immensus, sanctus, Dominus & creator omnium: Filius quoque æternus, immensus, sanctus, Dominus & creator omnium: tantundem de Spiritu sancto credendum atque confitendum: igitur tres sunt æterni, immensi, sancti, Domini & creatores rerum omnium: quod nihilominus mecum velut absurdum damnas & seriò abominaris. Confutatio 1. *August. in psalm. 68.*

MINIST. Verissima narras. Sed quid ergo dicendum ac credendum? DOCT. Vt vnicus est natura Deus, omnipotens, creator & rector omnium, sic vnicus Spiritus, Dominus, æternus & immensus: quoniam nomina substantialia (quale est hoc, *Spiritus*, Essentialiter & communiter sumptus) de tribus personis in singulari tantummodo enunciantur. MIN. Ais tu quidem, sed minimè probas. DOCT. Imò & tu ipse paulò superius allatis Caluini testimonijs probasti, & ego plurimis & sanctissimi verbi Diuini, quæ vnicum & solum Deum esse adfirmant, testimonijs satis confirmaui; insuper, & Patrum Orthodoxorum firmissimis atq; euidentissimis rationibus corroboraui. Vniuersa namque illa, quæ vnicum & solum Deum verum esse probant, vnicum etiam in tribus personis diuinis spiritum, vnicam mentem, vnicam vitam, vnicum etiam animum esse satis euincunt: & propterea non potest 2. *Aug. li. 7. de Trin. ca. 4.*

multipli-

multiplicari in Deo Spiritus, quin multiplicetur Deitas.

3. MIN. Recordor scripturarum & Patrum, quę vnitatem essentię atque Diuinitatis in Deo asserunt, atque ideo iam à poetæ sententia recedo: sed velim audire, quid de hac re vetus Ecclesia aduersus hæreses decreuerit. DOCT. Horribilis profectò vestra cæcitas, quòd non videatis quàm in promptu sint omnibus vel sanctissimi Patris Athanasij sanctissima & toto orbe celeberrima verba ista: *Patris & Filij & Spiritus S. vna est Diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. Increatus, æternus, immensus, Deus, omnipotens, & Dominus Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Non tamen tres increati, tres æterni, tres immensi, tres dij, tres omnipotentes, aut tres Domini: sed vnus increatus, vnus æternus, vnus immensus, vnus Deus, vnus omnipotēs, & vnus tantùm est Dominus.*

*Athanas. in Symb.*

4. MIN. Valentissimum sanè testimonium: sed aliorum quoque veterum sententiam audire percupio.

*L. 3. de Spir. sanct. c. 18.*

DOCT. Ambrosius de hac re scribit: Sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus & Spiritus, sed non tres sancti; quia vnus est Deus sanctus, vnus est Dominus. Vna est ergo vera sanctitas, sicut vna est vera Diuinitas, vna illa sanctitas naturalis. Et rursum idem: Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamen tres Dij sunt: ita & anima voluntas, & anima intellectus, anima memoria: non tamen tres animæ in vno corpore, sed vna anima tres habens dignitates. Concludit quoque alibi, illos plures Deos & Dominos in Ecclesiam gentilis erroris vitio inducere, qui aliam Patris, aliam Filij, aliam Spiritus sancti memorant potestatem. Hæc porrò etiam eorum refellunt errorem, qui alium Patris spiritum, alium Filium, alium denique confingunt esse Spiritum sanctum: quoniam hi tres prorsus vnus sunt secundum substantiam & Deus & Spiritus.

*L. de dignit. condit. hum. c. 2.*

*Com. in c. 16. Luc.*

*Ioan. 10.*

*1. Ioan. 5.*

5. MIN. Ne in re tam aperta & certa simus effusiores quàm deceat, vnius tantùm Augustini sententiam adijce.

*L. de Trinit. & vnit. Dei c. 2.*

DOCT. Ille æqualiter damnans eos, qui aut tres Deos, aut tres essentias, aut cum poeta Salustio tres spi-

ritus

ritus in vno & vero Deo constituunt, scribit: Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus: non tres Dij, sed vnus est Deus; vt Moyses dicit: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, vnus est Deus.* Ac per hoc, sicut dicimus non tres Deos, non tres essentias, ita nec tres sapientias, nec tres spiritus. Nam interrogati de singulis personis, si sit Pater sapientia, vel Filius, vel Spiritus sanctus, respondemus; Pater est sapientia, Filius est sapientia, Spiritus sanctus est sapientia: non tres sapientiæ, nec tres spiritus, sed vna sapientia & vnus spiritus, sicut vna substantia & vna essentia. Idem rursum alibi, affirmans vnum Deum esse confitendum, propter inseparabilem Diuinitatem; & vnum omnipotentem, propter inseparabilem omnipotentiam: eodem pacto probat, tres personas vnum Deum & spiritum esse, non multos, propter inseparabilem cõditionem naturamq; spiritalẽ. Rursumq; prohibens dicere tres magnos, aut tres bonos, tametsi Pater sit magnus & bon⁹, Filius magnus & bonus, Spiritus magnus & bonus, quoniã scriptũ est: *Tu es Deus solus magnus*, item: *Nemo bonus, nisi solus Deus*; multo meliore censura & iudicio prophanum & Hugnosticum poëtam Barthasium damnasset, si in Patre & Filio duplicem spiritum confingentem audiuisset. MINIST. De his satis, cætera persequamur.

*Deut. 6.*

*L. 11. de ciuit. Dei, c. 24.*

*L. 5 de Trin. c. 8. & 9.*

*Psal. 85.*

*Matth. 19.*

## *DE ABSOLVTA PERFECTAQVE essentia Diuina in tribus personis, nimirum Patre, Filio, & Spiritu sancto: contra octauam Caluinianorum hæresim.*

### DOCTOR.

ITerum de Essentia seu natura Diuina verba faciemus, quam vester Archisynagogus Beza negat esse absolutè in personis Diuinis: sed tantùm secũdum nescio quem respectum. MINIS. Adeo ne sui tam immemor Bestia, vt tanto sceleri sese obstrinxerit? DOCT. In libello Gallico, quem inscripsit, *Questiones & Christianæ responsiones*, ait: *Nous ne considerons ceste Deité es personnes, si non relatiuement.* Quod est ad verbum Latinè,

*Pagina 32.*

Latinè, *Nos non consideramus istam Deitatem in personis, nisi relatiuè.* Quid tibi videtur?

MIN. Ipsum magnum Geneuæ asinum, asylum putabam dicere, Deum omnino abnegare, atque multo detectius quàm vnquam pernegarit Epicurus. Quamuis enim hic Diuinam negarit prouidentiam, nihilominus Deum vnum absolutè esse dicebat: Beza verò nullum credit, nec in concionibus suis ad Geneuanos, nec in libellis ad Gallos proponit, nisi relatiuè.

**Confutatio 1.**

2. Etenim si Abraham, Isaac, & Iacob, naturam humanam non essent assecuti, nisi relatiuè, veri homines non extitissent: verùm cùm eam habuerint absolutè, fuerunt etiam absolutè & verè homines perfecti. Eodem modo si Deitas non est absolutè in personis, sed tantùm relatiuè; nec Pater absolutè Deus est, nec Filius absolutè Deus est, nec Spiritus Sanctus absolutè Deus est: sicque nullus absolutè esset Deus: à quo atheismo sanè execrando etiam abhorrent cacodæmones, & æternis cruciatibus distorti miseri, qui & Deum absolutè credunt, & iudicem ac vltorem contremiscunt. Sed nunc dic tu, quæ in eum argumenta paraueras.

DOCT. Suæ Deitatis ac essentiæ Diuinæ nomen Moysi patefaciens Deus dixit: *Ego sum qui sum. Sic dices ad filios Israël; Qui est, misit me ad vos. Hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem.* Hebræi, Græci, Latini omnes interpretes in hoc consentiunt, quòd nomen IEHOVA, absolutam significet Essentiam & Deitatem, cùm à verbo deducatur, quod esse absolutè & perfectè significat: quare illa Diuinitas seu Essentia Diuina, est absolutè ac æternè in tribus personis, non relatiuè. Ideoque Caluino-Bezani hæc non satis religiosè perpendentes, Deo viuenti sese peruicaciter opponunt, illique perfectam & absolutam maiestatem, quantum possunt, præripiunt.

*Exod. 3.*

3. MIN. Quænam sanctissimorum Patrum ad illa Moysis verba solet esse sententia? DOCT. Hilarius in primis scribit: Admiratus sum tam absolutam de Deo significationem, quæ Naturæ Diuinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimo sermone loqueretur. Athanasius, Cyrillus, Victorinus, Fulgentius, &, vt bre-

*Lib. 1. de Trinit.*

vt breuiter dicam, omnes, qui Arrianismum impugnauerunt, nec aliter crediderunt, nec docuerunt.

Augustinus acutissima firmissimaque vtitur ratio- 5.
cinatione. *Quodcunque* (inquiens) *secundum substantiam dicitur, ad seipsum dicitur, non ad alterum. Quia quæ secundum relationem dicuntur, diuersa sunt.* Et idem postea: *Quicquid ad se dicitur, secundum substantiam dicitur. Relatiuum non secundum substantiam dicitur, &c.* Sub his autem assumo: Omnis substantia seu essentia est absoluta, & non ad aliud relata: atqui Deitas seu natura Diuina est infinita & incomprehensibilis substantia atque essentia in tribus Diuinis personis: igitur absolutè, & non relatiuè in his est credenda, consideranda, atque veneranda. *Li. 5. ciuit. cap. 5. & 6.*

Præterea, relationes seu respectus in Deo inter se 6.
distincti & diuersi sunt, vt paternitas à filietate, filietas à spiratione, & spiratio à paternitate. At verò ipsa Deitas est omnino vna siue secundum se in abstracto considerata, siue vt personis communicata: ergo in his absolutè, non relatiuè est consideranda & credēda.

Adhæc, Personæ Diuinæ inter se distinguuntur 7.
per relationes suas cuique proprias, vt Pater à Filio per paternitatem, Filius à Patre per filietatem, Spiritus ab vtroque per spirationem seu processionem passiuam: sed Deitate ipsa omnino conueniunt, adeò vt hæ tres personæ verè vnum sint & dicantur illius ratione. Non est ergo Deitas in eis relatiuè, sed absolutè atque perfectè.

Insuper, relationes, iuxta eundem Augustinum, 8.
non sunt propriè substantia: quoniam media sunt, quibus vnum suppositum referatur ad aliud. Scriptura verò sacra, Patres, Decreta Christiana, Deitatem vocant substantiam: Beza igitur Deitatem relatiuè tantùm in Deo considerans, substantiam & naturam DEI magna impietate negat.

Rursum, axioma est, tam à Theologis quàm à Phi- 9.
losophis probatum & admissum: Relata sunt simul natura: eademque posita se ponunt, & peremptа se perimunt: adeò vt nequeat vnum considerari quin respectū habeat ad aliud, vt Pater ad Filium, & Filius vicissim ad Pa-

ad Patrem. Deitas autem etiam vt in Personis animo concipitur, neque ad aliam Deitatē refertur, nec quicquam ad illam. Igitur Beza, vt omnis Philosophiæ ac Theologiæ ignarus, audacissimè & nefariè blasphemat, negando Deitatem absolutè contemplandam & credendam esse in tribus diuinis Personis.

10. Postremò, relationes Personarum Diuinarum cuique earum sic propriæ sunt, vt de vna duntaxat possint affirmari, vt paternitas de solo Patre, non de Filio: filietas de solo Filio, nunquam autem de Patre aut Spiritu sancto: spiratio passiua seu processio ita Spiritui sancto conuenit, vt de Patre & Filio nunquam possit enunciari. Quare Deitas cùm econtrariò ita sit vna eademque in tribus, vt & sigillatim de vnaquaque dicatur, vt Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus; & coniunctim de tribus verè enuntietur Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnus Deus: in illis pro certo est perfectè & absolutè, non per modum relationis. MINIS. Sum his admodum contentus; videoque nunc Bezam pecus esse tam stolidum, vt in diuinis rebus etiam euidentissimis turpiter cæcutiat.

## *ESSENTIAM DIVINAM PROPRIE atque reipsa subsistere in tribus Personis, Patre videlicet, Filio, & Spiritu sancto: non autem personas ipsas in Essentia: contra nonam Caluinianorum hæresim.*

DOCTOR.

PRæceptores vestri propria malitia excæcati, parum admodum vident in mysterio sanctissimæ Trinitatis, qui more suo garriētes dum nugacissimas deblaterant nugas, in eam errorum foueam delapsi sunt, vt existimarunt tres Diuinas Personas in Essentia Diuina subsistere. MINIS. Quid ergo aliud dicendum, & ea de re sentiendum est? DOC. Omninò contrarium, nimirum, quod Essentia vt res tribus Personis communis, in ipsis reipsa subsistat, communicetur, atque ineffabiliter resideat. MIN. Quinam

nam illius erroris authores celebrantur? DOCT. Ioannes Caluinus scribens libro Gallico de actis Serueti: *La parole de Dieu est vne hypostase, qui dés le commencement subsisteit en Dieu.* Quod Latinè est: *Verbum Dei est vna hypostasis, quæ ab initio subsistebat in Deo.* Et in Institutione: *Persona est residētia in Essentia Dei.* Beza, in cathedra pestilentiæ illius successor, eādem disseminat pestem, Libello inscripto, *De vnitate Essentiæ Diuinæ, & tribus in ea subsistentibus personis:* cùm è contrario dicendum fuisset, *de vnitate Essentiæ Diuinæ subsistētis in tribus personis.* Essentia namque subsistit in Personis tanquam singularibus & incommunicabilibus, non autem Personæ in Essentia tribus communicabili. Sed per vias præceptoris incedere cupiens, inepta similitudine efficere nititur, Essentiam Diuinam velut totum quoddam esse, in quo Personæ Diuinæ veluti partes subsistant: quod fastidiosè repetit, & rursum inculcat in Thesibus, 10. 11. 14. 15. 17. quemadmodum & in libello de Quæstionibus & responsis Christianis. Hunc ductorem cæcum secutus Lambertus Danæus in eandem erroris foueam cecidit, cùm nititur has hæreses, quasi veras de Deo sententias defendere. Philippus Mornæus nobilis Gallus eisdem quoque Bezanis sordibus sese commaculauit, qui bis in libro suo De veritate religionis Christianæ, scripsit. *In vnica Essentia Dei tres personas subsistere.* Allius rursum, nescio quis de grege nouitiorum, quique suum nomen sub his notis tantùm prodidit; S. G. S. Commentarijs in primam Hebdomadam Salustij; semel atque iterum eandem recantat palinodiam, bis in eadem pagina, & quater in altera: adeò virus istud in vniuersa Caluinianæ sectæ membra peruasit.

*Pag. 74.* *Li. 1. c. 13. §. 4. 6. 25. 29.* *Lib. con. Gil. Genebrard.* *Cap. 5.* *Pag. 3. & 6.*

MINIST. At mihi perfacile erit istum errorem ex ipsorum authorum testimonijs coarguere. Nam Danæus eodem à te notato libro, ingenuè fatetur *eas loquendi de Deo formas fuisse omnibus sanctissimis, doctissimis & antiquissimis Patribus incognitas; excogitatas porrò recenter à Caluino & discipulis, vt aduersus nouos Arrianos sese opponerent.* DOC. Verùm, vt Satanas Satanam non eijcit, sic nec error vetus nouo errore refellendus est: sed veritatis efficacia, quæ omnia vincit & superat. Itaque in

Confutatio 1.

digito Dei, id est, Scripturis, veterum Patrum interpretatione laudatis, in medium que productis, conterendus & eijciendus est immundus nouorum Arrianorum spiritus: quemadmodum iamdudum à Patribus Nicenis, & alijs deinceps extrusus fuit. Accedit, quòd si de sanctæ Trinitatis mysterio credere, sentire, & docere voluerint, vt vetus sensit & docuit Ecclesia, vt quidem velle se alibi dictitant: non debuerunt aduersus veterem illorum doctrinam nouas & hæreticas dicendi formulas istas excogitare.

2. MINIST. Quinetiam Salustius poëta, à nostris
*Hebdom. 1.* tantopere celebratus, contrarium suo commentatori & Bezanæ sententiæ in hisce verbis Gallicis canit:

*—& dont la Deité,*
*Subsiste heureusement de toute eternité, &c.*

Quod Latinis verbis est; *Cuius Deitas subsistit feliciter ab omni æternitate.* His siquidem profitetur se credere & confiteri Deitatem seu essentiam Diuinam subsistere in personis, & non personas in Essentia, vti Caluinus, Beza, & Mornæus dictitant. DOCT. Et ideo magis ipse laudandus, quòd ex prisca fide sua Catholica id adhuc retineat: Ministri verò maledici & subdoli eò acerbius obiurgandi & puniendi, quòd alios suis pol-
*Num. 22.* luant maculis: instarque Balaami à propria asina edo-
*2. Petr. 2.* cti & moniti, resipere nolunt.

3. MINIST. Quid de re proposita dicendum habebam exposui: tu quid sentias dicito. DOCT. Impietate plena sunt illa eorum verba, quocunque modo ea torquere aut emollire conentur: quod isto dilemmate probo. Cùm dicunt vnamquamque trium Personarum Diuinarum subsistere in Essentia, aut quandam propriam & singularem subsistentiam eidem Essentiæ tribuunt, vt in ea personæ subsistant: aut nullã. Si nullã, non potest sanè fieri vt personæ in ea subsistant, quæ nullam propriã subsistentiam ex se habet. Nam vt animæ facultates non subsistunt in ea, eo quod ipsamet non subsistat, (tametsi enim substantia sit spiritalis & immortalis, quia tamen communicatur corpori vt forma materiæ, parsq; hominis, non dicitur subsistere, sed

tantùm

tantùm existere:) nec lumen in alio lumine, nec calor in alio calore, nec virtus in alia virtute, nec quæcunque qualitas in alia qualitate possit vnquam subsistere, eò quod nullum horum propriam habeat subsistentiam: ita nec Personæ Diuinæ poterunt subsistere in Essentia seu Deitate cùm in se, aut per se non subsistat, sed semper est (vt etiam fatentur aduersarij) natura hisce tribus Personis communis atque communicabilis. Verùm, cùm Pater, Filius, Spiritus sanctus tres sint hypostases seu personæ ex sese subsistentes, efficitur vt Essentia ex se infinita & immensa in his propriè subsistat, non hæ in ea. Nam vel sola natura duce clarum est, id quod multis commune est, non subsistere in se, eo quòd subsistentia præter essentiam contineat in se tantam singularitatem, vt res subsistens nullo modo possit alteri communicari. Deitas verò seu Essentia Diuina & semper ex se communicabilis est, & reipsa communicatur tribus hypostasibus Diuinis. Igitur si propriam non habet subsistentiam, nemo potest sine manifesta hæresi dicere, personas in ea, & per eam subsistere.

*Beza quæst. & respons. pag. 4. & 5.*

MINIST. Anteriora huius dilemmatis cornua longè meo iudicio diffugient, ob rationes in medium adductas: citiusque postremam fatebuntur propositionem, videlicet, Essentiæ Diuinæ propriam attribuendo subsistentiam, in qua tres subsistant Personæ. Ecquid mali in eo est? DOCT. Vah, quid dicis? Nihil absurdius vnquam dici potest. Nam ita mysterium sanctissimæ Trinitatis penitus tollunt, & Quaternitatem personarum in Deo collocant. MINIST. Negabo planè eos sic respondentes, Quaternitatem personarum in Deo constituere. DOCT. Probabo manifestè. Volunt illi personam esse subsistentiam in Deo residentem. MINIST. Ita definiunt Caluinus, Musculus, Beza, & Danæus. DOCT. Fatentur etiam tres personas suas tres habere, aut potius esse subsistentias: alioqui personæ non essent. Ergo si Essentia propriam & singularem suam quoque subsistentiam habeat, quatuor erunt in Deo subsistentiæ: sicque Caluiniani collocabunt in Deo Quaternitatem subsisten-

tiarum atque personarum, sanctissima Trinitate impiè abnegata & labefactata.

MINIST. Nihil planè valeo his respondere, nisi
4. vt propositi dilemmatis aciem eluderem, tantùm illud opponam, quod tres personæ nec subsistunt ex se, nec per se: sed tantùm per Essentiam, & in Essentię propria subsistētia. Et certè sic vult Caluinus nos existimare, qui scripsit, *Personā significare aliquam proprietatem residentē in Essentia Dei.* At proprietas aliam non habet subsistentiam, præter eam, cuius est proprietas. DOCT. Si ita respondeant, vt iudicas, & ex Caluino videris tibi posse colligere; ex Quaternitate decident in Iudaismū & Sabellianismum. MIN. Quonam pacto id concludis? DOCT. Quia solam duntaxat admittentes in Deo subsistentiam, quam Essentiæ tribuunt, vnicam & solam in Deo personam constituunt: quod Iudæi & Sabelliani omnino contendunt efficere. MIN. O quàm pernicioſa & misera res est semel à recto fidei tramite deflectere? Quò n. quis vlterius progreditur, eò peius perpetuò labitur. Video etiã veræ Theologiæ ignorantiam, superbum antiquorum Doctorum cõtemptum, arrogantiam, falsam de se opinionem, effrenatam audaciam, temerariam nouitatis cupiditatem, vsurpatam denique in tanti mysterij verbis immutãdis licentiam, primarios reformationis nostræ ministros in profundam errorum caliginem coniecisse. Sed perge quęso, atque eiusmodi impietatem magis ac magis patefacias, vt eandem homines diligentius diffugiant: & maiori alacritate ad integram sanamq; fidei Catholicæ professionem redeant.

DOC. Nullus est sanæ mentis & constantis iudicij,
5. qui nesciat naturas plurimis indiuiduis ac singularibus communes, in ijsdem subsistere, docente saltem solo rectæ rationis lumine, Vniuersalia subsistere in singularibus: & nunquam singularia in suis vniuersalibus. MINIST. Id aliquo illustrare potes exemplo, vt etiam atque etiam omnibus innotescat. DOCT. Natura Angelica communis Michaëli, Gabriëli & Raphaëli, subsistit in illis singularibus indiuiduis atque personis: non ipsa singularia Angelorum supposita in

natu-

natura communi. Natura seu species humana communis tribus his singularibus hypostasibus, Abrahã, Isaac & Iacob, subsistit in eis: non hi in illa omnibus cõmuni natura atq; Essentia, quæ dicitur humanitas. MIN. Iam istud assequor; idem enim est quod vulgatũ illud philosophicum axioma: Primæ substantiæ subijciuntur secũdis, singulares vniuersis ac communibus: non autem secundæ primis. DOC. Fides autem Christiana est, quod essentia seu natura Diuina communis est tribus Personis Diuinis, non diuisione, sectione, aut extensione, vel propagatione quadam, cùm sit omnino impartibilis & immutabilis; sed infinita atq; incõprehensibili communicatione: quare verè ac reipsa in ijsdem hypostasibus subsistit, quemadmodum ex scripturis, Ecclesiæ decretis, & veterũ Patrum fide tota credit Ecclesia; & non in ea personæ subsistunt, vt noui Caluinianorum Ministri garriunt, demurmurant, obstrepunt. Itaq; constanter docemus, & rectè credimus secundum scripturas, vnicum & solum esse Deum, propter vnicam & eandem essentiam Diuinam in tribus personis: Trinitatem verò personarum propter tres proprietates, quibus à sese personaliter distinguuntur.

*Deut. 4. 6. & 32. Isaiæ 37. 43. 44. & 46. Matth. 4. & 28. 6.*

MINIS. Vix crederes quantum his verbis læta sit conscientia, quamque meam illa adaugeant fidem, vt cultum sanctissimæ Trinitati reliquo vitæ curriculo exhibeam maximum. Existimo etiam legitimũ esse sensum illius nobilissimi Athanasij Symboli: *Fides Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.* Nam credendo hanc simplicem & indiuisibilem Essentiam in Patre Filio & Spiritu sancto ab æterno subsistere, vnicum & verum credimus Deũ: agnoscendo etiam tres personas inter se proprietatibus realiter distinctas, profitemur & adoramus sanctissimam & verissimam hypostasẽn Trinitatem, quarum nomine sacro baptismi fonte perpurgati sanctificamur. DOCT. Rectè sanè nam vt primus articulus, qui Dei vnitatem continet, interuertit Valentianum, Marcionem, Manichæum, aliosque fanaticos,

Athanas.

*Aug. Serm. 129. & 191. de tempore:*

qui diuersas Dei finxerunt essentias: ita secundus, qui de Trinitate personarum est, profligat Noëtum, Sabellium, & omnes alios sæuientis furoris rabie correptos, qui volent in posterum tres personas in vnam confundere, aut quaternitatem quandam cõminisci.

*& lib. 11. de ciuit. ca. 10. & 24.*

7. MINIST. Aliquid è Diuinis & antiquis Ecclesiæ proceribus in hanc rem à te expecto. DOCT. Athanasius, sanctissimæ Trinitatis propugnator, scripsit: Vti simplex Essentia tres personas vinculo incomprehensibili, & vnitate infinita coniungit, ita proprietates seu relationes personales eas personaliter distinguit: quo fit vt Pater, Filius & Spiritus sanctus, propterea quod vnicam eamq; simplicissimam Deitatis substantiam habeant, vnus sunt Deus: nihilominus in tres personas distinguuntur, quia diuersas proprietates possident. Verbi gratia, Pater solus est à se, & ingenitus; Filius solus ab vnico alio, & solus genitus; Spiritus sanctus solus à Patre & Filio, procedens, non genitus. Eadem rursus copiosè & acutè pertractant Victorinus, Hilarius, Augustinus & Fulgentius.

*Aug. in Psa. 68. li. 3. contra Maxim. cap. 10. De Ecclesiast. dog. cap. 1. Epist. 66. & passim li. de Trinit.*

8. Cyrillus, ducentique cum eo Patres ex Oriente & Occidente in Synodum Ephesinam aduersus hæreses Cœlestini & Nestorij conuenientes, aduersus eos sanctissimè decreuerunt, duas in vnica Christi personas, substantias seu naturas, Diuinam nimirum & humanam ita subsistere, vt nec duplex homo, nec duplex Deus, nec duplex Dominus censeatur: sed iuxta Paulum, *vnicus Dominus & mediator noster*. Itaque ad personam solummodo subsistentia per se attinet, non ad naturas, quæ per se, aut in se non subsistunt, sed duntaxat in Personis.

*1. Cor. 8. Ephes. 4. 2. Tim. 2.*

9. MINIS. Id certè adeò verum est, vt etiam Beza veluti priorem excutiens errorem, profiteatur se credere & docere, *in Christo vnicam esse subsistentiam, Diuinæ scilicet Personæ, in qua etiam subsistit assumpta humana natura.* Addit præterea, *quod in persona Filij Dei, duæ subsistunt naturæ, remanentq; firmissimæ.* Hinc ego cõcludo. Si naturæ duæ subsistunt, in Persona Filij vnica singulari & incommunicabili necessariò subsistunt, nõ in seipsis: alioqui

*Li quæst. & resp. pag. 9.*

alioqui tres essent in illo subsistentiæ, sicque tres Personæ, tres Filij, tres Domini, non vnicus: quod impiissimum est vel tantùm cogitasse. Itaque cùm eius confessione, & veteris Ecclesiæ decretis, vnica tantùm sit in Christo subsistẽtia & persona: personarum tantùm est subsistere in seipsis, & naturarum in personis. Conclusio ergo perspicua & certa erit, quod Essentia Diuina subsistit in tribus Personis Diuinis, & non personæ in essentia. Deum immortalem obtestor, me id toto corde crediturum, & qua potero fide & reuerentia tantum mysterium adoraturum & prædicaturum: ab eodem insuper summis precibus contendo, vt me magis ac magis Spiritu suo illustret, vniuersas errorum tenebras dispellat, & ad agnitionem veritatis perducat. Ad alia pergamus.

## *QVOD ESSENTIA DIVINA NON solum sit communicabilis, verùm etiam reipsa tribus personis Diuinis communicata: contra decimam Caluinianorum hæresim.*

DOCTOR.

ALius rursum ex vestrorũ grege versatur in summo errore, & in maxima rerũ diuinarum ignoratione, cùm negat Essentiam Diuinam esse cõmunicabilem. MIN. Ecquis ille tam impius, aut certè stupidus & bardus? DOCT. Certè in eorum ordinem albumque referendus est, quos Tertullianus *bestias lucifugas* quondam appellabat, quoniam & nomen, & patriam, & officium vocationis suæ omnino subticuit: tantum modò Commentarijs quibusdam Gallicis, in primam Hebdomadam poëmatum Guilielmi Salustij Barthasij, mihi innotuit, nomenque proprium tribus duntaxat his literis S. G. S. reliquit diuinandum. Quorundam autem amicorum relatu pro certo didici eum ex Prædicantibus aut Ministris eis esse, qui Caluiniana dogmata per Franciam spargere conantur. Is ergo quisquis sit, planè meo iudicio, impiè scribit in supradictis Commentarijs, *L'Essence* (de Dieu) *est simple, indiuisi-*

*Sectione poëseos, & commentar. 14.*

*diuisible, & incommunicable.* quod est Latinè: *Essentia Dei est simplex, indiuisibilis, et incõmunicabilis.* Rectè quidẽ eam *simplicem* appellat, suumq; poetam coarguit canentem eam triplicem: pieque rursum eam *indiuisibilem* prædicat, Bezam damnans, illam realiter in tres personas secernentem: sed omnino hîc error est, idemque turpissimus, vbi eam censet, scribitque esse *incommunicabilem.*

Cõfutatio, 1. Tit. 3. Section 6.

MINIST. Proh hominis leuitatem ac inconstantiam! Nam seipsum coarguens, ac, vt Paulus ait, proprio iudicio condemnans, paulò ante scribit: *Le Fils de Dieu est engendré du Pere, & le saint Esprit procede du Pere & du Fils, par vne indicible & incomprehensible communication de toute l'essence de toute eternité.* Quod Latinè dicitur: *Filius Dei est genitus à Patre, & sanctus Spiritus procedit à Patre & Filio, ineffabili & incomprehensibili communicatione totius Essentiæ ab omni æternitate.* Quid hac inconstantia, mobilitate, & leuitate, in rebus præsertim tanti momenti turpius? Quod hîc tam sanctè affirmat Essentiam Diuinam reipsa communicari tribus personis, post quatuor aut quinque pagellas contra scribit, *eam esse incommunicabilem.* Me non solùm piget huiusmodi Ministrorum insaniæ, sed etiam pudet.

2. DOCT. Attendas quoque velim, quàm absurda sequerentur, si Essentia Diuina incommunicabilis subsisteret, pro vt Minister iste commentatur. Esset enim per se & propriè Persona: quoniam Persona (vt postea copiosius differemus) est rationalis naturæ incommunicabilis existentia: sicque in Deo Quaternitas personarum constitueretur: quod summam resipit impietatem. MINIST. Vis paucis dicam meum de hoc authore iudicium? Ego hominem impurum & sceleratum puto.

3. DOCT. Nec illud solum absurdum sequitur: verùm etiam nec Patrem esse Deum verum, quoniam iuxta Ministri axioma, Essentia Diuina in illo non est à se communicata: nec Filium esse verè Deum, quia Pater non communicaret ei Essentiam suam, cùm sit incommunicabilis: nec Spiritus sanctus Deus verè crederetur, quandoquidem Essentia Diuina, Prædican-

dicantis Caluiniani sententia, nec actu communicatur, nec est vlli communicabilis. MINIS. Horrendum dictu, tam cæcam & conscelleratam esse quorundam ministrorum mentem.

DOCT. Animaduerte rursum, quàm absona sequantur, si Essentia Dei sit incommunicabilis. MIN. Animum & mentem adhibeo. Cedò tandem. DOCT. Nec Christo homini virtute altissimi obumbrante, in virgine Maria concepto, communicata fuisset Filij Dei Diuina Essentia & natura: sicque nulla esset inter Deum & hominem hypostatica vnitio, nulla Verbi incarnatio, nullus (quod exhorrescens scribo) mediator Dei & hominum homo Christus IESVS: tandemque vel ad Iudaismum redeundum esset, & Messias adhuc prestolandus; vel ad Alchoranũ declinãdum, quo nullus ducitur humani generis redemptor, qui simul Deus & homo credatur & adoretur. MIN. Rem tam infandam & execrandam Ministrorum synodis castigandam quæso te, relinquamus: & de alijs quæstionibus disseramus.

4 *Luc.1.*

1.*Tim.2.*

## *DE SIGNIFICATIONE RATIONEQ; PERSONAE in Deo, quodq; Pater, Filius, & Spiritus sanctus sint reipsa propriæq; personæ; & non quædam solùm proprietates: aduersus vndecimam Caluinianorum hæresim.*

DOCTOR.

POstquam nouus Geneuensis Apostolus vnicam Dei essentiam velut in frustula dissecare, quaternitatem inuehere, & sanctissimæ Trinitatis nomen, cultum, & inuocationem per se suosque sepelire & abolere frustra conatus est: omni postea impetu in rationem PERSONARVM itruit, & germanam personæ significationem (pro vt à Christianis in hoc mysterio semper vsurpata fuit) nefariè conuellere, & impudenter labefactare studuit. Vult namque nomen PERSONAE in scripturis accipi *pro rebus externis, quæ aliquo in pretio & honore haberi solẽt.* Et rursum iisdem

*Com. in 2.Cor.4. Rom.9.11.*

erroris implicatus laqueis, scribit in primum caput
*Com. in 1. c. Ioan. v. 1.* Ioannis: *Personas vocarunt, discretas in Deo proprietates, quæ se mentibus nostris conspiciendas offerunt.* Marloratus Rhapsodijs in eundem locum, similem Personæ finitionem Musculo tribuens, secum illum in eodem inuoluit errore. Adeò iuxta Caluinianorum sententiam Deus Pater ideo est persona, quia proprietas, quæ se mentibus conspiciendam offert: Filius persona, quia proprietas animo nostro concepta: & Spiritus persona, quia proprietas in Deo mente conspecta. Denique in Deo tot essent personæ, quot proprietates, quæ se mentibus nostris conspiciendæ offerrent. Quid de his

Confutatio tibi videtur?

1. MIN. Dico ingenuè, Caluinũ turpiter secum in hac re cõfligere: imò & improbissimi Serueti, quem scriptis lacerauit, demumque viuum flammis absumendum Geneuę procurauit, impietatem reparare. Primò enim
*L. 1. c. 13. §. 6.* in Institutione scribit: *Personam voco subsistentiam in Dei essentia, quæ ad alios relata, proprietate incommunicabili distinguitur.* His enim & Personã aliquid esse præter proprietatem fatetur, & propius ad rei veritatem accedit.

2. DOCT. Serueti errorem quomodo reparat? MIN.
*Lib. de actis Serueti. Ser. L. 2. de Trinit. pag. 47. & 49.* Aiebat ille, eodem recitante & scribente Caluino: *Temerarium est de Verbo, seu Sermone, facere Filium. Per Sacramentum Verbi antiquior traditio intellexit quãdam in Deo dispositionem.* Et iterum: *Verbum Dei est caro factum, quia suas dispositiones in carne manifestandas decreuit Deus.* Nunquid non est hoc ex hypostasi seu persona Diuina Filij (de quo agitur Ioan. 1.) efficere tantùm dispositionem, cogitationem, ac residentẽ in Deo proprietatem quandam distinctam? Caluinumque se prębere discipulum ac imitatorem infelicissimi Serueti, quem fingit se vt canem impurum abhorrere? Nihil enim aut parum admodum differt Personæ descriptio, tam à Caluino præceptore, quàm à discipulo eius Serueto allata: imò hæc ab illa omnino desumpta est, & quorundam verborum tantùm formulis immutata & distincta.

3. Deinde, videtur mihi Caluinus instaurare Noëtianorum, Sabellianorum, & Priscillianistarum iam vetustate obductas blasphemias: quibus diuinas tres Personas

sonas nihil esse autumabant, quàm tres proprietates & perfectiones Dei. Interrogati enim apertè fatebantur se credere in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, tãquam in tres proprietates in Deo residentes, quarum vna ad aliam relata, ab ipsa distincta esset, vt & Seruetus & Caluinus & Musculus agnoscunt: sed tres esse personas proprietatibus distinctas, palam negabant. DOCT. Vera omnino loqueris. Nam Athanasius Oratione contra Sabellij gregales, & Basilius Oratione contra Sabellianos, eos damnant & reijciunt, eo quod dicerẽt hypostasim Verbi rem non esse subsistentẽ: sed tantùm quendam conceptũ in Patre residentem: quod & antea inter somniandum ructauerãt sordidi Valentiniani & Gnostici, vt est apud Irenæum Martyrem. Càluiniani ergo cum his furentes, eisdem diris & execrationibus sunt deuoti. Athanas. Basil. Irenæus. Lib. 2. c. 18.

His addendum, Patres antiquissimos tam Græcos quàm Latinos, & seorsim in Libris suis, & palam in Concilijs, quid vox *Persona* significet longè aliter declarasse. Edicũt enim illa dictiõe significari *Naturæ intelligẽtis* (quales sunt Diuina, Angelica, & humana) *substantiam ita suis proprietatibus singularem & subsistentem, vt sit prorsus impossibile eam alteri communicari.* Sic persona Patris non est simpliciter, &, vt in scholis loquimur, formaliter sua proprietas, videlicet paternitas: sed id quod ex ea constitutum est hypostaticè cum eius essentia. Persona Filij non est simpliciter & formaliter proprietas sua, quę dicitur filietas: quemadmodum & persona Spiritus sancti, non est formaliter sua proprietas, id est, processio, seu spiratio passiua: sed suppositum constitutum ex essentia seu natura Diuina, & ex ea spiratione passiua. MIN. Mihi videor istud mysterium quantum homini fas, satis intelligere: tantùm percupio veterum Patrum nomina, & de hac re locos designari, vt maiori otio mihi aliquando liceat in horum fontibus sitim meam extinguere. DOCT. Illud tam sanctè declararunt, quàm doctè comprobarunt antiquissimi Apostolicæ doctrinæ propugnatores, clarissimaque Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ lumina, Iustinus Martyr & Philosophus, libro de sancta & co-

essen-

essentiali Trinitate: Athanasius serm. cõtra Arrianos, & contra Sabellij gregales: Basilius libris aduersus Eunomium: Nazianzenus, Epiphanius, Cyrillus, Theodoretus: & vt Latinos Græcis coniungamus, Hilarius, Victorinus, Ambrosius, Augustinus, Fulgentius, Eugenius Carthagineusis, Boetius, &c.

5. Sed & Rufinus Aquileiẽsis in historia Ecclesiastica recenset decreta antiquissimæ Synodi Alexandrinæ, quibus ante annos mille & ducentos constitutum fuit, tres propriè hypostases seu personas Diuinas, vnius substantiæ, in Deo adorandas & confitendas esse aduersus Sabellianos & Arrianos: & districtè prohibitũ, ne quis eas vel cũ officijs quibusdã, vel proprietatibus permisceret, vt impij faciebant Sabelliani, cùm Trinitatẽ in nominibus tantùm, & non in rebus atque subsistentijs constituerẽt. MIN. Maiorem profectò salutis suæ rationem habent, qui eruditam sanctamque sequuntur antiquitatem, quàm qui temeraria recentiorum & superba amplectuntur dogmata. Neque enim veteres illi Patres nouam constarunt doctrinam, sed potius à maioribus acceptam illustrarunt, & successiuè posteris suis tradiderunt. Qui ergo aliter dixerit, Apostolicam doctrinam videbitur euertere, vt sensa animi sui immatura quadã cogitatione digressa possit aliquo modo stabilire.

*Apud Euseb. lib. 10. c. 9.*

6. Sed quibusnam modis probares Personæ definitionem à Caluino & Musculo excogitatam, esse falsam & erroneam? DOCT. Primò, quia non est integra, nec idoneis verbis expressa: imò & conditionibus necessarijs destituta, vt patet, si quis definitionem ex Patribus allatam cum ea velit conferre. Nam si quis hominis veram & integram rationem exprimere vellet, nequaquam id faceret satis, vnam vel alteram solummodò eius proprietatem adferens, vtpotè, quòd aptus ad risum, quòd disciplinæ capax, aut quod morti obnoxius foret: genus interea & differentiam, quæ potissimæ sunt bonæ finitionis partes omittens. Sicut nec ad declarandam propriam Angeli hypostasim, sufficeret eum dicere, Nuncium Dei, libera voluntate, & magna potentia præditum: sed opoteret addere, Substantiam

tiam esse incorporeã & rationalem, & ita singularem, vt ad eum solum, quem velles nominare, siue Michaëlem, siue Gabrielem pertineret.

Deinde, si Caluiniana definitio admitteretur, ex ea facilè concluderetur, animam rationalem à corpore seiunctam, plurimas in se continere personas, quia in se habet Intellectum, Memoriam & Voluntatem non aspernandas proprietates & facultates, quarum vna non parum distinguitur ab altera: quandoquidẽ nunquam possunt de se inuicem enũciari, aut permisceri. Idem iudicium ferendum esset de Sole, quem eximio splendore, calore, ordine, motu, situ velut proprietatibus prestantissimis ornatũ cõspicimus. Idem prorsus de Luna, de stellis, de cælis, de elementis, de arboribus, lapidibus, belluis, ac demũ de omni re singulari, quasdam proprietates in se habente pronunciandum esset: quod omni doctrinæ tam Diuinæ quàm humanæ penitus repugnat. 7.

Postremò, sequeretur in solo Deo Patre tres esse personas, cùm in eo tres comperiantur proprietates distinctæ, & nostro intellectui ita subiectæ, vt ab eo considerari possint, nempe, paternitas, innascibilitas, & spiratio actiua. Filius item vt Dei Filius est, duplicẽ haberet personam, quia in eo verè deprehendũtur duæ proprietates distinctæ, videlicet, filietas, & spiratio actiua: vt homo verò tot personas contineret, quot proprietates singulares in eius corpore, & anima intellectus noster concipere valeret; quod omnino rabidas Arrianorum & Nestorianorum opiniones superat. Solus etiam Spiritus sanctus in tot personas remaneret distentus, & reipsa effusus, quot proprietates, perfectiones, atque charismata eidem in sacris literis tribuuntur. Hæc & alia sunt multum absurda, quæ erroneam Caluini definitionem consequuntur. 8.

MIN. Satis nunc Dei gratia, perspicio, quàm falsa & impia sit Personæ ratio à Caluino designata: vtinã eam sacris scripturis viderem confutatam. DOCT. Id curabo pro viribus. Vniuersæ in primis scripturæ, quæ docent Patrem genuisse Filium, & Filium à Patre genitum, Patrem & Filium produxisse Spiritum sanctum, 9.

ctum, & hunc ab ijsdem verè productum esse, satis dilucidè indicant personas non esse nudas aut simplices proprietates, sed quasdam hypostases ex his & essentia constitutas: quoniam proprietates, quæ omnes ex seipsis relationes sunt, nec quicquam gignere aut producere possunt, sed neque ipsæ dicuntur productæ vel genitæ. Ideo nunquam dicitur, Paternitas genuit filietatem, filietas est genita à Patre, aut paternitas & filietas producunt Spirationem passiuam, aut denique Spiratio passiua seu processio est producta à paternitate & filietate: quod tamen verè proprieque enunciaretur, si personæ solummodo essent relatiuæ proprietates, vti Caluinus commentus est. Etenim reuera Spiritus sanctus in scripturis, & omnium Christianorum ore vbique loquitur, Pater genuit Filium, Filius genitus est à Patre, Pater & Filius producunt seu spirant Spiritum sanctum, Spiritus sanctus procedit ab vtroque: quibus dicendi formulis satis est manifestum, personas non esse simplices proprietates, aut perfectiones animo conceptas: sed quid præterea constitutum ab ipsis & essentia. Innumera porrò sunt testimonia, quibus & Pater propriè Pater appellatur, non paternitas: Filius propriè Filius nūcupatur, non filietas: & Spiritus concinnè dicitur, non spiratio.

*2. Reg. 7. Psa. 2. 44. 71. Ioā. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 10. 11. 12. 13. &c. Rom. 6. 15. 1. Cor. 15. 2. Cor. 1. 11. Ephes. 1. 3. Coloss. 1. 2. Matth. 3. 17. Heb. 1. 4. 5. 6. 7. 10. 1. Pet. 1. 2. Pet. 1. 1. Ioan. 1. 2. 4. 5. Apoc. 2. 3.*

10. Adsis etiam animo, quando Scripturæ præstantissima Dei mundum creantis & conseruantis opera prædicant, aut etiam vel tremenda iudicia in impios delata, vel beneficia pijs collata narrant: nunquam attribuunt hæc quibusdam proprietatibus aut residentijs à Pseudoapostolo vestro excogitatis; nunquam efferunt proprietatem mundi creatricem aut rectricem; nunquam Adæ, Caino, mundo, Sodomitis, Aegyptijs commerita supplicia inferentem; nunquam Noë, Abrahæ, Isaac, aut Iacob colloquentem; nunquam cum Mose, cum Samuele, cum Elia, cum Iona, cum Isaia, aut cæteris Prophetis de generis humani salute differentem. Rursum, nunquam sustinent quandam proprietatem relatam in Virgine pro nobis esse incarnatam, conceptam, natam, pannis inuolutam, reclinatam in præsepio, vberibus lactatam, circuncisam, à pastoribus

ſtoribus & Magis adoratam, oblatam in templo, delatam in Aegyptum, relatam in Galilæam, pro nobis denique crucifixam, mortuam, vel ſepultam, &c. Nunquam proferunt proprietatem quandam locutam eſſe per Prophetas, in Deiparam ſuperueniſſe, in Chriſtum per ſpeciem columbæ deſcendiſſe, aut eundem ad euangelizandum pauperibus vnxiſſe & miſiſſe, aut in Apoſtolos in ſpecie linguarum ignitarum deſcendiſſe. Denique, nullo vnquam loco præcipiunt baptizandas eſſe omnes gentes in nomine trium proprietatum in Deo reſidentium: ſed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, qui reipſa tres ſunt perſonæ, ex eſſentia Diuina & proprietatibus ſuis conſtitutæ, atque inter ſe diſtinctæ: vnus autem verus & ſolus Deus. Atque hîc iterum atque iterum repeto, quod tam grauiter & ſanctè Auguſtinus ſemel pronunciauit: Qui poteſt capere, capiat: qui autem non poteſt, credat: & erret, vt quod credit intelligat. *L. 3. cont. Maximinum Arrianum, cap. 10.*

MIN. Mihi iam ſatis ſuperque de ſcripturis patribuſque dixiſſe videris: nec ambigo, ſi Perſonæ Diuinæ proprietates tantùm eſſent, id alicubi Scripturæ indicaſſent: ſupereſt, vt doceas me ex Auguſtino, quid diſcriminis conſiderandũ ſit inter Hypoſtaſim, perſonã, & ſubſtantiam, quandoquidem audierim, Hieronymum addubitaſſe dicendum ne foret, in Deo tres eſſe hypoſtaſes, ſubſtantias, aut perſonas. DOCT. Facilè percipies, ſi orationi eius animum aureſque adhibueris. Ait enim: Sicut non dicimus tres eſſentias, ſic non dicimus tres magnitudines: ſed vnam eſſentiam, & vnam magnitudinem. Eſſentiam dico, quæ οὐσία Græcè dicitur, quam vſitatius ſubſtantiam vocamus. Dicunt quidẽ & illi hypoſtaſin: ſed neſcio quid volũt intereſſe, inter Vſiam & hypoſtaſin: ita vt plerique noſtrum, qui hæc Græco tractant eloquio dicere conſueuerint, μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑπόστασις, quod eſt Latinè, Vnam eſſentiam, tres ſubſtantias. Sed quia noſtra loquendi conſuetudo iam obtinuit, vt hoc intelligatur cùm dicimus *eſſentiam*, quod intelligitur cùm dicimus *ſubſtantiam*: non audemus dicere vnam eſſentiam, tres ſubſtantias, ſed vnam eſſentiam vel ſubſtantiam, tres autem perſonas, *L. 3. cont. Max. cap. 7. 8. 9.* 11.

nas, quemadmodum multi Latini digni authoritate dixerunt. Et idem rursum: Græca vox ὑπόστασις nonnunquam substantiam significat, aliâs personam: sed inopia verborum, malitiaque hæreticorum effectum est, vt Ecclesia postremam sibi reseruarit significantiam, sicque profitetur, non tres substantias, sed tres in Deo hypostases seu personas, in vnica substantia. Rursumque idem ait: In hunc modum Pater & Filius & Spiritus Sanctus, personarum sunt ab inuicem proprietate distincti. Et alio loco: Impietatem Sabellij declinantes, tres personas expressas sui proprietate distinguimus. MIN. Mihi ex his videre videor, voces *hypostasis & substantia* ex se quidem homonymas esse, & tam substantiam significare, quàm personam: veruntamen Ecclesiæ vsu atque authoritate effectum, vt hypostasis tantummodò ad personam hoc in mysterio designandam arctaretur, sicque tres dicãtur hypostases seu personæ: vox autem substantia tantùm ad essentiam & naturam pateret, adeò vt vna solùm in Deo substantia, essentia, seu natura credenda & confitenda sit.

12. DOCT. Rem profectò acu tetigisti. Sed quòd ad Hieronymum spectat, ille omni fide & constantia Sanctissimæ Trinitatis mysterium credidit, docuit, adorauit, & aduersus omnes hæreses acerrimè propugnauit, veluti cùm scripsit: Nos Patrem & Filium & Spiritum sanctum in sua vnumquemque persona ponimus: licet substãtia copulemus. Et idem rursum: Propterea vna fides dicitur, quia simpliciter in Patrem & Filium & Spiritum sanctum credimus. Et baptisma vnum, quia eodem modo, & in Patrem & in Filium & in Spiritum sanctum baptizamur. Et ter mergimur, vt Trinitatis vnum appareat sacramentum. Et non baptizamur in nominibus Patris & Filij & Spiritus sancti, sed in vno nomine, quod intelligitur Deus.

*Epistola ad Marcellam. Com. in c. 4. ad Ephes.*

MIN. Non hoc volebam, quòd Hieronymus de vera huius mysterij fide aut confessione dubitasset: sed quòd de vocibus hypostasis, persona, substantia, factum ei fuisset negotiũ. Cedò, quod illud fuit? DOCT. Illud ipsum ergo suis verbis copiosè enarrantem audi Hieronymum: Interrogamus, (inquit) de his, qui fidei

*Hierõ. tom.*

ſuæ confeſſionem vt proferret, doloſè & malitioſè vrgebant) quid tres hypoſtaſes poſſe arbitrentur intelligi. Tres perſonas ſubſiſtentes, aiunt. Reſpondemus nos ita credere. Non ſufficit ſenſus, ipſum nomen efflagitant: quia neſcio quid veneni in ſyllabis latet. Clamamus, ſi quis tres hypoſtaſes, aut tria enypoſtata, hoc eſt, tres ſubſiſtentes perſonas non confitetur, anathema ſit. Et quia vocabula non ediſcimus, hæretici iudicamur. Si quis autem hypoſtaſim Vſiam intelligens, non in tribus perſonis vnam hypoſtaſim dicit, alienus à Chriſto eſt: & ſub hac confeſſione vobiſcum pariter cauſterio vnionis inurimur. Diſcernite, ſi placet, obſecro: non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi iubetis: condatur noua poſt Nicenam fides: & ſimilibus verbis cum Arrianis confiteamur orthodoxi. Tota ſecularium literarum ſchola nihil aliud hypoſtaſim, niſi Vſiam nouit. Et quis rogo, ore ſacrilego tres ſubſtantias prædicabit? Vna eſt Dei & ſola natura, quæ verè eſt: id enim quod ſubſiſtit, non habet aliunde, ſed ſuum eſt. Cætera quæ creata ſunt, etiamſi videntur eſſe, non ſunt; quia aliquando non fuerunt, & poteſt rurſum non eſſe, quod non fuit. Deus ſolus qui æternus eſt, hoc eſt, qui exordium non habet, eſſentiæ nomen verè tenet. Iccirco & ad Moyſem loquitur: *Ego ſum, qui ſum.* Et rurſum, *qui eſt, me miſit.* MIN. Satis mihi eſt. Video enim Hieronymi timorem fuiſſe, ne ſub hypoſtaſeon titulo tres ſubſtantiæ aut eſſentiæ in Deo inueherentur: ac ideo ſapienter à ſancto Pontifice Damaſo petit, vt Græcæ dictionis homonymia explicata, ad vnius rei, id eſt, perſonæ, ſignificationem determinaretur: quod & factum eſt, &c. Supereſt ſcire, vtrum Caluinus ſuos in alijs quoque de ſanctiſſimæ Trinitatis dogmatibus fefellerit.

*2. epiſt. 57. ad Damaſum Papam.*

*Exod. 3.*

## *PATREM, FILIVM, ET SPIRITVM ſanctum vnicum omninò eſſe principium, ſimpliſſimq; cauſſam rerum omnium: aduerſus duodecimam Caluinianorum hæreſim.*

## DOCTOR.

SAcrorum veſtrorũ Antiſtites in deſignãda rerum omnium cauſa & vnico principio turpiſſimè lapſi ſunt, quando tres Diuinas Perſonas velut inæquales, ſic in diuerſas diſtribuunt claſſes ac ſedes, vt Pater ſit primum, Filius ſecundum, Spiritus tertium tantùm omnium rerum principium: Pater primę cauſſę, Filius ſecundæ, Spiritus ſolummodò tertiæ cauſſæ rationem habeat. MIN. Quibus eos teſtibus & argumentis conuinces, ſi negent? DOCT. Primæ, ac Pyſſiaci in Gallia, publicis regni comitijs propoſitæ Confeſſionis fidei ſuæ teſtimonio. Illic enim, duce Beza, duodecim Miniſtri, qui nomine omniũ Zuinglianorum & Caluinianorum prę ſtò fuerunt, verbo & ſcripto iſtud profeſſi ſunt his verbis, tametſi Gallicis: *Sancta nos edocet ſcriptura, quod in ſola & ſimplici eſſentia Diuina, quam confeſſi ſumus, tres ſunt perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Pater prima cauſſa, principium & origo omnium rerum: Filius ſermo & ſapientia eius: Spiritus ſanctus eius virtus, poteſtas, & efficacia.* MIN. Legi equidem eadem prorſus verba in primę Confeſſionis ſexto articulo; verùm, vt dicam ingenuè, mihi veriſſima videbantur. DOCT. Vera quidẽ eſt prima ſententia, quæ Eſſentię Diuinæ ſimplicitatem & vnitatẽ prędicat; deinde, tres Diuinas Perſonas in Deo eſſe fatetur: ſed in poſtrema venenum latet colchicum, cùm ſolum Patrem vocant omniũ rerum cauſſam, principium, & originem: Filio autem & Spiritui ſancto hunc Diuini honoris titulum adimunt; aut ſaltem in ſecundo aut tertio cauſſę principij & originis rerum omnium volunt tantùm conſiſtere loco. MINIST. Miror ſi iſtud è ſchola Caluini didicerint? DOCT. Mirari deſines, ſi attendas hunc peſtiferum hominem, vt paulò ante diſſeruimus, ſcribere, *Nomen Dei per excellentiam ad ſolum Patrem pertinere, huncq; ſolum propriè cæli & terræ creatorem eſſe: imò & Patri ſubiectum Filium etiam ſecundum Diuinitatem.* MIN. Profectò ſi hîc vera Caluinus effert, Filius non ſecunda tantùm rerum omnium cauſſa, ſed & impropriè Deus dicendus eſſet. DOCT. Eundem rurſum confirmans & adaugens errorem ſuum, alibi ſcribit: *Seſſio Chriſti ad dexteram,*

*L. adu. Val. Gentilem: & Inſt. l. 2. c. 14. §. 3.*

*xteram, metaphoricè accipitur pro secundo vel proximo gradu, quem Dei vicarius occupat.* Et rursum alibi: *Dicitur sedere ad dexteram Patris, quia summus Rex constitutus, quasi secundam ab eo honoris & imperij sedem obtinet. Sedet ergo ad Patris dexteram, quia eius est vicarius.* Rursumque: *Perinde est ac si vocetur Dei vicarius, cùm metaphoricè dextera secundam à Deo potestatem significet.* Eiusdem erroris sordibus vos vestrosque liberos inquinat in Catechismo suo Geneuano, his vtens verbis: *In vnica & sola Essentia Diuina debemus considerare Patrem veluti principium, originem, & causam primariam omnium. Deinde, Filium eius, &c.*

*In c. 22. Mat. v. 44: & in 26. v. 64: & in 16. Mat. v. 19.*

*Dominic. 3.*

MIN. Sint hæc Caluini suorumque assectatorum placita, diffiteri non possum: sed cur his Zuinglianos & Tigurinos etiam annectis? DOCTOR. Duplici de caussa: priore, quòd Petrus Vermilius illinc in Galliam tunc accersitus, illorum nomine præfatæ primæ Confessioni subscripsit. Posteriore, quòd Henricus Bullingerus in cathedra pestilentię Zuinglij successor, adfirmare & publicare non dubitauerit: *Personas Diuinas gradu, forma, & specie esse differentes*: quod veteres Arrianorum errores non æquat modò, sed & impietate longissimè superat. Quod tuum est de his capitibus iudicium? Apertissimè & planissimè explica.

*L. adu. Coch.*

MIN. Planè iudico Bezam in primis hac in re secum apertè pugnare. Nam in maiore fidei suæ Confessione, quam nos omnes vt veram sanctamque vult profiteri, scribit in hunc modum: *Diuinæ personæ sunt coessentiales, & coæternæ, sine confusione proprietatum & relationum, sine vlla inæqualitate, quemadmodum ex sacra scriptura aduersus Sabellium, Samosatenum, Arrium, Nestorium, & cæteros Ecclesia sanctissimè & prudentissimè censuit: quorum hæreticorũ impios errores ex animo detestamur.* Adijcit paulò post: *Trinitatis enim opera sunt inseparabilia.* DOCT. Rectè sanè. Aduersatur namque initio præceptori suo, tam enixè flagitanti, nomen Trinitatis & personarum esse sepultum: quando illud nihilominus in fidei suæ professione reponit. Deinde, confitendo nullam esse inter personas inæqualitatem, eiusdem magistri sui, Filium Patri subijcientis; & secundum tantummodò honoris, imperij, & causſæ rerum eidem relinquentis

Cõfutatio. 1.

*Punct. 1. art. 2.*

*Punct. 2. ar. 4.*

locum, impietatem coarguit: simulque Bullingeranam gradationem apertè damnat: probando denique Ecclesiæ Catholicæ in dirimendis & damnandis hæreticorum controuersijs, summam authoritatem, multis modis res suas extenuat: de quibus aliâs dicemus.

2. MIN. Deinde, cùm animũ adijcio ad omnes Scripturarum Diuinarum locos, quibus totius huius mundi creatio, conseruatio, administratioque per Spiritum sanctum nobis exponitur, hæc non soli Patri vt caussæ primæ, deinde Filio vt secundæ, aut Spiritui vt tertiæ, tribuitur: sed vbique atque æqualiter Deo vni & vero: quo nomine, Doctore etiã Luthero, Trinitas personarum in vna Diuina natura rectè significatur. Atque iccirco Moyses non dixit, In principio creauit Adoni, aut Eloha, (singulari numero) cælum & terram: sed vsus est vocabulo pluralis numeri, Elohim, vt certo consilio spiritualibus significaret, quòd in natura Diuina sit personarum pluralitas. Cùm igitur neque hîc, neque vsquam alibi audiantur diuersi gradus caussarum, diuersi ordines principiorum, aut diuersæ classes originũ huius mundi, sed tantùm vnus Deus, vnus Dominus, vnus Creator & Rector omnium ab omnibus celebretur; nefas dictu est, Patrem solum aut caussam primam esse, Filium secũdam: aut Patrem solum propriè cæli ac terræ creatorem, Filium & Spiritũ impropriè, vti Caluinus impiè comminiscitur.

*Genes.* 1.2.5. 6.14. *Deut.* 4.26. 32. *Ps.* 32.88.103 *Ephes.* 3. *Coloss.* 1.3. *Apo.* 4. & 10 *Com. in c.* 1. *Genes.*

3. Huic etiam sententiæ optimè consentire, & Bezanos, Bullingeranosque gradus in Deo creante confictos penitus euertere videntur, simul Christianæ fidei symbola, in quibus vno eodemque modo creatio rerũ vni & soli principi Deo in personis trino accepta fertur: non huic personę singulari vt potiori, alteri vt minori caussæ tribuitur. Profitemur enim vniuersi, *Credo in Deum Patrem, creatorem cæli & terræ. Credo in vnũ Deum Patrem omnipotẽtem factorem cæli & terræ, visibiliũ omnium & inuisibilium.* Hoc autem Dei nomine Patrem, Filium & Spiritum sanctum vnicum Deum totius vniuersi conditorem & rectorem significari, etiam Caluinus in Genesi, & Catechismo non diffitetur: & ea propter non solùm indoctè, sed etiam impiè idem mihi facere videtur,

videtur, cùm alibi Personas Diuinas secernit in diuersos causſarum ordines, hancque primam, istam verò secundam vel tertiam tantummodò fingit. Atque hoc meum, quod postulabas, de his capitibus iudicium: tu nunc quod sentis edicito.

DOCT. Quemadmodum Diuina ad Prophetas & Apostolos facta oracula constanter & perpetuò testificantur, Deum Patrem Filium & Spiritum sanctum vna tantū constare natura, essentia seu Diuinitate, ita etiam vnica præditum voluntate, bonitate, atque potestate; quandoquidem Diuina voluntas, bonitas, aut potestas nihil alienum à Deo est, nihil aduētitium aut accidentariū, sed ipsemet Deus bonus, volens, & potens. MIN. Istud cunctis Christianis est in confessò, & omnes testantur scripturæ, vt nuper exposuisti. DOCT. Atqui vniuersa condita sunt per eam voluntatē, bonitatem, & potestatem: proinde totius vniuersi vnicum est principium, vna simplexque causa, videlicet Deus trinus & vnus. MIN. Firmissimū & clarissimū est argumentū. Etenim si rerum tres essent causſæ diuersæ, triáve principia inæqualia, tres haberent voluntates, tres bonitates, tres potestates subordinatas, trinum & variū deniq; modum agendi; sicque ex consequenti tres haberent naturas: cùm igitur Patris, Filij, & Spiritus sancti vnica & impartibilis sit Deitas, vnica voluntas, & vnica potestas, vnica quoque fuit vis atq; efficax operatio in rerum omnium creatione, non per gradus prioris aut posterioris, maioris vel minoris varia & dissimilis. 4.

DOCT. Istud omnibus modis fulciunt scripturæ, quæ vnum Deum, vnum Dominum, & vnum Patrem nobis animo contemplandum, complectendumque proponunt, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, & in omnibus omnia nobis est. MIN. Certè quidem toties ad vnū considerandū & credendū omnium rerum authorem ablegamur, ne cum profanis hominibus aut varios deos, aut etiam in vno Deo varias causſarum sedes rationesque inquiramus: sed contenti illius solius Deitate & omnipotentia omnino quiescamus. 5. *Matt.* 19. 28. *Marc.* 10. 12. *Act.* 17. *Rō.* 3. 10. 11. 1. *Cor.* 5. &c.

DOCT. Accedunt grauissima sanctissimaq; veteris Ecclesiæ decreta, quibus in fidei Christianæ articulis 6.

*Athan. symb.* credendum reponitur, Tres Diuinas personas non esse tres deos, tres dominos, tres omnipotētes, tres æternos: sed vnum omnino Deum, vnum Dominū, vnum æternum, atque immensum, à quo cætera omnia, tanquam ab vnico principio, orta sunt, seruantur & reguntur. Quorsum ergo tres diuersæ causſæ connumerantur à Caluinianis? Quorsum tria principia rerū creatarum? Nam vt Pater est prima causſa omniū, sic & Filius, sic & Spiritus: & non tres causſæ, non tres origines, non tria initia, nō tres creatores; sed vnus creator, vna causſa, vnicumque cunctorum omnipotens principium.

7. MIN. Lætor magnoperè hac nostra congressione, quæ maximā mihi imprimis adfert consolationē: cumulabitur aūt multò amplius gaudium meum, si audiero quid de his sanctissimi & doctissimi veteres Ecclesiarum pastores senserunt ac docuerunt. DOCT. Augustinus Faustum Manichæū de grauissimis aduersus sanctissimam Trinit. arguit contumelijs atque blasphemijs, quòd sustineret Patrem esse præcipuum lumen, Filium verò in secunda luce consistere, Spiritum S. verò tertium lucis locum possidere. MIN. Sunt igitur Manichęorum furore ac insania perciti Calu. & Bullin. qui eadem deliria, imò & longè deteriora de sanctissimis tribus Personis Diuinis scribunt & prædicant.

*L. 20. contra Faustum, ca. 2. &c.*

8. DOCT. Idem rursus sanctissimus & doctissimus Antistes reprehendit Arrianos, propterea quòd dicerent Patrem Filio maiorē, & Spiritum S. Filio adhuc minorem: proindeq; tres gradus eis personis assignarent, & totidem deos constituerent. MIN. In eandem erroris foueā decidit Caluinus, Filium etiam quantum ad Diuinitatem Patri subijciens: obruitur verò maiore blasphemiarū suarum grauitate ac pōdere Bullingerus, qui non solū tres gradus, sed etiā tres formas, tresq; species differētes in tanta tamq; intima vnitate cōminiscitur.

*Comment. in Psal. 130.*

9. DOCT. Sunt etiam ab eodem sancto Doctore August. Aëtiani & Eunomiani hæreseos crimine dānati, eò quòd sustinerent Filiū Dei non esse Patri suo æqualem; nec Filio Spiritum sanctum. Lata est quoque eadem sententia in Donatistas, pro eo quòd scripserant, Filium Patre suo minorem, Spiritu autē sancto maiorem

*L. de hæres. cap. 54. 59.*

rem esse. MIN. Si differunt gradu, forma, & specie, vt tradit Bullingerus, planè constat vnum altero potiorem, alterumque priore esse longè minorem: sicque conspicio istos nostros decoctores (volebã dicere Doctores) veterum hæreticorũ sordibus sua nos spõte inceſtare, & cum his ad tartarum miserabiliter abducere.

Satis ex Augustino: auco enim audire, quid pater eius in Christo Ambrosius de his aliquando senserit. DOCT. Arrianorum errores velut in fasciculũ colligens, ante omnia scribit illos dixisse, Filium non esse Patri similem: in eoque illum graui affeciſſe contumelia, cùm ipsemet dixerit: *Ego & Pater vnum sumus.* Eundem autem errorem paulò post refellens, scribit: Non est secundum Diuinitatem minor, qui plenitudinem habet Diuinitatis & gloriæ. Denique hanc perpulchram fidei confessionem edit. Ad te nunc Pater omnipotens, cum lachrymis verba mea conuerto. Ego te quidem inaccessibilem, incomprehensibilem, inæstimabilem promptè dixerim: sed Filium tuum minorem non ausim dicere. Nam cùm illum splendorem gloriæ & imaginis substantiæ tuæ legerim, vereor ne minorem imaginem tuæ dicendo substantiæ, minorem substantiam tuam dicere videar, cuius imago sit Filius, cùm plenitudo tuæ Diuinitatis omnis in Filio sit. Immensum te, Filiumque tuum, & Spiritum sanctum, incircunscriptum, inæstimabilem, inenarrabilem, legi libenter, credo libenter, &c. MIN. Duo hi Patres tantundem propè apud me pollent, quantum antiqui vniuersi. Nam eos animaduerto ex Diuino verbo credidisse atque docuisse tres Diuinas Personas esse omnino easdem in substantia, maiestate, potestate, atque voluntate: quapropter peccant grauissimè errantque flagitiosè, qui eas distinguũt in varios gradus, aut diuersas formas vel species, cum Bullingero: vel diuidunt in differentes cauſſarum ordines, variosque honoris vel imperij gradus, vt Caluinus. Sunt enim veterum hæreticorum sordidata & impura mendacia, quæ isti neoterici resarcire, & quodammodo refricare conantur. 10.

*L. 1. de fide, cap. 3.* *Ioan. 10.* *Col. 1. & 2.* *L. 5. de fide, cap. 9.* *1. Tim. 6.* *Heb. 1.*

Sed age, Vtrum ijdem Patres asseruerint, has tres Per- 11.

Personas eadem operationes habuisse circa omnia,
In Psal. 118. quæ ad creaturas spectant? DOCT. Ambrosius pro-
Octonar. 29, fectò confirmat eandem esse Trinitatis operationem,
eò quòd Pater ad Filium & Spiritum sanctum dixerit,
Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*,
cõmunem asserens esse operationem, vbi commune
consilium est. Et continuò idipsum alijs scripturarum
testimonijs cõfirmans subijcit. Quid sine sapientia fa-
Psal 103. cit, qui omnia in Sapientia facit? Vt lectum est, *Omnia*
Prou. 8. *in sapientia fecisti.* Denique Sapientia dixit: *Cùm faceret*
Ioan. 1. *cælos, cum illo eram.* Et Euangelista ait, *Omnia per ipsum*
*facta sunt, & sine ipso factũ est nihil*: vt doceret non solum
operatorem omnium Filium, sed etiam paternæ ope-
Cõ. in 1. Cor. rationis consortẽ esse. Alibi rursum idem corroborãs
cap. 12. ex eo quod Apostolus de diuersis Spiritus donis di-
cat, *Idem Deus operatur omnia in omnibus*, subijcit: Deni-
que, operante vno, tres operari dicuntur, vt Trinitatis
mysterium in vnius Dei natura & potestate claudatur,
Com. in Luc. cùm sit immensum. Iterumq; indicans eos, qui diuer-
c. 16. & 22. sos potestatis gradus in tribus personis fingunt, tres
deos constituere, scribit: Qui aliam Patris, aliam Filij,
aliã Spiritus S. memorãt potestatẽ, plures deos & plures
dominos in Ecclesiam gentilis vitio erroris inducunt.

12. MIN. Mentem sententiamq; maximi illius Augu-
stini mihi aperias, & ero planè contentus. DOCT.
Agnoscit planè Dòctor eximius, quasdam esse perso-
narum internas, seseque mutuò spectãtes operationes
singulares, vt quod Pater Filium gignat, Pater & Filius
Spiritum S. producant, hasque non adeò communes
esse. Sed quantum ad illas pertinet, quæ circa creaturas
versantur, planè tribus personis communes prædi-
cat; nec magis vni quàm alteri tribuendas docet his
L. de Trinit. & vnit. Dei, verbis. Non potest operatio esse diuisa, vbi non solùm
æqualis est, verùm etiam indiscreta natura. Et paulò
c. 8. 9. 12. supra hunc locum scribit: Eadem sunt opera Patris &
Ioan. 14. Filij, quia nullum est opus Filij, quod non per eum Pa-
ter facit, nec vllum Patris quod non per Filium simul
facientem facit. Quæcunque enim Pater facit, hæc ea-
dem Filius facit. Nec vtique Pater & Filius operan-
tur sine Spiritu sancto: neque enim ad faciendum,

ambo-

amborum operibus vllo modo amborum separabitur Spiritus. Et alibi: Catholica fides hoc habet contra omnem hæreticorum prauitatem Spiritu Domini firmata, quia Patris & Filij opera inseparabilia sunt. Et iterum idem ait: Omnia & singula quæ creata sunt, vel creantur, Trinitate creante subsistunt: nec quisquam liberatur à Patre sine Filio & Spiritu sancto, & cæt. Alibi rursum occurrens obiectioni, quæ fieri posset de solius Filij incarnatione & passione, ait: Filius quidem, non Pater, natus est de Virgine Maria; sed ipsam natiuitatem Filij, non Patris, de Virgine & Pater & Filius operatus est. Non est quidem passus Pater, sed Filius; passionem tamen Filij & Pater & Filius operatus est. Non resurrexit Pater, sed Filius; resurrectionem tamen Filij & Pater & Filius operatus est, & cæt. MINIST. Iam video nostrum Catechismum primam causæ rationem & dignitatem Patri soli tribuentem, Caluinumque solum Patrem propriè dicendum creatorem mundi autumantem, plurimarum impietatum nobis authores & patronos esse; quinetiam aduersus vnius & trini Dei vnicam Essentiam, maiestatem, potestatem, & operationem multa nefaria confingere, & sibi nimium credulis nobis obtrudere: à quibus nisi prudenter diligenterque cauerimus, æternum manet exitium. Perge igitur, vt agis, & reliqua eorum errata retege.

*Tract. 20. in Ioan.*

*Epist. 1 ca.*

*Serm. 63. de verb. Dom.*

*Li. 50. hom. 32. & 42.*

## *DE INFINITA DEI VIRTVTE omnipotentia, & absoluta potestate: aduersus octodecim Caluinianorum hæreses.*

DOCTOR.

O Beati ac furentes hæresiarchæ, vbi in Deitatem inclementer inuecti sunt, sanctissimæ Trinitatis & vnitatis Diuinæ mysterium deformauerunt: mox omni deposito pudore metuque numinis, 18. hæreses contra eius infinitam virtutem, absolutam potestatem, ac omnipotentiam machinati sunt. MIN. Bone Deus! quid prædicas? quid audio? Nunquã

adducar vt credam homines ita verſatos in ſcripturis, Dominicæq; laudis ſtudioſos id feciſſe, niſi in eorum ſcriptis ad verbum hæc omnia ſingillatim oſtenderis. DOC. Audi patientiſſimè, & me vera dixiſſe oſtendam. MIN. Agedum, de vnoquoq; ſingulatim diſſere. DOC. Caluinus in Inſtit. li. 3. c. 23. §. 2. ait: *Neque commentum ingerimus abſolutæ potentiæ: quod ſicuti profanum eſt, ita meritò deteſtabile nobis eſſe debet.* Ecce rurſum eiuſdem in Ezechielem Gallice ſcripta commentaria, lege tu ipſe hãc periodum. MINIS. Da librum, ſic enim mihi multò facilius ſatisfaciam. *Ceſte reuerie de la puiſſance abſolue en Dieu, que les Scholaſtiques ont introduite, eſt vn execrable blaſpheme.* DOCT. Dic ad verbum Latinè. MINIS. *Iſtud ſomnium de poteſtate abſoluta in Deo, quam Scholaſtici introduxerunt, eſt execranda blaſphemia.* DOCT. Age ſis, nonne abſolutam, & nullis legibus ſubiectam Dei poteſtatem Caluinus negat? MINIS. Id non ſolùm, ſed quod peius eſt, & Scholaſticos huius authores fingit, & iniurijs atrociſſimis eandem proſcindit. DOCT. Accipe præterea librum illius Gallicum, De æterna prædeſtinatione, & hunc locum voluta. MIN. *Ie deteſte ceſte doctrine an laquelle ces paupaux Theologiens ſe plaiſent, faigeans en Dieu vne puiſſance abſolue.* Quod verbis Latinis dicitur: *Ego deteſtor hanc doctrinam, in qua Papiſtici Theologi ſibi placent, fingentes in Deo quandam poteſtatem abſolutam.* DOCT. Viden igitur, vt miſer hic homuncio ſine vllo timore blaſphemat abſolutam & infinitam Dei potentiam, qua dæmones ipſi infremunt & contremiſcunt? MINIS. Non poſſum id negare, minus etiam diſſimulare. DOCT. Ponamus igitur eam ſententiam hæreſeωn ordine tertiam decimam.

*Com. in c. 23. Ezech.*

*Lib. 2. adu. Tilem. Heſſhuſium.*

MINIST. Alias ordine referas velim, priuſquam ad earum refutationem accedas. DOCT. Quartadecima eſt à Theodoro Beza inuenta, ſcribente. *Nec credendam eſſe, nec vniuerſaliter recipiendam Gabrielis Angeli ad Virginem, vniuerſalem propoſitionem iſtam: Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum* MINIS. Quibus ergo vult nos credere, niſi Dei verbo, per Angelos allato? Impuræ forſitã meretrici ſuæ Candidæ, vel catamito Audeberto? DOC. Præſtolare aliquantulũ, & his plura, deterioraque

rioraque protinus exaudies. Idem enim Beza scribit aduersus Brentium, non ita pridem Ducis VVitembergici ministrum, *Deum non posse efficere, vt corpus humanum sine suis dimensionibus, id est, longitudine, latitudine, & profunditate, vnquam existat.* MIN. Nimis audacter imbecillis ingenioli nostri mensura infinitam Dei metitur potentiam. DOCT. Decima sexta hæresis eius est, *Deum non posse easdem quantitates suis destituere naturalibus effectis, quominus certa occupent, & impleant loca.* MIN. Quasi verò Creator omnium, & causarum secundarum summus author ac moderator, tam eas, quàm earundem effecta in sua non retineret potestate. Nec posset oculos priuare visu, ab auribus auditum remouere, & linguam humanam continere.

DOCT. Decima septima hæresis est, *Deum nunquam posse efficere, vt corpus Domini nostri Iesu Christi quantumuis Filio Dei vnitum, glorioſum & immortale, eodem tempore in diuersis existat locis.* MIN. Scio equidem, Carolstadium, Zuinglium, Oecolampadium, Caluinum, Vermilium, Boquinum, aliosque permultos in ea fuisse sententia, vt suam de Cœna possent tueri opinionem. Ego verò ne peccarem in Diuinam ac infinitam potentiam, semper malui insistere vestigijs Heidelbergensium, qui in Malbrunensi Colloquio, coram VVitembergensi & Palatino, necnon aulicis eorum ac Theologis publicè professi sunt, se nunquam velle dubitare, minus etiam negare, Deum id quidem posse: sed an velit se nescire. *Non negamus*, inquiunt, *illud ex Dei omnipotentia multis locis esse posse: sed an hoc velle Christum possit probari.* *In actis colloq. 1564. Act. 8. Pag. 148*

DOCT. Decima octaua hæresis est, *Deum non posse corpus Christi tametsi iam immortali maiestate & gloria præditum, inaspectabile reddere, & à carneis mortalium oculis subtrahere.* MINIST. Ei sanè assentiri nec volo, nec valeo. Nam si Angeli, vt lubet, sese visibiles præbeant & inuisibiles, quid impediet summum creatorem & iudicem eorum corpori à se assumpto idem prorsus elargiri: Si solem, lunam, & stellas modò vigere, modò latere sinat, poterit ne Beza eundem præpedire, quominus de corpore humano tantundem si velit efficiat? De pressam sub legibus cælorum habet ne horum moderatoris supremam potentiam?

DOCT

DOCT. Disputationem differ obsecro, donec cætera, quæ Diuinæ Omnipotentiæ ab his obijciuntur, enumerem. Illi ergo decimono loco aiunt. *Deum non posse corpus de genere substantiæ continere sub minore quantitate aut mensura, quàm quæ sua cuique propria & naturalis est.* MIN. Nimis certè impudenter opificem totius mundi suis operibus subijciunt, & omnipotentem Creatorem imbecillis à se conditis rebus substernunt.

DOCT. Vigesimo & vigesimo primo loco aiunt, *Deum nulla vi efficere posse vt vel camelus, vel funis nauticus per foramen acus transeat.* MINIST. Non dubito Spinam, & Suræum ministros, primùm voce, deinde publico scripto idipsum post Caluinum & Bezam sustinuisse in Colloquio Parisijs 1566. habito: sed eorum opinionem minus probarunt mecum omnes, qui aliqua Dei reuerentia tangebantur; propterea quòd Omnipotentiæ Diuinæ, quæ omnem sensum & intellectum exsuperat, minimum videntur tribuere. Interim inchoatam enumerationem persequere.

DOCT. Vigesimo secundo, tertio, & quarto locis, Gallicus hæresiarcha in scriptis suis asserit, *ea omnia Deo impossibilia, quæ nunquam visa fuerunt : quæ nunquam futura sunt: & quæ Deus prænunciauit nunquam euentura.*

*Instit. l. 2. ca. 7. §. 5.*

Ioannes VVierius Cliuiensis medicus, magorum omnium patronus, vestræque sectæ propugnator, audacissimè pronunciat vigesimo quinto hæreseon ordine, *Id simpliciter Deo esse impossibile, quod per naturam nobis est impossibile.*

Petrus Vermilius immani libro edito contra Eucharistiæ Sacramentum, & realem corporis & sanguinis Christi in eo præsentiam, Beza contra Brentium, & non ita multum antea nominati Collocutores Parisienses Surçus & Spina, manifestè ostendunt oës sectę vestræ ministros & scriptores in hoc hærere luto, *quòd nihil Deus efficere valeat aut supra, aut contra ordinem ab eo in natura constitutum*: vt etiam ex Caluino manifestè colligitur. Atq; hæc vigesima sexta sit hæresis vestra.

*L. 4. Inst. ca. 17. §. 24.*

Collocutores Parisienses Suræus & Spina vigesimam septimam addiderunt, Niuernensium Ducis quæstiunculæ respondentes, *Deum nec velle posse, tantum abest efficere,*

*cere, vnum corpus eodem instanti in multis esse locis.*

Vigesimo & octauo loco, Bernardinus Ochinus nuper Genevæ in Italica lingua minister, verbo promulgauit, & postea scriptis confirmauit, *Deum nec posse intellectu comprehendere idem corpus in diuersis locis*: quod alij eiusdem furfuris ministri comprobarunt, quando eandem hæresim Latinam fecerunt, & typis mandauerunt. *Sermon. de Cœna.*

Denique, vigesimo nono loco ex Apostolico Symbolo, vestraque fidei communi Confessione *Omnipotentiam Dei reipsa supprimitis*. Et trigesimo, quoties Diuinarum perfectionum enumerationem in libellis vestris contexere nitimini, eandem penitus *ac si nulla prorsus esset in Deo, reticetis & obliteratis*. MINIST. Cætera quidem hactenus non repugnanter tuli, quòd reipsa nouerim in animo meo vera esse, tametsi aliud inuito animo simularem: duas verò postremas accusationes, quis non iniquè ferret? Tam enim falsæ sunt, quàm falsissimæ. DOCT. Imò tam veræ sunt, quàm verissimæ. En accipe, & attentius perlege Confessionem communi consensu vestrorum omnium æditam, & quidem per vniuersam Galliam disseminatam, Genevæ autem typis impressam per Franciscum Duron 1563.

*Eam Minister voluit, & identidem reuoluit, comperitque nullam omnipotentiæ Diuinæ in ea fieri mentionem: tandemque alto de pectore suspirans exclamat.*

Nunquam profectò, nunquam peramans Dei & veridice Doctor, mihi persuasissem, summorum Authorum reformationis nostræ tam perniciosa esse consilia, tamque in re præsertim tanti momenti improbos at subdolos extitisse Genevani cœtus Ministrorum animos. DOCT. Ecce rursum Confessionem fidei Bezæ, quæ sursum deorsum per Galliam, Angliam, Scotiam, & Heluetiam cursitat, quæque rursum *Omnipotentiæ Diuinæ* nihilo plus meminit, quàm si nulla in scripturis & Symbolis Christianis eius esset memoria. Idem rursum Beza in Declamationibus Pyssiaci habi-

tis,

tis, præsentibus regibus, matre eorum, Principibus, & præsulibus amplissimi Franciæ regni, prætermisit ex composito *infinitam Dei potentiam*, non secus ac si eam existimasset nullam: quod statim totus animaduertit & exhorruit Catholicorum, qui aderant, cœtus. MIN. Non essem mentis compos, si hæc non agnoscerem & faterer verissima & apertissima esse. DOCT. Ecce iursum Clypeus fidei vestræ, iam ter quaterque excussus, in quo Ministri, dum singulas Dei perfectiones & proprietates ordine se enumerare pollicentur, *Omnipotentiã Diuinam* omnino prætermittunt, ac si eam Apostoli in Symbolo Christiano primo omnium loco credendam & adorandam non proposuissent. Atque hæ sunt hæreses, his contrarię, quæ secundum scripturas, Patrumque veterum doctrinam de Omnipotentia Dei totus Christianorum cœtus hactenus docuit & credidit. Dic sodes, quas earum velis tueri atque defendere?

*Dialog. 26.*

*Confutationes à contradictionibus.*

1. MIN. Aio simpliciter & candidè; has omnes improbare atque reijcere potius iuuat, quàm in Diuinam maiestatem, & interminatam virtutem tot contumelias iacere. Constat enim apud me Ministros nostros non Diuinæ gloriæ, aut doctrinæ Euangelicæ propugnandę studio, in has absurditates incidisse, sed imprudentes ac fermè inuitos. Enimuerò vt opinionem Sacramentariam semel à Zuinglio & Caluino inuectam pertinaciter defenderent, & tam Catholicorum quàm Lutheranorũ argumentorum vim declinarent, in has angustias redacti sunt, vt ad quosdam Atheos confugerent, & ab his cuncta illa mutuò acciperent, quæ aduersus Diuinam Omnipotentiam deblaterant, vt eam vel naturæ legibus subijciant, vel cum Caluino contumeliosè reijciant & abnegent. Malo itaque cum Heidelbergensibus, & Lutheri discipulis, dare gloriam Omnipotenti Deo, atq; precedentes hæreses vt eius maiestati iniurioſas, tecum refellere, & veluti hominum furiosorum inuenta damnare, quàm quicquam aduersus verbum Dei mei præfractè defendere. DOCT. Hæc profectò redolent virum & veritatis amantissimum, & salutis suæ cupidissimum. Et quoniam in hoc consentimus, quod superiora Caluinianorum axiomata diuinis

*Plinius.*

pis scriptis repugnant, gloriam Dei omnipotentis imminuunt, atque deformant, age, disputationem instituamus, & firmissimis argumentis doceamus, illa impia & hæretica esse, vt ab his omnium hominum animus abhorreat.

MINIST. Incipiam quæso, & nostris Confessionibus, atque libellis proprijs ea refellam. Primò enim in nostris Catechismis profitemur. *Credere Deum Patrem Omnipotentem, creatorem cœli & terræ.* Quod ibidem interpretamur, *eum omnia in manu sua tenere, quibus possit imperare, & vt ei bonum videbitur de cunctis disponere.* Et in primo articulo fidei nostræ Cadomi excusæ 1565. per Simonem Mangeantium, *confitemur Deum esse Essentiam simplicem, spiritalem, æternam, infinitam, omnipotentem: nulla exceptione interiecta.* Ex quibus consequitur, eos, qui cum Caluino negant potentiam Dei absolutam, aut eam exceptionibus restringunt vt Vermilius, sibi vt imputi mendaces repugnare, & hæreticorum instar proprio se iudicio condemnare. 2. *Dom. 2. et 3. Tit. 3.*

Sese etiam proprio gladio iugulat Caluinus, scribens in Harmonia, *eos improbè de operibus Dei sentire, qui non credunt eum plura posse facere, quàm quæ naturæ sunt possibilia, ac si eius potentia vel subiecta vel inclusa esset terrenis in rebus.* Et paulò post ait: *Verbo Dei nulla impossibilitas est obijcienda.* In Institutione quoque sua de hac infinita Dei potentia sic loquitur: *Certè cùm voluerit bene conuertet tenebras in lucem, & lucem in tenebras.* Ex quibus verbis contra eum concludo, & manifestè, in Deo esse potentiam absolutam, id est, infinitam, liberam, naturæ nullis legibus subiectam: & ita dico eum tam impudentem esse Scholasticorum calumniatorem, quibus imponit eam excogitasse; quàm in Deum blasphemum, cùm eam damnat atq; reijcit. Insuper, & atheismi eum insimulo, quippe qui Deum immortalem præcipua gloria & perfectione Essentiali sua dispoliet, sine qua Deus esse non posset. Præterea, *si hi scelerati & improbi sunt, qui volunt Deum nihil efficere posse præter illa quæ natura fieri possunt*, Caluinus profectò cum discipulis & sectatoribus sceleratus & improbus est, qui eis persuasit, Deum non posse facere vt camelus, vel funis nauticus, per 3. *In ca. 1. Luc. v. 18. & 37. vt ex Gallico Latina facimus ad verbum Li. 4. ca. 17. §. 14.*

per acus foramen transiliat; sed neque efficere, vt vnum corpus multis simul locis existat. Iterum, *si nulla rerum impossibilitas Deo obijcienda est*, perditissimus est ipsemet iudicandus, qui tam multa scripsit Deo esse impossibilia. Rursum, *si Deus potest tenebras in lucem conuertere*, Caluinus propria sententia admodum pessimus est, qui vult suos ministros concionando cunctis obnuntiare, ea esse Deo impossibilia, quæ nunquam visa, nec vnquam videnda sunt. Denique, nisi manus Domini sit inclusa, constricta, & huiusce mundi regulis subiecta, nouus iste Apostolus multas secum animas in profundum detrudit inferorum barathrum, eis persuadendo tot tantaque illius omnino fugere infinitam potestatem: quinimò, & hanc esse à Scholasticis hominibus confictam, falsoque illi tributam. Atque hæc sunt mea aduersus Caluiniana dogmata ex ipsomet authore desumpta argumenta, hæ ex propositis eius consequentiæ. Quid de his iudicas? DOCT. Quot verba, tot esse argumenta; & quot sunt consequentiæ, tot victoriæ.

4. MINIST. Sine ergo me de illo gygantum fraterculo meas persequi victorias. DOC. Perge faustis auibus. MIN. In Clypeo fidei nostræ Geneuensis Minister fatetur *quod Deus eum posset conuertere in auem, vel bouem*, longè crassiorem sibique similem belluam. Ex quo velut admisso principio, sic ratiocinor. Si Deus potest Caluinianum ministrum facere brutum (minus forsan laboraret, quòd id facilius fieri posset) & loco humanæ vocis, in concione faceret eum mugire, adlatrare, vlulare, rudere, hinnire, aut instar porci grũnire: nonne potestatem habet infinitam & absolutam, qua potest efficere quæcumque nebulones isti clamitant ei esse impossibilia? DOCT. Sed primarios Caluini discipulos præceptoris sui placitis reclamantes, si potes, obijce.

*Dialog. 12. pag. 296.*

5. MINIST. Primæ cohortis eius centurio Theodorus Beza in poëmatibus canit, *Candidam suam vnà simul gemino posse esse loco*. Iterumque conuitijs lacessit, probrisque vexat eos, *qui posse fieri negant, vt quis vicinitet simul in locis duobus*. DOCT. Quid ergo tot verborum contu-

*Eleg. 7. Epigram. ad Truthium.*

contumelijs Brentium & Iacobum Andream lacerat? Quid alios Tubingẽſes & Lutheranos orationibus ſuis cruentat, quòd nobiſcum id conſtanter doceant & credant?

MIN. Nec in poſtremis Caluini diſcipulis eſt Petrus Viretus, qui præ ceteris honeſtius hiſce de rebus, hęc verba Gallica facit. DOCT. Præſtat, vt Latinè tralata dicas. MINIST. Ait ergo: *Credimus Deum eſſe omnipotentem, vt oſtendamus in eo idem eſſe velle & poſſe tam in cœlo quàm in terra. Proinde dicit: Ecce ego æternus Dominus & Deus omnium creaturarum: Nunquid eſt mihi quicquam impoßibile? Et alio loco: Omnia Deo ſunt poßibilia. Item, Non eſt impoßibile apud Deum omne verbum, hoc eſt, nulla res. Et in Pſalmis dicitur: Dòmine Deus exercituum, quis ſimilis tibi? Potens es Domine, & virtus tua in circuitu tuo. Tu dominaris poteſtati maris, & motum fluctuum eius tu temperas. Et in libro Iob: Ille eſt qui transfert montes, & qui commouet terram de loco ſuo, & columnæ eius concutiuntur. Quis reſtitit ei, & pacem habuit?* Hactenus Viretus. DOCT. Hæc ſanè omnia tam ſunt ſcripturis & doctrinæ Chriſtianæ conformia, quàm furioſis aduerſariorum Diuinæ Omnipotentiæ portentis contraria. Sed ſi alia noris adhuc clariora, & contra enumeratas à nobis hæreſes grauiora dicas, & palam facias rogo. 6. *Inſtr. Chriſt. fol. 651. Pſal. 113. Ierem. 32. Matth. 19. Marc. 10. Luc. 1. & 8. Pſ. 35. & 71. Iob. 9.*

MINIST. Idem Viretus ſequente proximo folio, vehementer eos aggreditur, *qui putant Deum nihil poſſe ſupra ordinem in natura iam à ſe conſtitutum; quique primam omnium cauſſam ſecundis & creatis à ſe cauſis ſuis ita volunt eſſe coniunctam vel ſubnixam, vt nihil in his vel alijs rebus poßit ſuperaddere, immutare, vel detrahere, aut aliter quàm initio de his conſtituere: concludens tales homines in eo errore verſari, qui nihilo minor ſit quàm inſania furorque Epicureorum.* DOCT. Equidem, Beza, Vermilius, Spina, Suræus & alia veſtræ ſectæ retinacula, ſi vera dicit iſte, errore maximo ſunt iampridem conuicti: eodem Beza atteſtante & occinente: *Vireto nemo fatur ſuauius.* Solutè ergo & ſuauiter Vireti teſtimonio atq; cenſura Epicurei primas ad Bezam deferant omnes. 7. *Fol. 653. In iconibus.*

MINIST. Adhuc multo vehementius idem iſtos 8.

errores infectatur postea his verbis: *Hic error à schola Stoicorum dimanauit, qui voluerunt Deum adesse quidem à se conditis rebus, sed ita earum legibus astrictum & colligatum, vt omnem ab eo libertatem, & potentiam aliter agendi remouerint. Nec enim intelligere potuerunt, quod licet admirabilem rerum ordinem innatura posuerit, sese tamen eidem astringere noluit, sed liber semper in operibus suis permanserit: vt hunc ordinem vel cùm velit sequatur, vel eundem facilè immutet atque superet. Insuper hunc eundem ordinem sic moderatur, vt subseruire faciat eum suæ voluntati cùm libet, vt exemplis suis nobis attestantur vniuersa miracula, quæ sacra scriptura commemorat.* Tandem concludit, *eos omnes, qui tam profanas efferunt de Deo sententias, eum non credere esse Creatorem, & Patrem omnipotentem: quoniam eius potentiam inter certos rerum terminos coarctant & retinent.* DOCT. Vix posset quis, meo iudicio, acrius & breuius superius commemoratas hæreses refellere; aut illarum authores scripturarum, miraculorum, & omnipotentiæ ac libertatis Diuinæ inimicos atq; hostes apertius conuincere, quàm his verbis facit Bezæ comministerand & assecla Viretus: mihique persuadeo vim veritatis emotam conscientiam eius impulisse, vt tam contrariam collegis suis ederet confessionem. Ex his quoque manifestè vides, Caluinianorum placitorum præcones, etiam in præcipuis religionis Christianæ capitibus nullo pacto inter se conuenire: sed more canum feliumque sese mutuo rodere, lacerare, strangulare, proprijsque iudicijs Epicureismi & Atheismi damnare.

Ex Gallicis eius verbis Latina facimus.

Pag. 654.

Confutationes à scripturis.

9. MIN. Hactenus ex illis contra illos satis mihi dixisse videor, atque proprijs Geneuanorum armis Geneuensem contra Omnipotentiam Diuinam doctrinā expugnasse. Tu quæ ex scripturis & Patribus aduersus eos paraueras argumenta, nunc deprome. DOCT. Illis imprimis vt valentissimum & inuictissimum exercitum, obijcio, vniuersos Diuinarum scripturarum locos, in quibus Deus adscribitur, vocaturque, *Deus Omnipotens, Deus fortis, Deus creator, Deus terribilis, Deus potens, Deus cui nemo potest resistere, Deus qui facit mirabilia magna solus, Deus virtutum, Deus mirabilis in operibus suis, Deus*

*Gen.* 17. 28. 35. 43. 48. 49. *Deut.* 7. 32. 34. *Exo.* 5. 9. 15. *Iosue.* 2. *Psal.* 46. 47. 49. 71. 75. 76. 77. 79. 83. 88. 105.

*Deus Deorum, Deus magnus super omnes deos, Deus potens in* 106.138.144
*cælo sursum, & in terra deorsum, Deus cæli & terræ, Deus fa-* Tob.13. Isa.
*ciens quæcunque, vult in cælo, & in terra, & in omnibus abyss-* 42. Zach. 12
*sis.* Putas vanos elanguidosque iacere, ac significatione Malach. 1:
sua priuatos & vacuos esse tot Diuinæ Maiestatis titu- Rom.1: Act.
los? MIN. Minimè gentium. Declarant enim ac in- 2. &c.
nuunt verè talē Deum esse: voluntque talem teipsa credendum, confitendum, adorandum: & eos toto pectore à nobis abhorrendos & fugiendos, qui vel in angulis tantisper auderent contrarium demurmurare.

DOCT. Et ne gratis videar superiores Diuinæ virtutis titulos laudasse, aut ex me confinxisse, testem appello inuictum Dei athletam Iobum, qui in libro suo etiam in illa legis naturæ obscuritate, decies septies vocat Deum omnipotentem: Mosem, qui in Pentateucho vndecies: Sapientem, qui nonies; Authorem secundi libri Machabæorum, qui quindecies: Ioannem Apostolum ac Euangelistam, qui in Apocalypsi, nonies. An non toties illi docent, inculcant, ingeruntq;, quantum mens nostra debet esse semota ab omnibus Epicureis, Bezanis, & Caluinianis; quos non pudet absolutam Dei potestatem *insanum appellare delirium*, & vociferare tot tantaque Deo esse impossibilia?

Dauid, qui sæpius varijsque modis huius infinitæ 18.
ac inexhaustæ potentiæ admiranda effecta expertus fuerat, corde, voce, scripto, Deum prædicat suam esse fortitudinem, firmamentum, refugium, præsidium, spem, auxilium, robur, petram, brachium, salutem & arcem. Deinde exultantis fidei ardore elatus exclamat: *Quis narrabit potentias Domini? Auditas faciet omnes laudes* psal. 70 75.
*eius? Omnia quæcunque voluit Deus fecit in cælo, in terra,* & 91.105.134.
*in omnibus abyssis.* Tum ad eum sermonem conuertens dicit. *Tu es Deus, qui facis mirabilia. Tu terribilis es, & quis resistet tibi? Quàm magnificata sunt opera tua Domine! Potentiam tuam & iustitiam tuam Deus, vsque in altissima quæ fecisti magnalia: Deus quis similis tibi? Quàm magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.* Post velut digito Hugnosticum notans, subijcit: *Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intleliget hæc.*

MINIST. Equidem dignus est Caluinus, qui

ſtimulis fodiatur, & ſectatores eius Ochinus & Beza non tantùm ſtupidi, ignari, & inſulſi, ſed ſupplicijs multandi, qui doctrinam Omnipotentiæ Dei abſolutæ reſpuentes, bruta omnibus apparent & ſtolida pecora, dum impudentiſſimè ſua erigunt cornua aduerſus infinitam Creatoris ſui virtutem, vt eam vel nullam faciant, vel ſaltem creaturarum legibus ſuppoſitam. Quæ autem grauitas, quis ſplendor, quæ magnificentia, quæ admiratio in Diuinis operibus reluceret, ſi nihil præter, ſupra, vel contra ordinem in mundo conſtitutum efficere poſſet? Quamobrem hæc Diuina oracula eum prædicarent Omnipotentem, ſi quæ ab inſanis Sacramentarijs obijciuntur, illi eſſent impoſſibilia? Quomodo brachij ſui potentiam, & regni gloriam per omnem terram effunderet, ſi corpora terreſtria, eorundem formas & quantitates ſuæ voluntati ſubiecta non haberet? Quanam veritate in Pſalmis, ſine vlla exceptione caneremus, *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & cæt.* ſi penitus ei impoſſibile eſſet per foramen acus camelum inti oducere? Summa, horum terræ vermiculorum effrenatam arrogantiam perpetuò vituperabo, qui potentiam & voluntatem immenſi ſummique Dei creatoris ſui phantaſmatum ac ſomniorum ſuorum vinculis volunt alligare, vt quod ipſis placuerit, poſſit: quod non arriſerit, nec poſſit ipſe intelligere, velle, aut efficere. Nec vnquam feram ſacrilegos, qui ex fidei Chriſtianæ Confeſſione atq; Symbolo, articulum de Omnipotentia Dei mei auſi ſunt eradere. Cùm loquetur, ego ſilebo: cùm pronunciabit ſe omnia poſſe, religiosè credam: facta eius admirando, factorem demiſsè adorabo.

*Pſalm.8.*

11. DOCT. His addendum, quod cùm melioribus ſeruis ſuis ſeſe Deus manifeſtauit, crebrò ſeipſum nominauit *El ſchaddai*, id eſt, Deum omnipotentem: *El elohim Iehoua*, Deum fortem & Dominum: *El elion*, Deum maximum: *El eloe*, Deum fortiſſimum: *Adonach Iehoua & elohecha*, tuum dominatorem & Deum: *El gibbor*, Deum abſoluta potentia præditum. Vult itaque vt talem ſciamus, confiteamur, adoremus, quoniam reipſa talis eſt, non imbecillus, vt hi autumant.

*Geneſ.17.18. 35.43.48. Pſalm.50. Geneſ.33. Pſalm.24.*

mant. MINIST. Rabido igitur furore correptus est Caluinus, qui cum probris eidem se opponit, secumq; in gehennam rapit eos omnes miseros, qui hanc suam audiunt recipiuntq; doctrinam.

DOCT. Adhuc multò quàm antea clarius suam manifestando potentiam Dominus ait per Isaiam, *quod metitur aquas pugillo, cælos palmo ponderat, appendit tribus digitis molem terræ, librat in pondere montes, & colles in statera: quodque gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt coram eo, & insulæ quasi puluis exiguus, omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & cæt. Nunquid abbreuiata & paruula facta est manus mea, inquit, vt non possim redimere? Aut non est in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatione mea, desertum faciam mare, ponam flumina in siccum. Induam cælos tenebris, & saccum ponam indumentum eorum. Cælum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum* Rursumque per Ieremiam, maiestatem infinitæ potestatis suæ magnificè prædicans ait: *Nunquid non cælum & terram ego impleo? Ecce ego Dominus Deus, vniuersæ carnis: nunquid mihi difficile erit omne verbum?* MINIST. Eheu conditionem huius seculi! quo spiritus erroris sic inualuit, vt nobis persuaderi permiserimus à Caluino & Beza, non modò difficilia multa esse Deo, verùm etiam impossibilia. Qui Diuinæ maiestatis interminatam inexhaustamque virtutem, huius inferioris mundi ordini subiectam prædicantes, libenter audiuerimus. Qui tam blasphema scriptis suis vbique spargentes, patienter tulerimus. Sed perge tenere istam viam vindicandæ ac illustrandæ potestatis Dei veri, quam instituisti. 12. *Isai.* 40. 50. 59. & 66. *Iere.* 23. & 42.

DOCT. Magnitudinem illius in ordinandis secundum voluntatis suæ beneplacitum cunctis huius seculi rebus annunciantes sancti Prophetæ, totam visibilem machinam istam comparant cum luto, cum cinere, cum puluere, cum bullis aquæ, cum fœno agri, cum vmbra fugacissima, cum floribus agrorum, cum vapore ad modicum parente, cum vase figuli, cum rore matutino, cum vano somnio, & cæt. quibus collationibus satis indicant, quicquid mundi & creaturarum comprehenditur, sic in potestate esse Creato- 13. *Iob.* 10. & 30. *Isaiæ* 10. 29. 40. 45. & 64. *Gen.* 3 & 18. *Psa.* 2. & 71. *Sapient.* 5.

*Eccl. 10. & 17.* ris, vt extruat & destruat, vertat & diuertat, mutet ac immutet, collocet atque reuocet, &, vt paucis dicam, quidquid placuerit de cunctis operibus manuum
*Ierem. 18.* suarum faciat atq; disponat: nullusq; mortaliū, aut etiam
*Oseæ 6.* Angelorum audeat requirere, quorsum sic faciat.
*Iacob. 4.* In nouo per Christum nobiscum inito fœdere
*Rom. 9.* personant Apostoli, Neminem posse voluntati Dei
*14.* resistere: eum vocare ea quæ non sunt, tanquam ea
*Ro 9. & 13.* quæ sunt: quandoquidem potens sit omnia facere
*Rom. 4.* superabundanter quàm petimus aut intelligimus. I-
*Ephes. 3.* sti verò profani desertores, ac Prædicantes barbatuli contra vlulant, *Deum non posse corpus de genere substantiæ sine quantitatum effectis seruare, nec idem in pluribus locis sine loci repletione constituere, nihilque prorsus efficere supra ordinem, quem solent in natura imaginari & repræsentare.* *Apoc. 4. et 7.* Quibus fidem magis adhibebimus? Angeli lucis à Deo immissi canunt de cælis Deum esse omnipotentem,
*Lucæ 1.* & in terris docent omnes vtriusque sexus mortales,
*Genes. 18.* nihil illi esse impossibile aut difficile: isti principis tenebrarum ministri, sua tantùm opinione freti, reboant ingenti latratu, ea non esse simpliciter admittenda aut credenda: contra verò excipienda omnia, quæ in suis decreuerint Consistorijs: quos existimas audiendos? MINIST. Quicunque verbis Angelicis non obtemperauerint, in Deum non credent. DOCTOR. Vnigenitus Dei Filius adfirmat, omnia Deo possibilia esse, etiam ea quæ sunt hominibus impossi-
*Matth. 19.* bilia. Et orando Patrem dicit, *Abba, Pater, omnia tibi sunt possibilia*: hi verò terræ filij quasi sapientiores contradi-
*Marc. 14.* cunt, aiuntque multa esse excipienda, &c. An non hæc satis esse tibi videntur ad harum impietatum refellendam absurditatem?

*15.* MINIS. Satis quidem, sed tanta perfundor lætitia, tantaque animi consolatione sustentor, dum incredibilem proprijs laudibus sic audio Dei mei efferri magnitudinem & potentiam, vt nulla me isthæc & similia audiendi capiat satietas. DOCT. His ergo Diuinæ virtutis hostibus rursum oppono, non Alpium vallum, sed miram totius huius vniuersi creationem. Nam in eius opificio satis patefecit Deus, quod

vbi

vbi vult, infinita potentia, via admirabili ac mentibus nostris prorsus incomprehensibili potestate quicquid vult statim efficit. Quid enim est obsecro, ex nihilo creasse tot myriades Angelorum, Archangelorum, Virtutum, Dominationum, Cherubinorum, & Seraphinorum? Ex nihilo condidisse cælos, qui sua magnitudine totum inuoluant mundum, suis motibus effecta in hisce terris gignant perhorrenda, eosdem tot & tantis exornasse flammis, quæ nostras depellant tenebras; dies, annos, menses, tempora denotent, nosque ad celebrandam, communis omnium parentis ineffabilem bonitatem & potestatem dies & noctes inuitant? Ex nihilo cuncta conflasse elementa, ignem, aërem, aquam: vt ex his velut fontibus naturæ reliqua educeret? Quæ Diuini verbi potestas, quando vt illicò dixit, *Fiat lux, Fiat firmamentum, Congregẽtur aquæ, Fiant luminaria, Producant aquæ reptile, Producat terra animã viuentem, & cæt.* continuò factum est ita? Quam patefecit potentiam, quando informem vilissimumque limum terræ, transformauit in carnem humanam? Costam hominis mortuam & exsiccatam in formosam, viuentem, rationalemque fœminam? MINIST. Indicauit profectò, indicauit omnium apertissimè & planissimè se munitum esse multiplici excellentia infinitæ & absolutæ potestatis, vt & infinitæ sapientiæ, bonitatis, atque misericordiæ; nec his ab homuncionibus puluereque terræ vllas constituendas esse metas. Enimuero quicunque cogitata meditatione isthæc admiranda rationis opera pensitabit, nunquam, nunquam cum his nebulonibus acclamabit, *Deus non potest, Deus non potest illud*, vt semel à se conceptam sacramentariam opinionem tueantur. Nam ter maximus ille Deus nunc idem est, qui tunc fuit, suam non exhausit omnipotentiam, suam non exuit fortitudinem, suam non immutauit virtutem, suam nullis legibus mundi alligauit voluntatem, suam nullis operibus conditis subiecit dexteram. Itaque tam potens est quàm vnquam fuit, vt de cunctis manuum suarum operibus faciat quidquid placuerit, quantumuis imperitis hominibus videatur impossibile. Quapropter nul-

*Genes. 1.* *Psal. 32. & 148.* *Eccli. 18.* *Act. 14.* *Hebr. 11.* *Gen. 1. & 2.*

lo negotio facere poteſt ſubſtantiam ſine accidentibus, accidentia ſeruare ſine ſubſtrata ſubſtantia, quantitatem ſine loci occupatione, idem corpus in multis locis, diuerſa corpora in eodem loco: denique quicquid voluerit, licet longiſſimè abſit à ſenſibus noſtris; atq; ordini, quem in natura diſpoſuit, cenſeatur contrarium. Et quiſquis hæc liberè credere ac confiteri recuſabit, is mihi erit anathema maranatha. Adde, ſi placet, quæ ſuperſunt ad confirmandã Dei noſtri Omnipotentiam, & refellendos errores contrarios.

*1. Cor. 16.*

Confutationes à miraculis.

DOCT. Portenta & miracula vniuerſa ab origine mundi facta in omnibus creaturis, apertè demonſtrãt, earum Conditorem nullo modo pendere ab his, quas ipſe præſcripſit, regulis; imò, ſua, quę metiri non valet, potentia & ſapientia, quæcunque in his & ex his mutare, tranſmutare, miſcere, ſecernere, addere & demere poſſe. *Subeſt namque illi*, vt Sapiens ait, *cùm voluerit, poſſe*. Imprimis autem horribilis illa proluuies, & magna vis aquarum, quæ vniuerſum orbem ſubmerſit atque perdidit, ſeruata inter tot mortes vnica Noë familia, dilucidè monſtrat, quàm maxima & admiranda ſit Dei potentia, minimeque naturæ legibus ſubiecta, qui tam facilè perditum renouauit mundum. Cùm etiam iuſſit nubibus inordinatè flammas & ſulphura demittere, & ampliſſimas vrbes deflagare: & terræ, quæ omnia ſuſtinet, ſeſe pandere, & perditiſſimos homines viuos exorbere; loco fertilis & iucundi ſoli, putidum lacum exurgere; illicò factum eſt ita: omni creatura Creatoris potentiæ & iuſſu illicò obtemperante. Fœminam immorigeram in ſtatuam ſalis ſtatim commutauit: Abrahæ & Saræ corpora effæta, & ſenio languida nullo labore fœcunda reddidit; rubum flammis ardentibus incenſum nihilominus ſeruauit incombuſtum; Moſis miniſterio ex aqua ſanguinem fecit, & rurſum ſanguinem tranſtulit in aquam; virgam aridam in ſerpentem viuum & tortuoſum, rurſumque ſerpentis carnem in lignum aridum conuertit: meridianam lucem tenebris oppleuit; mare vt tranſirent illi, diuiſit: & vt obruerentur iſti, protinus coniunxit: de ſaxo duriſſimo ex quo ſcintillas flammasque educimus, aquas econtrario

*Sapien. 12.*
*Geneſ. 7.*
*Geneſ. 19.*
*Deuter. 29.*
*Iſaiæ 13.*
*Sapien 18.*
*Geneſ. 19.*
*Luc. 14.*
*Geneſ. 18. 21.*
*Exod. 3. 4. 5. 6. 7. &c.*

trario viuas extraxit: rorem manna multis miraculis plenum quadraginta annis de cælo disperſit: Moſis & Eliæ corpora ſine cibo & potu, adeoq; inter cæleſtium ignium globos vegeta illæſaque ſeruauit. Vbi in his ordo lexque naturæ? Nónne è diuerſo tot tantaque in tam diuerſis rebus miracula ſufficiunt ad confirmandam Diuinę virtutis quandam eſſe abſolutam poteſtatem: & hanc longè maiorem, quàm imbecillitas intellectus humani poſſit vnquam apprehendere aut ſuſpicari? MIN. Sanè Caluinus cum ſuis manipularibus ſe pro impio, & hactenus inauditis blaſphemijs confecto hæretico gerit, quando ſcribit potentiam Dei abſolutam eſſe delirium, mendacium, & execrandam blaſphemiam. Beza nec eo melior eſt, qui Bezanis ſuis credere in vniuerſum vetat, Non eſſe impoſſibile apud Deum omne verbum. Nam quiſquis accurata meditatione ſupradicta miracula conſiderabit, nunquam profectò dubitabit, eundē Deum & Dominum omnium, qui olim exercuit, poſſe adhuc hodie ſubſtantiam ſine accidente, & accidens ſine ſubſtantia ſeruare: duo corpora in vno loco, & vnum corpus in multis locis collocare: & cætera omnia, quæ rabidi canes iſti latratu ſuo trifauci perſonant ſummo Deo eſſe impoſſibilia. Sed pulcherrima Omnipotentiæ Diuinæ effecta exemplaque à te adhuc longius perſequi velim.

*Exod.19.24.* *3.Reg.19.*

DOCT. Ad demolienda funditusque euertenda iſtorum impiorum Sacramentariorum fundamenta, quæ ſunt, *Id eſſe impoßibile Deo, quod natura fieri non poteſt: & Deum nihil poſſe efficere, aut ſupra, aut contra ordinem, quem inter res conditas ab initio conſtituit*, viro ſanæ mentis & illæſę conſcientię ſufficere debet, quod Deus per ſeruum ſuum Ioſue, contra ſtatutum mundi ordinem, curſum Solis continuum retinuit; & per Iſaiam decem gradibus eum retrocedere fecit: per Angelum aſinam in voces humanas erumpere, & cum ſeſſore ſuo differere. Adhæc, Nabuchodonozorem potentiſſimum Monarcham ad eam redegit mentis inopiam, vt aliquot annis, cum belluis, belluino more verſaretur. Baculum aridum flores fructusque protinus emittere: fluuium contra ſcaturiginem redire; aquas defluentes

17.

*Ioſue 10.* *1.Paral.4.* *Num.22.* *3.Reg.17.* *3.Reg.18.* *Dan.4.* *Num.17.* *Ioſue 2.3.*

4.Reg.1.6. fluentes & liquidas quiescere, & instar firmissimorum
Psal.113. murorum stare in sublime: ferrum velut leuissimum
Dan.3.6.14. lignum natare: ex ardente camino flammas hos refri-
14. gerare, istos longè semotos viros corripere & absume-
re: leones rapacissimos, improba ventris rabie furētes,
siccisque faucibus agitatos, diu asseruare Prophetam
oblatū sibi pabulum, & è contrario, illius in momen-
to dilaniare aduersarios. In his omnibus Diuinæ vir-
tutis operibus, quem naturæ ordinem, quam mundi
legem, quam huius seculi viam cōmunem imaginari
poterunt Sacramentarij Deum nostrum obseruasse?
Qua ergo fronte, quo ore audebunt dicere, isthæc na-
turæ viribus possibilia fuisse, quæ vident Creatori no-
stro fuisse tam peruia & facilia?

18. Qui per seruos suos cælos nunc clausit, mox ape-
3.Reg.17.18. ruit; ex hisce nunc dulces pluuias, statim collucentes
Iacob.5. ignes emanare fecit: animas hominum ex abyssis re-
4.Reg.1. traxit, fœda corpora ex tumulis integra & viuentia re-
suscitauit; tumentes fluminum aquas sicco pede per-
transire voluit: Diuina secreta toto mundo ignota pa-
tefecit, & futura reuelauit: non poterit, scilicet, per
coæternum & consubstantialem Filium suū quicquid
voluerit operari in Ecclesiæ sponsæ suæ datis Sacra-
mentis? A profanis Sacramentariorū istorum animis
requiret, an hoc vel illud in sua potestate situm sit, an
minus? MIN. Existimabo hominem mente captum,
& propter enormia ab eo peracta flagitia à Deo derelic-
tum, Satanæque patris mendacij, & tenebrarum prin-
cipis manibus ad illudendum traditum, qui audebit his
tam sanctis, tam dilucidis & grauissimis adsertionibus
resistere, aut eas tantisper velle impugnare.

19. DOCT. In altissimo & saluberrimo Verbi Diuini in
Isa.7. vtero sāctissimæ Deiparę incarnationis mysterio, quas
Luc.1. approbationes infinitæ & absolutæ Dei potentiæ, &
Matth.1. reprobationes errorum ipsi contradicentium, putares
reperiri? MIN. Dicas actutum quæso DOCT. Supra cō-
tracq; omnem naturę legem & ordinē, virgo concepit,
virgo peperit, virgo lactauit, virgo in æuum permanet.
Peperit, inquam, & vtero & animo illæsa, puerum,
qui simul & eodem instanti homo perfectus, & Deus

per-

perfectus, mortalis & immortalis, æternus & temporalis, viator & comprehensor, fuit. Sine sui vlla immutatione, factus est hic Puer quod antea non erat, & quod erat permansit, non commixtionem passus, neque diuisionem. Deus puer non motus è cælo, descendit in Virginis vterum, factusque homo, hominem tamen non continuò subuexit in cælum. Deus puer duas simul & easdem diuersas, & suis proprietatibus subnixas naturas tam intimè strictèque coniunxit, vt non duo Filij, non duæ personæ, non duo Domini, sed vnicus personâ fuerit Filius, Deus-homo, homo-Deus, & Dominus noster Iesus Christus. *Generationem* Isa. 53. 6
*istam quis enarrabit? Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic simile?* Vbi ordo, vbi lex, vbi cursus ordinatus naturæ? MIN. Etenim reuera huiusmodi miraculorum, ac Diuinorum pro nobis operum attenta meditatio me plurimum iuuat, & incredibili feruore excitat ad agendas bonitati Diuinæ gratias, simulque admirandam infinitam Dei mei potestatem in sacris mysterijs corporis & sanguinis Christi Seruatoris mei: nec à cætero vnquam requiram, quid in his natura valeat, aut non valeat, cùm superius dicta mysteria ab ordine naturæ longius remota sint, quàm efficere sine quantitatis effectibus substantiam, hancque retinere sub minore forma quã sua naturalis extensio requirat, aut idem corpus eodem tempore in distinctis locis constituere, & his similia perficere miracula. Nam quicunque ex animo sibi persuaserit superiora vera & certa esse Diuinæ potestatis opera, non dubitabit & ista Deo possibilia & facillima esse. Maximè cùm etiam Philosophi sola duce natura cognouerint, suisque persuaserint discipulis, Substantiam ab accidentibus non pendere, quantitates & qualitates esse accidentia absoluta, quæ à subiecto possunt separari, Causam deniq; supremã infinita virtute sua posse secũdas causas sine effectibus suis suspensas retinere. Sicque nunc perspicio Sacramentarios nostros magis obcæcatos, & à cognitione veri Dei ac perfectionum eius longius remotos, quàm vnquam fuerint miserrimi ac ignorantissimi superiorum seculorum pagani. DOCT. Certè enim sunt

plus-

pluſquam trecenti & mille anni, quod noſtri ſic obſer uauerunt Patres prudentiſſimi ac religioſiſſimi, quorum vnus caput quoddam libri ſui inſcripſit, *Quod Plato religioſior ſit omnibus hæreticis*: & alius ita ſuum claudit Tractatum, *Philoſophi non credendo, credunt: hæretici verò credendo, nihil credunt.*

*Ire. l. 3. c. 45.*

*Tert. l. præſ.*

20. Confutationes à Patribus.

MIN. Quam, quæ ſo à te, ſententiam ferrēt veteres Theologi de his, qui tam audacter Diuinæ obſtrepunt potentiæ? DOCT. Eandem quam de Plinio, & de ſimilibus atheis, id eſt, ſine Deo, ſine fide, ſine vlla religione hominibus pronunciarent. Ille enim homo planè impius apertè negat Deum eſſe Omnipotentem, *quòd mortem ſibi conſciſcere nequeat, nec mortales æternitate, aut defunctos ad vitam reuocare, nec facere, vt qui vixit non vixerit, qui honores geſſit non geſſerit, nullum ius habeat in præterita præterquam obliuionis, nec efficere vt bis dena viginti non ſint.* MIN. Compertum eſt Bezam, Vermilium, & gregales eorum, iiſdem ac ſimilibus obiectionibus munitos Diuinę Omnipotētiæ ſeſe opponere: & idcirco eādem cum Plinio exiſtimationem atq; ſententiam mereri. Sed quid interim obiectionibus illis Patres reſpōdent? DOC. Quæ iſti obijciunt noneſſe potentiæ, ſed magnæ imbecillitatis atq; infirmitatis certiſſima argumenta. Deus, ait Auguſtinus, nō poteſt mori, non poteſt peccare, non poteſt mentiri, non poteſt falli. Tanta non poteſt, quæ ſi poſſet, non eſſet omnipotēs. Et rurſum: Deus omnipotens eſt, & cùm ſit omnipotens, mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt, *negare ſe ipſum non poteſt*. Quàm multa non poteſt, & omnipotens eſt? Sed ideo omnipotens eſt, quia iſta non poteſt: nam ſi mori poſſet, non eſſet omnipotēs: ſi mentiri, ſi falli, ſi fallere, ſi iniquè agere, non eſſet omnipotens. Rurſumque: Omnipotentem Deum non ita dicimus, ac ſi eum etiam mori poſſe credamus: & quia hoc non poteſt, ideo non ſit dicendus omnipotens. Ille planè omnipotens verè ſolus dicitur, quia verè eſt, & à quo ſolo eſt, quicquid aliquo modo eſt, vel ſpiritale, vel corporale: quia vniuerſa creatuta ſua vtitur, vt ei placet. MIN. Huius vnius ſancti ac perdocti Patris iudicium mihi pro multis eſt: ideoq; perge rogo, pede quo cepiſti. DOCT.

Plinij Atheiſmi.

*Serm. 119 de tempore.*

*L. 1. de ſymb. cap. 1.*

*2. Tim. 2.*

*Lib. 26. cōt. Fauſt. Manī. c. 5: L. 5. ciuit. c. 5: & L. 22. c. 25.*

DOCT. Hos nouissimos absolutæ infinitæque Dei Omnipotentiæ aduersarios Diuinus Areopagita, cum beatissimo præceptore suo Paulo, in ordinem Ely- mæ Magi cogeret, quippe qui Omnipotentiæ Diuinæ detrahens, hæc Apostoli verba, *Deus seipsum negare non potest*, perperam intellecta, longè ante Sacramentarios, imitatar tamē eorum, illi opposuit. Atque tum ob istud, tum ob alia nefaria scelera à Doctore gentium his verbis damnari meruit: *O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis vias Domini subuertere rectas?* MIN. Ergo eadem obijcientes Beza & Vermilius, eandem increpationem merentur. 21. *L. de Diuinis nom. c. 8. Act. 13. 2. Tim. 2. Aug. L. 1. de symb c. 1: & L. 2. c. 3.*

DOCT. Eosdem quoque cum Sadducæis coarguebat Dominus, dicens, *Erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei.* Nam vt hi obganuiunt absolutæ virtuti Dei, ne cogantur nobiscū fateri realem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam; sic illi eidem detrahebāt, ne resurrectionem veram corporum confiteri compellerentur. 22. *Matth. 22. Act. 23. Epipha. cōt. hæres. 14.*

Cum impuris Capernaitis eiusdem Domini iudicio recensentur, quando, vt illi, aut partū, aut nihil Omnipotentiæ Christi tribuentes, absurdum putauerunt, quòd carnem suam daret ad manducandum; sic & isti prorsus impossibile clamitant, vt simul in cælo & in altari consistat, impossibile vt à bonis & malis ore recipiatur & comedatur, impossibile vt non oculis videatur, manu, gustu, alijsque sensibus percipiatur, siquidem reipsa distribueretur. 23. *Ioan. 6.*

Impietate etiam Iudaica accersentur, quippe vt illi Dei potentiæ & clementiæ diffidentes vociferati sunt, *Nunquid poterit Deus parare nobis mensam in deserto? Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Sic isti turpiore infidelitate atque perfidia ad raucam rauim vsque clamitant; Non potest Deus carne Filij sui Christianos reipsa pascere: Non potest facere vt corpus humanum locum non repleat, &c. 24. *Psal. 77.*

Quinetiam minus Omnipotentiæ Diuinæ tribuere iudicarentur, quàm ipse inferorum & tenebrarū princeps Satanas, qui Filium Dei lapidem in panem posse mutare satis apertè confessus est. Isti verò præfractè negant 25. *Matth. 4.*

negant cum panem & vinum Eucharistiæ posse reipsa commutare in idem corpus & sanguinem, cum quo ascendit in cælos, & sedet ad dexteram Patris.

26. Denique, Sacramentarios tam impudenter Dei absolutam omnipotẽtiam, vt initio audisti, blasphemantes, totque exceptiones eidem obijcientes, beatus Pater Augustinus cunctis Iudæis, Ethnicis, & idololatris deteriores iudicaret. Da mihi Iudæum, inquit ille, da mihi paganum, idolorum cultorem, dæmonum seruum, qui non dicat, Deum esse Omnipotentem. Negare Christum (Iudæus & paganus) potest, negare Deum esse Omnipotentem non potest. Si dixeris, non potest fieri, tu derogas omnipotenti. Et rursum idem alibi sic colligit: Deus omnipotens est ad facienda maiora & minora. Omnipotẽs est ad cælestia & terrestria. Omnipotens est ad facienda immortalia & mortalia. Omnipotens est ad facienda spiritalia & corporalia. Omnipotens est ad faciẽda visibilia & inuisibilia. Postremò, omnipotens est ad facienda omnia quæcunque voluerit. Hæc ille de Diuina absolutaque potestate, quam vester Caluinus tam fœdissimè indignissimeq; lacerat. Tu dic nunc liberè quid de his tibi videatur.

*Serm. 139. de temp.*

*Serm. 119. de temp.*

27. MIN. Ingenuè dico, animus horum blasphemias atheismosque exhorret, timetque vehemẽter ne vrbes, prouincias, regna in quibus libera sinuntur eiusmodi piacula, Deus vltionum Dominus cælestibus flammis alijsque vltionibus breui visitet, & suæ maiestatis gloriam imminutam seuerè vleiscatur. Vnum mihi ex animo scrupulum euelle, qui me dies noctesque stimulat ac pungit, & desiderijs meis satis superque abs te factum erit. DOCT. Dic quæcunque voles, viri boni officio non deero. MIN. Corpus Dominicũ eiusdem rationis esse cum omnium nostrũm corporibus nullus negare potest, cùm sit semen mulieris, semen Abrahæ, fructus ventris Dauidis, *factumque*, iuxta Apostolum, *ex semine Dauid secundum carnem*. Nam Filius Dei, vt verè seruator hominum esset, non Angelos, *sed semen Abrahæ apprehendit, debuitque per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi*. At qui corpora nostra in multis locis esse

Obiectio hæretic.

*Gen. 3. 15. 22.*
*Psal. 131.*
*Rom. 1.*
*Heb. 2.*

esse non possunt, nec sub breuiore quantitatis forma quàm quæ illis connaturalis est, sed neque humanis oculis inaspectabilia. Quomodo igitur corpus Christi sub exigua panis forma, simul in cœlo & in terra, idemque inaspectabile, atq; sensibus nostris imperuium esse poterit?

DOCT. Hoc præsertim argumento, velut claua Herculea munitus Beza cum gregalibus in Pyssiacensi Colloquio, & in cunctis deinceps libellis, plusquam iuueniliter exultat, & de Christi reali præsentia & communicatione in Sacramento Eucharistiæ victoriam sibi palmamque repromittit. Verùm, fortiter à Theologis nostris excussa est ei de manibus claua, sapienterque responsum, corpus Dominicum quantum ad substantiam carnis & sanguinis attinet; deinde cibi, potus, quietis, laborum, sudorum, vigiliarum, dolorum, mortis denique necessitatemque spectat, cum nostris penitus conuenisse, vt non solùm superiora probant testimonia; verùm etiam quod passim vocetur *Filius hominis, factusque ex muliere, frater & minister noster, vermis terræ, opprobrium hominum & abiectio plebis, minoratus ab Angelis, vir dolorum & sciens infirmitatem*, &c. Quantum verò ad perfectiones, Diuina beneficia, prærogatiuas, gratiasque huic homini Deo concessas pertinet, tantum differt à nostris, vt nullus comparationi locus remaneat. Nam non ex semine viri aut voluntate carnis illud imprimis in vtero corruptæ fœminæ conceptum est, & post temporum interualla viuum, & anima rationali præditum: sed vnico primóque momento per virtutem Altissimi obumbrantem, & Spiritum Sancti superuenientem in purissima & integerrima Virgine conceptum, animatum, & Filio Dei in vnitate personæ supra omnem naturæ ordinem copulatum est, exactisque nouem mensibus tam mirificè natum, quàm Diuinitus conceptum fuerat. Cuius autem Monarchę, cuius Prophetæ, cuius Sancti, aut cuius Prædicantis ac ministri corpus poterit cum isto aliqua ratione cõferri? MIN. Nullius profectò. DOCT. In eodem corpore postea quadraginta dierum & noctium famem pertulit, mare siccis vestigijs peragrauit, in aëre elatus

Responsio.

*Gal. 4.* *Io. 20.* *Ps 21.* *Ps 8.* *Isa. 53.*

*Luc. 1. 2.* *Matth. 1.* *Isa. 7.*

*Matth. 4. 14. 17. 28.*

velut

*Ioan. 20.* velut sol resplenduit, è monumenti recluso saxo exi-
*Luc. 4. 24.* uit, ianuis clausis intrauit ad Discipulos; cùm volebat
*Matt. 16.* videbatur, capiebatur, manibus tractabatur; cùm nole-
*Act. 1.* bat nullus eũ oculis intueri, nullus capere, nullus attre-
ctare poterat. In eodem postremò ascendit super om-
nes cælos, penetrauit omnes choros Angelorum, sedet
in dextera Patris, inde venturus iudicare viuos & mor-
tuos. An non igitur extrema cæcitate correpti sunt ve-
stri, quando ex immundorum corporum suorum cum
Christi corpore comparatione conantur efficere, vt
tam procul sit ab Eucharistia, quàm summus vertex
cæli à centro terræ? His etiam adde, quod cùm de hac re
agitur, non virium humanarum imbecillitas, non na-
turæ nostræ infirmitas Diuinæ virtuti ac omnipoten-
tiæ, cuius vi efficitur vt idem corpus sit in multis locis,
obijcienda est, vti superiori disputatione prolixè qui-
dem, sed non inutiliter, vti spero, disseruimus.

28. Conclusio primi Dialogi.

MIN. Mirabilis, fateor, vtilitatis fructum ex hoc
cepi colloquio. Didici etenim hodie, præcipuos refor-
mationis nostræ præsules solidioris Theologiæ igna-
ros, multas hæreses & blasphemias, cum ea quam ven-
tilant doctrina, vel imprudẽter, vel malitiosè commis-
cere, absurda plura contra sanctissimæ Trinitatis, eius-
demque individuæ vnitatis confessionem, inuocatio-
nem, & adorationem confingere; plurima verò contra
trium Diuinarum Personarum maiestatem, poten-
tiam, cæteraque religionis Christianæ fundamenta cõ-
miscisci. Quocirca eorum deinceps libros maturiore iu-
dicio à me legendos esse censeo, nec placitis eorum
tam facilè, vt solebam, de cætero acquiescam: sed de-
tracto fuco omnia verborum pondera diligenter exa-
minabo: soli verbo Diuino, prout à sanctissimis & an-
tiquissimis, qui primos à Christo quingentos annos
Ecclesiæ gubernacula tenuerunt, Patribus & Doctori-
bus interpretatum fuit, fidem habebo: & hæreses om-
nes, qui his aduersabuntur, toto pectore damnabo &
fugiam. Per sancti verò ac peradorandum TRINI-
TATIS personarum, & VNITATIS essentiæ
Diuinæ mysterium, non Philosophorum, aut id genus
otiosorum hominũ incertis speculatiõibus excogita-
tum,

tum, ſed oraculis cæleſtibus mundo manifeſtatum, ab Apoſtolis prædicatum, à Patribuſque ſumma fide ſeruatum & propugnatum; & ſi non poſſum humana ratione perſcrutari & capere: poſſum tamen adiuuante Spiritu Sancto, & debeo, & volo ſic corde credere ac ore confiteri, quemadmodum militanti Eccleſiæ Catholicæ reuelatum & traditum eſt, donec ad triumphantis glorioſum cœtum peruenero. Tunc enim ea, quæ nunc ſecundū Dei verbum rectè credo, manifeſtè cognoſcam & intelligam. Video nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciē. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Scio enim quoniam cùm apparuerit Dei Filius, ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Atque in hac fide & ſpe, ita me Deus amet atque iudicet, eius auſpicijs in finem vſque permanebo ac immoriar. *1.Cor.13.* *1.Ioan.3.*

Interim autem per omnia ſacra rogo & obſecro te, ne alios Miniſtrorum noſtrorum errores celes à me, vt eos apud me diligenter perpendam & examinem.

DOCT. Habent adhuc plurimos & turpiſſimos contra reliquas Dei noſtri perfectiones: ſed quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies, ſatius erit totum negotium in craſtinum differre, & primum hoc colloquium noſtrum his Diui Auguſtini precibus terminare.

ORATIO. *Medit. c. 11. & 12.*

SVPPLICES adoramus & inuocamus te Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum ſanctum Paraclitum, ſanctam & indiuiduam Trinitatem toto corde & ore confitemur, laudamus, atque benedicimus. Confitemur tibi nos vltimi ſeruorū tuorum, & exigua Eccleſiæ tuæ membra, confitemur tibi, & debito ſacrificio laudis pro viribus noſtris honorificamus te. Et quia exteriora nobis munera deſunt, quæ poſſimus offerre, ea quæ in nobis ſunt, ex dono miſericordiæ tuę vota laudis libentes & ouantes offerimus tibi de conſcientia pura & fide non ficta. Credimus, confitemur, & adoramus te Patrem, Filium, Spiritum ſanctum, in perſonis trinum ac ſubſiſtētem, & in ſubſtantia ſimplici, impartibili, abſoluta, vnum verum

Deum omnipotentem, vnam & ſolam totius huius vniuerſi cauſſam, originem, conſeruatorem, & moderatorem æquè ſapientiſſimum atque potentiſſimum, ſine quantitate magnum, ſine qualitate bonum, ſine tempore ſempiternum, ſine ſitu vbique præſentem, ſine loco vbique totum, ſine indigentia omnia creantem, ſine labore omnia regentem, ſine tui mutatione omnia mutabilia facientem. O Trinitas, cuius omnipotentia omnia poſſidet, omnia regit, omniaque implet quæ creauit, omnia concludit, adeò vt euadendi omnipotentem manum tuam nullus aditum inuenire poſſit. Qui enim te non habet placatum, nequaquam euadet iratum. Immenſitas quoque magnitudinis tuæ iſta eſt, vt intelligamus te intra omnia, ſed non incluſum: extra omnia, ſed non excluſum. Itaque inuocat te, Domine, fides noſtra, quam propter bonitatem tuam, ad ſalutem nobis contuliſti, vt excuſſis ignorantiæ tenebris nos ſemper ad veritatis lucem perducas, & à ſtultra huius ſeculi dilectione erutos, ad dulcedinem amoris & charitatis tuæ ſubtrahas. Tibi hymnum gloriæ tuæ concinimus; Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabbaoth. Te inuocamus vt venias in nos, & templum nos facias dignum gratię & gloriæ tuæ. Rogamus Patrem per Filium, rogamus Filium per Patrem, rogamus Spiritum ſanctum per Patrem & Filium, vt omnia vitia procul arceantur à nobis, & omnes accedant virtutes. Cuſtodi nos quæſumus, hîc & vbique, nunc & ſemper, intus & foris, ante & retrò, ſupra & infra: cuſtodi nos opera manuum tuarum, & in ſola miſericordia tua ſperantes, vt de præſenti ſeculo nequam ereptos, tecum tandem aliquando cum omnium fidelium ac piorum cœtu in vita cæleſti colligere digneris. MIN. Amen. Vale Doctor optime, cras adhuc te videbo.

Cap. 30.

Cap. 31.

Iſa. 6.
Apoc. 4.
Cap. 32.

DIALO-

# DIALOGVS SECVNDVS, IN QVO TRIGINTA ET NOVEM ERRORES CALVINIANORVM ADVERSVS SANCTISSIMAE TRINITATIS perfectiones examinantur & refelluntur: ac primò de VÆRITATE Dei in verbis suis.

MINISTER.

EA quæ me detinet cupiditas tecum examinandi alia errorũ capita, quæ dixisti nostros præceptores cõtra sanctissimam Trinitatem effinxisse, fecit profectò vt hîc lætus adessem, nondum exorto diluculo. DOCT. Aliquantulũ temporis consumpsi primùm in recitandis precibus matutinis, deinde in euoluendis chartulis & aduersarijs: id me quidem detinuit, & quò citius venirem prohibuit: sed sat citò, si sat bene. Precor Deum immortalem vt conatus nostros euchat. Caluinianæ sectæ trigesimus primus error, certæ perpetuoque sibi constanti VERITATI Diuinæ omnino contrarius est. MIN. Quid? Adeóne nostros deliraſſe censes, vt eam mendacijs importunis audeant onerare? DOCT. Surgus & de Spina ministri, Lutetiæ in frequentissima lectissimorum hominum corona primùm dictitarunt, & postea typis mandari & euulgari curarũt Gallicis verbis, quæ Latinè sonant: *Si Deus faceret in eodem instanti corpus Christi Filij sui præsens in pluribus locis, in verbis suis non esset verax.* Cùm verò tum petijsset ab illis illustriss. Dux Niuernensis, An non posset istud Deus facere, si vellet? In deteriorem adhuc prolapsi errorũ caliginem, responderunt, *Deum neque id posse velle, quin protinus à sua veritate deficeret.* Deinde apertè negarunt id se concessuros, *Ne Deum mendacem facerent. Quod si faceret* (inquiebant) *esset in idolo, est, & non est*: quæ sunt contradicentia, quorum necesse est alterum falsum esse. Ex hoc principio

*Colloquio Paris.*

à peſſima conſequentia improbiſſimè ducto, vociferant in concionibus, Deum apertè mendacem eſſe ac fallacem, ſi ſua infinita abſolutaque poteſtate permittat corpus Chriſti Domini omnibus locis adeſſe, vbi ſanctiſſima conficitur, ſeruatur, aut ſumitur Euchariſtia. Dic rogo, quid de his cogitas?

Confut. 1. MIN. Animo agito, te eos ſummo hoc errore iure notare, ſuppoſita Diuinæ Euchariſtiæ veritate. At ego tribus de cauſis nefariam opinionem iſtam damnabo. Primò enim apertè pugnant cum magni illius Bambalionis Bezæ ſententia, qua diſtinctè clareque docet ſe cum ſua meretrice Cādida multis ſimul & ſemel locis poſſe conſiſtere. Eius verba ſunt hæc ad eandem Candidam:

Poem. Eleg. 6.
*Humanum potius debes deponere nomen,*
*Vna ſimul gemino quæ potes eſſe loco.*

Et ne quis putet hęc ei imprudenter excidiſſe, id rurſus non ſimpliciter tantùm confirmat, ſed & eos multis probris inſectatur, qui putant Deū id efficere nō poſſe, ſicut Caluinus, Spina, Roſierius ſiue Suræus, & alij paſſim miniſtri docent. Ille ergo adhuc ſcribit:

Epigram. de amicitia cum Truchon.
*Heu vos aduoco, vos acres ſophiſtas,*
*Fallaces, querulosque homunciones,*
*Qui poſſe hoc fieri ſimul negatis,*
*Vt quis viſitet in locis duobus.*
*Tandem vera loqui ô tenebriones,*
*Diſcite, & fieri videte poſſe,*
*Poſſe quod fieri ſimul negatis.*

Itaque cum eo credendo & confitendo fieri poſſe, vt idem corpus ſit in pluribus locis; Deus nihilominus veritatis eſſe Deus non deſinit: patet apertè eos mendacij ſpiritu planè repletos eſſe, qui Deum mendacij carpunt.

2. Inſt. l. 4. c. 17 §. 9. 18. & 19 Secundò, poſt Caluinū & duodecim miniſtros, qui omnium noſtrum nomine Poſſiaco interfuêre colloquio, credimus & docemus, *eos omnes qui more noſtro; ad Cœnam accedunt realiter & verè ſubſtantiam corporis Dominici recipere. Non enim vacua ſunt ſigna, ſed his plena quæ ſignificāt: ſicque huius ſubſtantiæ participatione efficimur os ex oſſibus, & caro de carne Domini.* Neceſſe eſt igitur, vt dum

eodem

eodem tempore celebratur in Heluetia, Germania, Polonia, Anglia, Scotia, & Gallia, in totidem locis vera vereque præsens sit eadem substantia: nec tamē sic existimamus Deum esse mendacem, sed veridicum. Itaque incredibili atque intolerabili contumelia eum afficiunt, qui ea de causa illum accusant mendacij.

Tertiò, si quis audeat dicere *Deum esse mendacem, aut verbis suis contradicentem, si hoc aut illud faciat*, eundē cum teterrimo cacodæmone confundit, negatque verum Deum esse: quod nunquā ausi sunt ore euomere quotquot vsquam fuerunt Epicurei, aut alij diuinitatis hostes infestissimi: quandoquidem tantam insolentis temeritatis petulantiam omnis creatura ratione prædita damnat, ac palpitante pectore perhorrescit. En mea de his hominibus, eorumq; opinione sententia. Tu quid censes? 3. Ioan. 8.

DOCT. Argumenta tua dilucida & firma esse. Sed præter hęc, eiusmodi blasphemum de vero & viuo Deo Caluinianorum iudicio omnibus sacris scripturis remanet conuictum, quæ confirmant immutabilem Dei semper esse maiestatem & veritatem, etiam si vniuersa ista inferiora & creata mutentur. De cælestibus enim orbibus scribitur: *Mutabis eos & mutabuntur: tu autē idem ipse es, & anni tui non deficiēt* Et alibi: *Deus verax est, omnis autem homo mendax.* Et iterum: *Omnis homo mendax. Satanas mendax fuit, & pater mēdacij* Igitur cùm omnis fraus & mendacium duntaxat vel dæmoni tribuatur, vel homini perdito velut cacodæmonis organo, nunquam autem Deo, inconsideratissimæ & dementissimæ profectò temeritatis est, hanc illi inferre iniuriam. 4. Psal. 101. Heb. 1. Rom. 3. Psal. 115. Ioan. 8.

Præterea, veritas in Deo rum naturalis ac intima perfectio est, quàm sapientia, bonitas, misericordia & iustitia, quæ naturæ Diuinæ tam propriè conueniunt, vt non solùm non sint accidentia quæ separari aliquando possint, verùm sunt ipsa Dei substātia atque natura. Etenim secundum Augustinum, non est Deo aliud esse, & aliud intelligere, sapere, bonum, aut verum esse: sed hoc ipsum verum & bonum esse, quod viuere ac esse. Vt igitur Dei substantia atque natura semper constantissima est ac immutabilis, quicquid in rebus crea- 5.

tis permutetur, ita & Veritas certissima, quæ in nullam cadere potest contradicentiam, in nullum declinare mendacium. Hoc innumeræ confirmant scripturæ, cuiusmodi sunt istæ: *Dominus veritatem requiret. Veritas tua vsque ad nubes. Propter veritatem & mansuetudinem, & iustitiam deducet te mirabiliter dextera tua. Veritatem dilexisti. Veritas tua in circuitu tuo. Veritas Domini manet in æternum. Omnes viæ tuæ veritas. Iustus Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Et in Isaia iurans Dominus per vitam suam, & per thronum in veritate constitutum, denunciat eos eniti suo ipsum deturbare regno ac solio, qui mendacij ac falsitatis Deum audent accusare.

*Psal.30.35. 44.50.88. 116.118.145. Isa.16.*

6. Ad hæc, vnigenitus Dei Filius profitetur se esse, viam, veritatem, & vitam: igitur vt nequit à recto aberrare, nec à morte detineri, sic neque à veritate vnquam declinare. Hac de re vno eodemque consensu beati oës Spiritus in cœlis concinunt, *Dominus Deus est omnipotens, & omnes viæ eius iustæ, ac veræ. Nomen eius est fidelis, & verax.*

*Ioan.14. Apoc.15.19.*

7. Perpende etiam tecum, quam obrē strictissimè omne prohiberet mendacium, mendaces & dolosos abominaretur, filios diaboli & mortis esse dictitaret, si in eum vel minima falsitatis suspitio cadere posset? Aut quis constanter crederet ei, inconcussè speraret in promissa eius, si vel semel in mendacio fuisset deprehēsus? Nam hoc consequuntur viri mēdaces, vt illis etiam cùm vera loquuntur, nemo credat, nemo fidat.

*Sap.1:Ex.23. Leu.19: Nū. 23: Psal.4.5. 52.58. Prou. 6.14.19. Laert.l.5.c.1.*

8. MIN. Quam ergo putas ineptū cor fictumque esse corū metum, (quo angi se & grauari testantur) ne Deus mendacio aut contradicentia conuictus reperiatur, si vnicū Filij sui corpus in multis simul locis constituat? DOCT. De his & similibus improbis hypocritis dictum est, *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Possedit tremor hypocritas.* Etenim huiusmodi confecto timore, non Diuinæ veritati ac reuerentiæ, sed impiæ Sacramentariæ opinioni suæ, ne ab omnibus cōuincatur & exsibiletur, trepidant. Hac leonis pelle suum nituntur contegere asinum, hacque purpura (vt est in prouerbijs) simiæ suæ turpitudinē cēlare. MIN. At nimium exigua

*Psal.13.52. Isa.33.*

exigua sunt hæc folia, breuioraque integumenta, vt hinc possint erroris sui fœditatem obuelare. In alium ergo sermonem incidamus.

## DE CONSTANTIA ET IMMVTABILITATE Dei in sua essentia & natura: aduersus trigesimam secundam hæresim.

DOCTOR.

SVperius iam aliquoties nominati ministri Spina & Suræus tam verbo quàm postea scripto asseruerũt: *Deum fore inconstantem, mutabilem, propriæque naturæ repugnantem, si quodam potentiæ suæ miraculo corpus Christi Domini nostri eodem temporis instanti in diuersis locis esse permitteret.* Ita enim elate nimis & arroganter Dei viuentis maiestatem floccifaciunt. Colloquio Paris. fol. 64

MIN. Dicas potius eos tam impiè & superbè blasphemare, vt nullus reperiri possit, in quo vel minima fidei & timoris eius remãserit particula, qui ea audire non exhorreat. Enimuerò si verè vnus est Deus, vt & ratio docet, & sacræ phibent scripturæ, ille est omnino immutabilis, quicquid rebus creatis adueniat: quoniã pugnat Deũ verum esse, & mutationi esse obnoxium. Nam mutationes & vicissitudines tantùm rebus inconstantibus conueniunt, & dijs vanis, veluti Saturno, Ioui, Marti, Plutoni, Iunoni, Palladi, Proserpinę, Veneri, alijsque vanissimis simulachris, quæ os habebãt & non loquebantur: quæque nec seipsa, nec cultores suos ab iniurijs communibus seruare potuerunt. Cõfutatio. 1.

DOCT. Rectè certè ais, fingentes Deum natura mutabilem, negare eum verum esse Deum, quoniã sic eum in creatarum rerum ordinem reponunt, quæ propter innatam imperfectionem & defectũ non possunt non esse mutabiles & incõstantes. De vero autem Deo scribitur: *Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur.* Et semetipsum talem patefaciens hominibus, qualem credere & colere illos decebat, ait: *Ego Dominus, & non mutor.* Ideoq; Paulus apertissimè & constantissimè prædicat, *eum solum habere im-* 2. Num. 23. Mal. 3. 1. Tim. 6.

*L. 3. cōt. Maxim. c. 12.* *mortalitatem*: quo nomine magnus Antiſtes Auguſtinus perpetuò contendit ſignificari immutabilitatem.

3. MIN. Et quoniam hic error tam craſſus eſt, vt ampliori confutatione non indigeat; inſuper magnopere me delectat ſapientiſſimi & vetuſtiſſimi huius Patris doctrina, tantùm ex eo aliqua deprome, quæ huic diſputationi noſtræ congruant. DOCT. Ait ergo. Non eſt Deus mutabilis ſpiritus. Sed tranſi omnem mutabilem ſpiritum, qui modò ſcit, modò neſcit: modò meminit, modò obliuiſcitur: vult quod nolebat, non vult quod volebat. Tranſi omnia, non inuenies in Deo aliquid mutabilitatis: non aliquid quod aliter nunc eſt, aliter paulò ante fuerit. Nam vbi inuenis aliter, & aliter, facta eſt ibi quædam mors. Mors enim eſt, non eſſe quod fuit. Solus autem Deus habet immortalitatē. *Tract. 23. in Ioan.*

*L. 1. Confeſſ. cap. 4.* Et alibi rurſum his verbis verum Deum nobis deſcribit: Eſt immutabilis mutās omnia, nunquam nouus, *Medit. c. 29.* nunquam vetus, innouans omnia, & in vetuſtatem *Manual. c. 1.* perducens ſuperbos, & neſciunt. Semper agens, ſemper quietus, colligens & non egens, portās & implens. Amas nec æſtuas, zelas & ſecurus es, pœnitet te & non doles, iraſceris & tranquillus es, opera mutas nec mu- *Manual. c. 2.* tas conſilium. Et rurſum omnia prorſus accidentia, quibus res creatæ immutari ſolent procul à Deo ablegans ait: Magnus es Domine, ſine quantitate, & ideo immenſus. Bonus ſine qualitate, & ideo verè & ſummè bonus, & nemo bonus niſi tu ſolus: cuius voluntas opus eſt, cuius velle poſſe eſt. Omnem creaturam abſque indigentia poſſides, ſine labore gubernas, abſque tædio regis, & nihil eſt quod conturbet ordinem imperij tui, vel in ſummis vel in imis. Qui in omnibus locis ſine loco haberis, & omnia contines ſine ambitu, & vbique præſens es ſine ſitu & motu. MINIS. Hæc mihi ſufficiunt. Dicant in poſterum quicquid voluerint alij miniſtri, ego cum verbis diuinis & Auguſtino, Deum meum verbo & Deitate ſibi perpetuò conſtantem colam & inuocabo.

DE

## DE SANCTITATE ATQVE PERpetua æquitate, iustitiaque Dei nostri, in suis operibus: aduersus trigesimam tertiam Caluinianorum hæresim.

### DOCTOR.

DIcamus ergo de sanctitate, perpetuaque iustitia & æquitate Dei in cunctis operibus suis, quam impius vester Caluinus non solum suspectam habet, sed & seuerè reprehendit atque vituperat. MINIST. Potest ne fieri? DOCT. Imò & factum ab ipso est, quando his verbis Gallicis ait: *Ie ne recoi point ce mensonge et reuerie, que Dieu soit sans reprehension, quoi qu'il face, parce qu'il n'est obligé à aucune loi.* Quod ad verbum Latinè dicitur: *Non recipio hoc mendacium ac delirium, quod Deus sit sine reprehensione, quicquid faciat, propterea quòd nulli legi deuinctus sit.* Patet itaque Caluino iudice, Deum aliquando incurrere in varias reprehensiones atque vituperationes, cò quòd quibusdam legibus teneatur. *Li. de eterna prædest. pag. 239.*

MINIST. Ecquis vnquam purus, innocens, & omnino sanctus, si Deus sanctus & benedictus obiurgatione dignus inuenitur? Quibus indulgebit Caluiniana censoria grauitas, qui Deum putat aliquo defectu arguendum? Etenim audacissimè nimis nititur Cõsistorij sui sordidum efferre theatrum super Altissimum, & cum principe tenebrarum, Deum maximum adducere in iudicium tanquam reum, & eundem velut iniustum carpere. Tam impia certè & absurda sunt hæc, vt & cacodæmones horrerent in huiusmodi verba irrumpere, ac Deum reprehẽsioni subijcere: cum æquitas iudiciorum, & sanctitas operum eius tanta sit, vt huic etiam testimonium perhibere persæpe coacti fuerint. DOCT. Hactenus quidem de his iudicasti: sed si Caluinus etiam in hac re secum pugnat, vt in alijs frequenter, edicito. Cõfutatio. 1. *Marc. 11. Lucæ 4. Act. 16.*

MINIST. Suo sese iugulans mucrone, scribit vt Gallica eius ad verbum Latina reddam: *Faciamus consequentiam certam ac indubiam, quod omne quod in Deo est,* 2. *In c. 5. Ioan.*

Psal. 144. *iustum & verum est, nec potest vllo modo fieri, quin sit fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Et rursum alibi: *Hoc modo verè demum subiguntur homines ad credendum, vbi carnis sensus facescere iussi, statuunt nihil nisi rectum ac purum à Deo procedere, nec eius verbo vel operibus obstrepere sibi permittunt.* Et sese adhuc strictius

In c. 7. Luc. vers. 29.

In cap. 3. ad Ro. ver. 6. et in c. 9. v. 14. inuoluendo & implicando manifestis contradictorijs, ait: *Deus iniustè nihil potest facere.* Et postea: *Ecce portentosa humani ingenij rabies, Deum potius accusare vt iniustum, quàm propriam non agnoscere cæcitatem* Iam ex his ita ratiocinor, Si Deus aliquando reprehensioni esset obnoxius, vt scripsit Caluinus, maximè quòd rem faceret iniustam. Iustum enim quis iustè reprehenderet? At nihil, eodem censore, iniustè Deus potest facere: igitur quicquid faciat, omni prorsus reprehensione vacat. Et si sanctus est continuò in cunctis operibus suis, an non homo amentissimus, atque omnibus consilijs præceps ac deuius nouus iste Geneuensis Apostolus existit, existimans illum aliquando reprehendendum? Si autem accusare Deum sit furiosa & truculenta rabies, idem ipse monstrum erit ex pugnantibus naturis confiatum, & vt omni ratione priuatum constringendum & fugiendum, qui non solum reprehensibilem Deum existimat, sed & cum aljs in locis *authorem omnium peccatorum esse prædicat.* Præterea, si Deus in omnibus operibus suis sanctissimus & æquissimus est, extra omnem reprehensionem erit quicquid faciat. Nam aliam legem non habet, præter naturalem propriamq; æquitatem & iustitiam suam.

Sed & in Institutione illos oppugnans, qui putarent Deum alicui obtrectationi esse obnoxium, ait: *Quomodo vllam iniquitatem admitteret, qui iudex est orbis? Ad Dei naturam si propriè pertinet, iudicium facere, iustitiam igitur naturaliter amat, iniustitiam auersatur, & cæt. Docet Apostolus indignum esse, ad eam legem redigere Dei opera, vt simul ac eorum ratio nobis non constiterit, improbare audeamus.* Quibus verbis seipsum non tam oppugnat, quàm reipsa vincit & expugnat. Etenim si Deus iniquitatem nequit admittere, omni reprehensione vacat. Et cùm ad eius naturam pertineat iustitiam amare, iniustitiam auersari, &

3. Li. 3. c. 23. §.

4. Rom. 9.

iudicium

iudicium facere; profectò Caluiniani eius Diuinitati & iustitiæ palam aduersantur, iudicantes illum reprehensione dignum, si quid faciat, propterea quòd nulli legi deuinctus sit. Denique, si nemini licet operibus eius obstrepere, aut opera eius improbare, tametsi ratio eorum nobis non constet; quo loco hunc hominem constituemus, qui illa carpit, & reprehensione digna posse aliquando esse tam impiè quàm audacter pronunciat?

DOCT. Fonas vbi volueris, sed certò scio, nullum ei locum remanere cum sanctissimis Prophetis, quorum vnus summam eius æquitatem & sanctitatem admirans exclamat: *Quàm bonus Israël Deus! Iustus Dominus, & non est iniquitas in eo. Confitemini Domino, quoniam bonus: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Et alius canit: *Dei perfecta sunt opera. Deus fidelis & absque vlla iniquitate, iustus & rectus.* Succlamat & tertius: *Tu autẽ Domine Sabbaoth, qui iudicas iustè, & probas renes & corda.* Quartus & quintus eodem consensu concinunt: *Dominus Deus noster iustus est in omnibus operibus suis.* Quocirca plusquam Diabolica temeritas est, asserere Deum esse quouis pacto reprehendendum quidquid faciat. 4. *Psal. 72. 91. 105. 108. Deut. 32. Ierem. 11. Baruc. 2. Dan. 3. & 9.*

Hunc rursum errorem conuellendum auertendum que curârunt Prophetæ & Apostoli, cùm Deum peritissimo figulo faciunt simillimum, omnia verò quæ cælorum ambitu continentur fictilibus vasculis, de quibus quæcunque voluerit operatur: nec possunt dicere fictori suó, *Cur me feciſti sic?* Ecquid etiam posset infinita sapientia, bonitas, & iustitia facere, quod non sit rectum, sanctum, & iustum? 5. *Isaiæ 4. Ierem. 18. Sapien. 15. Rom. 9.*

MINIST. Quædam ex Augustino adijce, vt ad alia transeamus. DOCT. Eum Beatus Pater exhortatur, qui mente aberrans putat Deum non omnia sibi concedere, quæ ad salutem necessaria sunt, vt non obmurmuret, neque vllo pacto illum accuset, quoniam cuncta certissima & iustissima ratione facit. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Quinetiam potens est dona sua cuicumque voluerit, conferre; & collata cùm voluerit tollere: omnia æquissimi judicij sui trutina ponderans. Denique, persepe & grauiter obscurissimas de Diui- 6. *Augustin. Li. de dilig. Deo, cap. 16.*

de Diuinis iudicijs quæstiones concludens ait: *Iudicia Dei occulta esse possunt, iniusta non possunt. Iudicia eius semper manifesta sunt illi, occulta nobis.* MINIST. Et sanè malitia est pernicioſissima, aliter cogitare vel dicere: & quantum ad me pertinet, hunc errorem vt confectum & oppressum relinquam. Alium persequamur.

## *DE SVMMA DEI LIBERTATE IN operibus, quæ terminantur ad creaturas: contra hæresim trigesimam quartam.*

DOCTOR.

AVthor vester tetra rursum hæresi seipsum suosque commaculat, Deum omni voluntatis libertate spolians, in cunctis operibus, quæ in Scholis vocamus ad extra, id est, quę ad res creatas pertinent: adfirmans eum tali in his necessitate ferri, vt non possit non facere quæ facit. Sic enim scribit in Gallico de libero arbitrio volumine: *Dieu necessairement veut & fait bien: & veu qu'il perseuere ainsi constant, il est comme necessité à soi mesme.* Quod sic ad verbum Latinè reddo. *Deus necessariò vult & facit bene; & quia sic constanter perseuerat, sibi loco necessitatis est.* Fraudem quoque suam alibi aliquanto apertius manifestans ait: *Penitus statuere cõuenit, fieri non posse, vt Deus consiliũ retractet:* adeò vt hoc iudice, prorsus Deo impossibile sit, aliquid vel immutare vel reuocare in his quę promisit, aut cõminatus est hominibus. Beza sordibus preceptoris se coinquinans, ait: *Deo nec liberum esse semel datam nobis fidem & gratiam tollere: nec inferi cruciatibus adiudicatum liberare, nec beatum æternis supplicijs distorquere: eò quod nunquam sententiam immutet; & quod semel statuit, ita fiat necesse est.* MINIST. Fateor eos hæc sensisse & scripsisse: sed nondum video, qua in re peccent. Nonne scriptura docet, Deum prorsus verum esse in verbis suis, & natura omnino immutabilem, vt nunc differebamus? DOCT. Est prorsus quantum ad naturam, voluntatẽ, intellectum, & perfectiones essentiales spectat. Deinde, etiam omnis

*In cap. 26. Mat. ver. 39.*

*Conf. punct. 3. art. 6. & puncto 4. art. 20.*

nis mutationis expers est in æternis illis emanationibus ac operibus, quę in Scholis dicuntur ad intra, id est, quæ ipsam Diuinitatem non exeunt, qualis est Filij generatio, Spiritus processio, mutuusque personarum amor, beatitas, & gloria. In his enim tam naturalis est necessitas, vt aliter esse non possit, solaque libertas, quę dicitur Complacentiæ, in eisdem concipitur. Sed in operibus ad extra, id est, quæ solas respiciunt res creatas, tanta est Diuinæ voluntatis libertas, tantaque in rebus contingentia, vt Deus & Dominus noster sine sui vlla mutatione, possit cuncta mutare, construere & destruere, conuertere & subuertere, probare & reprobare, viuificare & mortificare, perdere & saluare, pro vt ei placuerit. Atque hoc est quod aduersus Caluinianos & Bezanos hoc loco adferete contendo. Vides enim eos in operibus ad extra, qualia sunt ferre sententiam in bonos vel malos, gratiæ & fidei dona infundere vel tollere, beatum vel miserum hominē reddere, vniuersam prorsus Deo libertatem adimere, vt eum quadam ineluctabili necessitate constringant atque subijciant.

MINIST. Sententiam tuam nunc facilè capio & probo: Caluinianam verò hac in re improbo atque reijcio, quoniam in primis sibimetipsi manifestè contrarius est, quando in libro de æterna prædestinatione, cum omni seueritate *damnat hoc Stoicorum axioma: Deus sibijpsi sua necessitas est*. Sic enim eodem ore efflat calidum & frigidum, & quod de libero arbitrio disputans adfirmat, nunc de æterna Prædestinatione differēs planè reprobat: quod & ego eundem sequutus improbo. Confutatio 1.

Alibi rursum Diuinam in operibus atque sententijs externis libertatem comprobans, scribit: *Dominus in gratuita sua electione liber est, & solutus ea necessitate, vt eandem omnibus gratiam ex æquo impertiat. Quin potius quos vult præterit, quos autem vult assumit.* Idemque rursum in Libris Institutionum sponte fatetur, *Deum posse conuertere lucem in tenebras, & tenebras in lucem.* Ministeretiam Bartholomeus Caussleus in Clypeo fidei Gencuanæ sustinet, *Deum posse eum cōuertere in asinum vel asinum, nimirum vt stolidius & crassius animal existat*: quod tamen non facit: 2. *In ca. 9. Ro. vers. 11.* *Lib. 4. ca. 17.*

facit: est igitur in Deo summa agendi libertas, nulla verò necessitas, vt ex ipsomet Caluino & fidei nostræ communi professione euidentissimè colligitur.

3. Mihi insuper videntur hi, qui Deum vi ac necessitate coactum & inuitum aut agere aliquid, aut permittere dicunt, eundem in Lucianicum Iouem flagitiosè transformare, quem impius atheus fato & necessitate retineri fingit. Tametsi enim isti à vocibus Fati abstineant, re tamen illud constituunt, eiusdemq; violentiæ Deum viuentem subijciunt, quando scribunt, *eum necessariò agere, eum sibi necessitatem esse, decreta sua de rebus humanis mutare non posse, &c.*

4. Adhæc, attentè mecum ipse cogito: Si Deus initio & Angelos & primum hominem (vt non inuitus confitetur etiam Caluinus) cùm præclara arbitrij sui libertate creauit, nullique vel bene vel malè agendi necessitati subiectos esse voluit: multo magis eam sibi seruauit perfectionem atque dignitatem, cum si quid bonum aut pulchrum in secundis causis existat, multo perfectius & excellentius in prima & summa, vnde procedunt, reperiri necesse est. Quomodo enim alijs quid contulisset, quod ipsa eminentius non haberet? Alias causas liberas faciens, ipsam nec fuisse, nec superesse in suis effectis liberrimam, quis credet? Ex his itaque concludo, vero Deo non ferendam iniuriam irrogari, cùm erga nos sua libertate, & quiduis agendi, aut non agendi licentia spoliatur.

5. DOCT. Satis scitè hoc quidem probas & confirmas, proprijsque testimonijs aduersarios conuictos reosq; tenes. Sed si mecum ad aliquot operum diuinorum contemplationem animum attendere velis, meridiana luce clarius conspicies, quã liber, omniq; necessitatis lege solutus Deus omnipotens totum hunc mũdum disponat & ministret. An non imprimis & Angelos, & cœlos, & elementa, & homines, & cuncta alia summa libertate, atq; spontanea voluntate sua creauit? Quæ alia causa eum impulit vt faceret? Quis vim ei adhibuit? Quæ necessitas coegit? M I N. Planè nulla, quoniam nec ante alia fuit, aut esse potuit. Deinde, audiui aliquando Basil. Mag. in his verbis, *In principio creauit*

*Deus*

*Deus cælum et terram*, obseruasse, mundum Dei consilio & libera voluntate factum esse, non autem ex necessitate quadam, vt à vero aberrãtes existimauerunt quidam Philosophi. Atq; eodem pacto clarum & indubitatum cunctis esse debet, Deum eadem libertate mundo induxisse diluuium, Aegyptios marinis vorticibus inuoluisse, legem dedisse Moysi, Filium suum in hunc mũdum misisse, atq; vniuersa ea perfecisse, quę in Diuinis libris commemorantur. Sed perge, obsecro.

DOCT. Rursum mecum attende, quod si Deus sententias, suaq; aduersus improbos lata semel decreta, nullo modo reuocare aut immutare valeret, profectò nec Moysem, nec Ieremiã, nec Danielem, nec Mardochæum, nec alios plures, toties pro Hebræorum salute deprecantes exaudiuisset. Ait autem sanctus Vates, *Dixit vt disperderet eos*: en Diuina contra obmurmurantes Israelitas sententia. Attendamus an illam commutare & reuocare non potuerit. Illicò subijcitur. *Si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram eius, ne disperderet eos* Et paulo post, eundem Dominum, aliam subinde sententiam suam aduersus Hebræos reuocantem idem Psalmus his verbis inducit: *Eleuauit manum suam super eos, vt prosterneret eos in deserto: Et deijceret semen eorum in nationibus, & dispergeret eos in regionibus.* An non hoc est Diuinum consilium & statutum? MINIST. Est planè, si quod aliud. DOC. Audi illius apertam retractationem. *Stetit Phinees & placauit, & cessauit quassatio.* Tertiam quoque Diuinæ sententiæ aduersus Iudæos reuocationem ibidem animaduerte: *Immolauerunt* (inquit) *filios suos & filias suas dæmonijs, &c. Et iratus est furore Dominus in populum suum, & tradidit eos in manus gentium, & tribulauerunt eos inimici eorum.* MINIST. Hîc non tantùm video decretum Diuinum, verùm & eiusdem executionem. Doce reuocationem illius. DOC. Subiungitur statim: *Vidit cùm tribularentur, & audiuit orationem eorum. Et memor fuit testamenti sui, & pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ. Et dedit eos in misericordias in conspectu omnium qui ceperant eos.* MIN. Plurima sanè & grauissima ex vnico Psa. argumenta, quibus & Diuina licẽtia in decretis suis ferendis & reuocandis dilucidè probatur,

6.

*Psalm. 105. Exod. 32.*

*Num. 25.*

*Exod. 17. Deut. 7.*

*Deut. 30.*

& Cal-

& Caluiniana Bezanaque impietas ac impudentia reprimitur.

7. DOCT. Putasne etiam quod cùm Deus Abraham ex terra Chaldæorum; Lot ex Sodomæ incendio; Noe ex diluuio; Iosephum ex vinculis; Moysem ex Nilo; Israelé ex AEgypto, mari, & disertis; Dauidem de manu leonis, Goliathis, & Saulis; Ionam ex ventre ceti; Ezechiam de potestate Assyriorum; & innumeros alios de summis ac præsentibus periculis asseruit, in potestate sua habuisse illos vt perirent, relinquere? MINIST. Nullo modo dubito, cùm nemo posset eum cogere, vt miraculosis liberationibus eosdem seruaret: sicque patere, Deum ineffabili libertate in cunctis operibus suis præditum esse. Quinetiam si voluisset, potuisset septem fratres per Antiochi ahena flammis vndantia illæsos emittere, quemadmodum tres pueros ex Babylonica fornace potuit lætos & integros retrahere, leones à Daniele arcere, Susannæ supplicium impedire. Quare manifestum est & certissimum, Deum in cunctis operibus suis esse summè liberum.

*Genes. 6. Exod.*

*2. Machab. 7. Dan. 3.*

8. DOCT. Idipsum apertissimè declarat, *Si*, conditionalem particulam decretis suis frequenter adijciendo: simulq; docendo, se non aliter teneri decretis suis, quàm gloriæ suæ expedit, hominum saluti conducit, ijdemque seipsos Diuinis promissis vel dignos reddũt, vel indignos. Ideoque semini Dauidis pollicetur: *In æternum seruabo illi misericordiam meam. Et ponam in seculum semen eius, & thronum eius sicut dies cæli. Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & cæt. si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint: visitabo in virga iniquitates eorum, & cæt.* Sequitur querela: *Tu verò repulisti & despexisti, auertisti testamentum serui tui & cæt.* Adhucque multò breuius & clarius per Isaiam ait: *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos: quia os Domini locutum est.* MINIS. Ecce profectò conditiones dilucidæ, quæque satis indicant Deum in promissis & decretis suis esse liberrimum, nullaque necessitate detineri.

*Psalm. 88.*

*Isaiæ 1.*

9. DOCT. Ostendens rursum quàm suum semper ius

ius retineat, ait: *Si reuertamini & quieſcatis, ſalui eritis.* Et *Iſaiæ 30.*
per Ieremiam populum ſuum cohortatur: *Bonas facite* *Ierem. 7.*
*vias veſtras, & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum in loco iſto. Si feceritis iudicium inter virum & proximum eius; aduenæ, pupillo, & viduæ non feceritis calumniam, nec ſanguinem innocentem effuderitis: & poſt deos alienos non ambulaueritis, habitabo vobiſcum in loco iſto vſque in ſeculum.* Huiuſce modi promiſſis ſub conditione conceptis, omnium aliorum Prophetarum libri ſunt referti: quibus infinita Diuinæ voluntatis atq; decretorum eius libertas ſatis manifeſtè comprobatur.

Promiſit quoque patri fidei noſtræ Abrahæ, quod 10.
ſi in Sodomis etiam tantùm decem viri iuſti reperirentur, propter eos non deleret ciuitatem. Dauidi pol- *Geneſ. 18.*
licitus eſt, *Si cuſtodierint filij tui vias meas, & ambulauerint* *3. Reg. 2. 3.*
*coram me in veritate, non auferetur tibi vir de ſolio Iſrael.* Nec non Salomoni dixit: *Si ambulaueris coram me, ſicut ambulauit Dauid pater tuus, & feceris iuxta omnia quæ præcepi tibi, ſuſcitabo thronum regni tui, ſicut pollicitus ſum patri tuo.* An non his oſtendit, ſummam ſe omnium decretorum ſuorum ſemper retinere poteſtatem, in liberando & perdendo, conſolando & affligendo, erigendo & deprimendo: idque ſe facturum patefacit ſecundum diuerſa hominum merita & opera?

Et vt nondum à veteris Teſtamenti teſtimonijs rece- 11.
damus, lata in Niniuitas ſubuerſionis ſententia; Ionæ *Ionæ 3.*
concionibus, ac eorum precibus & ieiunijs planè reuocata eſt. Pronunciatum aduerſus Achab iudicium, *3. Reg 21.*
non eſt veritus retractare, quando eum in ſacco & cinere coram ſe humiliatum conſpexit. Mortem citiſſimam in Ezechiam à ſe decretam, & à ſuo præcone de- *4 Reg. 19.*
nunciatam, propter eiuſdem preces & lacrymas, in *Iſaiæ 37.*
quintum decimum vſq; annum retardauit. Sic etiam ad vniuerſos mortales per Ieremiam loquitur: *Si pœni-* *Ierem. 18.*
*tentiam egerit gens illa, à malo ſuo quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei.* Et per Ezechielem: *Cùm peccator ingemuerit,* *Ezech. 18.*
*iniquitatum eius non recordabor.* Quorſum etiam ſeſe figu- *Ierem. 18.*
lo aſſimilat, ſi omnem licentiam ſuper opus ſuum non ſeruat? Quis ergo poterit eum iniuſtitiæ redar-

Rom 9. guere, si perditos saluet, aut beatos perdat? *An non cuius vult misereatur, & quem vult indurat?* Et in eius potestate est tenebras in lucem, & lucem in tenebras cõmutare? Sapien. 15. Vasa quædam facere in honorem, quędam verò in cõtumeliam? Ex lapidib. facere filios Abrahæ: & ipsos filios Abrahę lapides? Matt. 3. Voluntati eius quis resistit? *An non licet mihi* (ait ad quosdam obmurmuratores) *facere quod volo? Et oculus tuus nequam est, quoniam ego bonus sum?* Hæc potrò vniuersa sine sui vlla mutatione efficit atq; operatur, quoniam, vt ait Boethius: Matth. 20.

*Immotus remanens solus dat cuncta moueri.*

Li. 1. confess. cap. 4. Manual. ca. 12. Augustinus quoq; his eum compellat: Pęnitet te, & nõ dolcs: irascaris, & tranquillus es: opera muras, nec mutas consilium.

MINIST. Hæc mihi penitus faciunt satis, nec vlteriores Diuinæ libertatis in externis operibus probationes requiro. Hanc enim certissimè credo, sed & perpetuò confitebor, quod ipse, ipse est qui mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit, pauperem facit & ditat, humiliat & sublcuat. Ait enim de seipso: *Ego occidam & viuere faciam, percutiam & sanabo, et non est qui de manu mea possit eruere.* His enim satis declarat, qua libertate omnia huius mundi negotia temperat: illosq; ab omni pietate longè remotos esse, qui aliter senserint. Disputationem aliam instituamus. 1. Reg. 2. Psalm. 112. Deut. 32.

## *PRAEVISIONEM AVT VOLVNTATEM Dei æternam, nec humani arbitrij libertatem, nec rerum inferiorum contingentiam auferre: aduersus trigesimam quintam & sextam hæresim.*

DOCTOR.

AGamus ergo de eo, quod Caluinus, vt cum auis suis Simone Mago, Marcione, & Manichæis, liberum hominum arbitrium perneget, & contingentiam è rebus inferioribus tollat; sustinere nititur, voluntatem & præscientiam Dei talem illis necessitatem imponere, vt nulla relicta sit in eis libertas,

aut

aut cauſis ſecundis contingentia. Propria ſunt hæc eius verba: *Non dubitabo igitur ſimpliciter fateri, Voluntatem Dei eſſe rerum neceſſitatem, atque id neceſſariò eſſe futurum, quod ille voluerit: quemadmodum ea verè futura ſunt, quæ præuiderit.* Tum Diuo Auguſtino imponens, quòd eiuſdem fuerit ſecum opinionis, licet omninò contrariam & toto cælo (vt aiunt) oppoſitam defenderit, vt mox docebimus, adijcit: *Deum ab æterno omnia præuidiſſe ac voluiſſe tum in cauſis generaliter, tum in effectis particulariter*: vnde manifeſtè conſequitur, nullam in cauſis ſecundis aut effectis earum eſſe relictam libertatem ac contingentiam: ſed tantam impoſitam neceſſitatem, vt euitari nullatenus poſſit. Suam adhuc detegit hæreſim multo quàm antea clarius in Antidoto aduerſus Conc. Trident. dum Conatur eam tueri profani & athei Poëtæ ſententiam; *Certa ſtant omnia lege*: hæcque Lutheri, verba, qua Concilium damnat, *Omnia abſoluta neceſſitate eueniunt*. Quod tuum de his iudicium? *Inſt. li. 3. ca. 23. §. 8.*

MINIST. Certum eſt, hanc fuiſſe hominis opinionem: ſed te non celabo, mihi ſemper diſpliciuiſſe, & his omnibus, in quibus animaduerti aliquam ſupereſſe conſcientiæ integritatem, idque multis rationibus, quas paucis commemorabo. Prima eſt, quod author ſibi repugnat, alibi planè *reijciens omnem de præſcientia Diuina doctrinam, velut ſubtilitatem à ſacra ſcriptura diſſentaneam*. Aliàs inſuper ſcribens, *Prophetias* (quæ non niſi Diuinæ præſcientiæ hominibus factam reuelationem canunt) *nullam impoſuiſſe neceſſitatem Iudæis; neq; Domini prædictionem Iudæ Iſchariotis vllam pereundi neceſſitatem attuliſſe*. Et antea, multo maiori contradictione irretitus ſcripſerat, *Seruitutem peccati tam eſſe voluntariam, vt hi etiam, qui neceſſitate peccant, non tamen peccare compellantur*. Alibi rurſum confitetur: *Reprobos in ſe mortem non accerſere, propterea quod Deus ita præuiderit, & propterea perditionem eorum non eſſe Diuinæ præſcientiæ tribuendam*. Ex his itaque Caluinianis placitis, ſic aduerſus Caluinianam neceſſitatem argumenta conficio & concludo. *Si nulla ſimplex eſt in Deo præſcientia*, nullam certè rebus neceſſitatem illa poteſt adferre: quoniam quod non eſt, alterius libertatem nequit tol- **Confutatio 1.** *Inſt. lib. 2 c. 4. §. 3. In ca. 17. Io. In ca. 12. & 13. Ioan. In cap. 8. Io. In cap. 23. Mat. ver 34.*

lere. Ad hæc, *si Prophetiæ vim pereundi non adferunt hominibus vt pereant*, profectò ipsi in mera puraque libertate arbitrij relinquuntur. Quo igitur fundamento necessitatem absolutam poterit Caluinus stabilire? Nec possunt Caluiniani vllo modo negare, Deum Patrem ab initio Filij sui aduētum in carnem, passionem, & mortem præsciuisse: atqui certissimum est, eam fuisse omninò liberam & voluntariam, alioquin nostra non expiässet delicta, vt ijdem quoque Geneuenses fatentur: manifestum est ergo diuinam voluntatem aut præscientiam nullam imponere rebus necessitatem, aut libertatem contingentiamue causis secundis tollere.

*Cal. in c. 10. Ioan.*

2. Insuper, idem Caluinus alibi non inuitus confitetur, *Iudæorum errorem fuisse voluntarium: neminem cogi ad peccandum homines spontanea malitia reijcere à se gratiam Dei: propria voluntate fugere oblatum sibi lumen: fidem hominis esse voluntariam: impios sponte accersere super se scandala, vt ad Deum vocantem non pergant.* Grauiter rursum conqueritur, *quòd rebus liberis sit imposita necessitas, cùm Deo cultus nullus placeat, nisi spontaneus sit: veramque religionem continere in se volūtariam & liberam reuerentiam, &c.* quæ omnia totidem mihi videntur decreta, ex ore Authoris emissa, contra absolutam, quam fingit & imaginatur necessitatem. DOCT. Repugnat sine dubio, rem aliquam esse liberam ac voluntariam, simulque necessariam. Rursumque, neminem cogi ad peccandum, sed voluntariè libereq; peccare: & cuncta necessitate absoluta euenire. Præterea, si nefarium est rebus liberis necessitatem imponere; quomodo Diuina voluntas, quæ semper recta & iusta est, his necessitatem vimq; adferret? quomodo contingentiam tolleret? Ista certè inter se conuenire non possunt. Sed perge cæteras causas adferre.

*Cal. in c. 5. 8. 10. & 12. 10. In c. 4. Luc. In c. 13 15. et 22. Matth. Inst. li. 1. ca. 2. §. 1.*

3. MINIST. Si omnia propter Dei voluntatem & præscientiam absoluta necessitate fierent, Deusq; omnia (vt & Caluinus confitetur) ab initio præscierit atque voluerit: horrendum dictu! sequeretur Deum sua voluntate & præscientia coëgisse Luciferum, Satanam aliosq; diabolos, vt aduersus propriā Maiestatem suam Diuinam superbia exurgerent: Euam, vt serpenti po-

*Luce 10. Apocal. 12.*

tius

sius quàm sibi crederet: Adamum, vt mandato suo non obtemperaret: Cainum, vt fratricidio sese pollueret: Gigantes, vt viam suã peruerterent: Cam, vt pudenda paterna irrideret: Sodomitas, vt præposteram & execrandam libidinem exercerent: Lot, vt incestu filias virgines comprimeret: Hebræos, vt idolis inseruirent: Dauidem, vt contaminatæ adulterio fœminæ maritum proditoriè necaret: Amnonem, vt sorori vim inferret: Absalonem, vt nouercas incestaret, & patrem ad necem persequeretur: Salomonem, vt idola coleret: Ieroboamum, vt vitulos erigeret & coleret: Achabum & Iezabelem, vt sanctos Prophetas neci traderent: Manassem, aliosq; Iudæos, vt filios suos & filias suas immolarent dæmonijs. Et, vt paucis dicam, consequeretur ex Caluinianis placitis, Deum sanctum & benedictum sua voluntate & præscientia omnem libertatem abstuliſſe, & absolutam necessitatem imposuisse latronibus ad furandum, prædonibus ad grassandum, sicarijs ad homines innocentes iugulandos, parricidis ad commaculandos in sanguine parentum dig tos, meretricibus ac lenonibus ad omnem pruriẽtis libidinis excrcendam illuuiem: quæ vniuersa timentibus Deum tam horrenda sunt, vt etiam arbitrer coram ipsis dæmonibus & inferorum carcere detentis reprobis hominibus execranda videri, quippe qui experiantur cacodęmones peccatorum istorum sibi suasores fuisse, non autem Deum ad hæc patranda sua prænotione compulisse. DOCT. Et certè si voluntas Dei rebus omnibus sit absoluta necessitas, vt hic Geneuanus Apostolus prædicat, cuncta absurda, quæ cõmemorasti rectà consequerentur. Præterea, quòd homines ratione præditi essent ad omnia opera sua velut equi frenis cõstricti, asini clitellarij, porci in luto, canes intercincti, & alia oĩs generis bruta, quę ratione & libertate carentia, statim belluina ignorãtia necessariò rapiuntur, quò furiosus eorum transuehit appetitus. Si has igitur consequutiones execrandas iure arbitramur, quãto magis ministros antecedentium & principiorum authores?

*Genes. 2 4. 6.12.*

*Exod. 32.*

*2 Reg. 11. & 16.*

*3. Reg. 11. & 18.*

*4. Reg. 21.*

*Psalm. 105.*

MINIS. Tertia ratio est, quoniam dicere Deum sua voluntate aut prescientia absolutam necessitatem cun-

ctis à se creatis rebus imponere, est ipsum in idolum impurum, ac etiam omnium, quæ vnq; stultus cōmentus est paganismus, pessimum, transformare. Imò etiam (horret animus referre) deterius Satana, cunctisque nequitiæ eiusdem Angelis: cùm nec idola lignea, lapidea, argētea, aurea, cultores suos cogere possent ad pec-
*In cap. 26. Matth. v. 14.* candum, nec ipsi cacodæmones nos impellant ad quotidiana peccata, vt lubens etiam fatetur Caluinus.
*Gen. 2.* DOCT. Equidem princeps ipse dæmonum Euam quidem solicitauit, vt Deo fidem non haberet; Iobum, vt
*Iob. 2.* desperans blasphemaret; Saulem, vt Dauidem confe-
*1. Reg. 18.* deret; Pseudoprophetas, vt mentirētur; Christum, vt se
*3. Reg. 22.* deorsum mitteret; Petrum, vt magistrum abnegaret: sed
*Matth. 4 & 26.* eos nunquam, aliqua necessitate compulit, nunquam vim intulit, nunquā libertatem sustulit; vt de Deo optimo & sanctissimo blasphemādo dicit vester Caluinus.

§. MIN. Hæ sunt tres rationes, quibus permotus ab illius errore recedo: tuas libentissimè nunc audiam.
DOCT. In primis ad hunc errorem damnandum commoueor, quòd penitus aduersetur cunctis scripturis, quibus manifestatur, Deum etiam post lapsum primi parentis, aliquam hominibus reliquisse rerum electionem, ac animi libertatem. Hæ verò ex parte sunt. Dicit
*Gen. 4.* Dominus ad Cain; *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem malè, peccatum statim in foribus aderit*: Et ad omnem Israelem: *Testes inuoco cælum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & bonum, benedictionem & maledictionem. Elige*
*Deut. 30.* *ergo vitam, vt & tu viuas, & semen tuum.* Prius quoque
*Deut. 26.* eisdem dixerat: *Tu hodie elegisti Dominum Deum, vt per*
*2. Reg. 24.* *vias eius ambules*, &c. Monet quoque Dauidem voce Pro-
*1. Paral. 21.* phetæ, vt ex tribus afflictionum generibus, *quod vellet, eligeret*, quo pro delictis admissis castigaretur. Idem postea profitetur se *elegisse abiectum habitare in domo Dei, magis quàm in tabernaculis peccatorum*. Deniq; ait; *Viā*
*Psal. 118.* *veritatis elegi, quia mādata tua non sum oblitus*. Et filius eius
*Prou. 8.* affirmat, se *doctrinam magis quàm aurum elegisse*. Ac vt boni electionem in hominum potestate relictam, noui etiam Testamenti authoritate confirmemus, Christus Petro & coapostolis potestatem faciens à suo contu-
*Ioan. 6.* bernio exire, vel in eodem perseuerare, dicit eis: *Nūquid*

& vos vultis abire? Laudat Mariam, *quòd bonam partem elegisset.* Et frequenter proclamat: *Si quis vult post me venire*, &c. *Si vis perfectus esse. Si vis ad vitam ingredi. Si quis ad me venit*, &c. An putas potestatem eligendi toties oblatam vanam ac ridiculam esse? MIN. Hominem profectò derideret, qui electionis libertatem verbis quidem offerret, reipsa tamen absolutæ necessitati eum subijceret. Quare video Caluinum planè deludere illos, qui scriptis suis fidem præbent; cum superiora testimonia vera quidē esse non diffitetur, nihilominus voluntatē præscientiamq; Diuinā hominibus ineuitabilē necessitatem adferre simul prędicat. Constat enim cunctis, electionē nullam esse in rebus omninò necessarijs, sed tātū in liberis, & quæ in eligētis potestate sunt cōstitutæ. *Luc. 10. Matth. 6. & 19. Luc. 9. et 14.*

DOCT. Altera causa, cur eundem errorem improbem, ea est præsertim, quòd Deus affirmet sæpissimè, se voluntatem hominis non cogere, sed prorsus liberam relinquere. MIN. Quoniam id nostri pertinaciter negant, plurimùm desidero id à te constanter probari. 6.

DOCT. Id iam supra satis cuici ex omnibus his locis, quibus dicitur, *Si vis, Si quis voluerit*, &c. sed ne vlla tibi superfit dubitatio, en Sapientis clarissima testimonia: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Si volueris mandata conseruare, conseruabunt te. Appositi tibi aquam & ignem; ad quod volueris, appone manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malū; quod placuerit, dabitur illi.* Et ne leuis videatur huius vnius authoritas, ecce Ieremias iussu Domini Ierosolymitis denunciat: *Do coram vobis viam vitæ & mortis.* Et ipse Filius hominis Iudęos increpat, *quòd noluissent ad vocem illis aggregari sub alis suis.* An nō his ostēditur volūtas humana esse prorsus libera, nullaq; vi Diuina aut cęlesti coacta? Rursum, petit ab infirmis, *Si velint curari*: Per Ioannem proclamat, *Qui vult aquam vitæ, veniat, & hauriat gratis.* *Eccli 15. Ieremi. 21. Matth. 23. Ioan 5. Ioan. 7.*

MIN. Non possum satis mirari, quo pacto quis non vereatur asserere, Voluntatem Diuinā rebus inferioribus necessitatem afferre, aut eius præscientiā eos ad quiduis cōpellere, quando apud me diligentius repeto tot diuinas voces contrariā omninò sententiam pronunciare. 7.

DOCT. Audi rursum, quomodo Dauid dicat; *Voluntariè* *Psal. 53.*

2. Mac. 6. 14. Hebr. 10. 1. Petr. 5. *luntariè ſacrificabo tibi*: Eleazar voluntariè pergat ad mortem: Alcimus patrum fidem ſponte violet: Petrus hortetur Eccleſiæ paſtores, *vt non coactè, ſed ſponaneè* commiſſum curæ ſuæ gregem paſcant. MINIST. Audio, & multo magis aduerſus impiam hæreſin inardeſco: ſimulq; neceſſitatem, à Caluino rebus humanis inuectam, ex animo deteſtor. DOC. Conſentit Beato Petro Diuinus Paulus, ſcribens ad Corinthios, Patres 1. Cor. 7. *poteſtatem habere ſuæ voluntatis*, vt filias ſuperadultas viris in matrimonium poſſint tradere, vel non tradere: alios 2. Cor. 9. rurſum laudans, quòd eleemoſynas conferrent *non ex triſtitia, aut ex neceſſitate*: dicit inſuper Philemoni ſe nõ voluiſſe quidpiam agere ſine conſilio ſuo, *vt ne velut ex neceſſitate bonum eius opus eſſet, ſed voluntarium*. Ecce Diuina decreta abſolutæ neceſſitati Caluiniſticæ tam contraria, vt non poſſint cum ea conciliari. Etenim ſi paſtores non coactè vacant ſuo officio, ſi non ex neceſſitate eroganda eſt eleemoſyna, vt præſtantiſſimi docent Apoſtoli: nulla profectò neceſſitate abſoluta homines irretiuntur. Philemon item ſi non neceſſariò, ſed voluntariè Oneſimum ſeruum ſuum in obſequio Pauli relicturus eſſet, Diuina certè voluntas aut præſcientia nullam vim, nullam coactionem rebus adfert. Num hæc tibi ſufficiunt?

MIN. Si quæ adhuc habeas ad tantam impietatem
8. refellendam, lubens audiam. DOCT. Hanc ergo abſoluram hæreticorum neceſſitatem rurſum execror, propter plurima abſurda, & infanda vitia, quæ indè conſequentur, ſi ſemel per orbem admiſſa fuerit. Nam quiſquis ſibi perſuaſerit, res omnes ſic Deum conſtituiſſe, vt ſit impoſſibile aliter contingere, nihil in conſilium aut deliberationem adducet: nec laborabit ſalubria remedia aduerſus famem, peſtem, bellum, mortem, tentationes, prauos naturæ affectus, peccata & ſcelera oĩa ſibi oblata requirere: quippe qui ſibi perſuadeat aduerſus abſolutam neceſſitatem à Dei voluntate impreſſam, nullum eſſe conſilium, nullum perfugium, nullam cautionem. Deinde, Reges, principes, magiſtratus hac imbuti perſuaſione, nihil curabunt leges propietate & iuſtitia ferre, adminiſtrare iura, viduam & pupil-

pupillum de manu opprimentis eripere, noxios minis coercere, aut ſupplicijs iuſtè afficere. Nam ſceleſti omnes vociferabunt ſeſe non ſpontè, ſed Diuina coactos voluntate abſolutaque neceſſitate ſic compulſos ſceleribus dediſſe operam, vt ab his abſtinere nec velint, nec valeant. Tuncque omnes improbi in omnem criminum ſpeciem ſeſe profundent, & ſine timore aut pudore in his vt porci in cœno ſe volutabunt: ſua denique turpiſſima flagitia in voluntatem Diuinam reijcient, dicentes cum ſacrorum veſtrorum Antiſtite, illam cunctis rebus tantam vim adferre, vt eam nullus effugere, nullus ſuperare, nullus vincere poſſit.

Præterea, ſi huiuſmodi neceſſitas ſemel admittatur, 9.
fruſtra monebuntur infideles, Iudæi, Turcæ, vt doctrinam Chriſtianam relicta ſuperſtitione ſua, amplectantur, & ſacro lauacro regenerentur: fruſtra apoſtatæ, vt ad fidem redeant: fruſtra hæretici, vt erroribus extremum vale dicant: fruſtra omnes peccatores, vt vitijs nuntio remiſſo, ad pœnitentiæ fructus, meliorisque vitæ frugem ſeſe conuertant. Quandoquidem & infideles, & Turcæ, & Iudæi, & apoſtatæ, & hæretici, & peccatores, iuxta Caluinum, Diuina voluntate tales ſunt, nec aliter poteſt fieri, *cùm vniuerſa neceſſitate abſoluta fiant, certaque ſtent omnia lege.*

Sequeretur rurſum, neminem Diuinas per ora Pro- 10.
phetarum minas oportere reformidare: neminem exhortationes Apoſtolorum exaudire: neminem parentum monitis aſſurgere: neminem præceptorum decreta curare: neminem aduerſus immiſſa à Deo flagella per pœnitentiam aut preces obuiam pergere: quoniam oĩa iuxta iſtos Seductores, *abſoluta & ineuitabili neceſſitate accidunt*, tamque certa ſtant omnia lege, vt quicquid conſulres, quicquid tentes, quicquid agas, vt Deus ab æterno præſciuit, euenĩet, nec ſententiam vnquã retractabit. Vides itaque Satanã omnis fraudis & mendacij parentem, dũ per veſtros miniſtros fingit gloriæ Diuinæ ſe ſtudio teneri, cum è cõtrario in ſpiritum quendam inexorabilem & implacabilem transformare; quique ſit ipſe tantæ neceſſitatis lege ſubiectus & vinctus, vt aliter nec velit, nec poſſit eſſe. Conſpicis etiam Hugno-

sticorum ducem cuncta, seu Diuina, seu humana sub cuiusdam fati necessitate, longè violentiori ac crudeliori constringere, quàm vnquam improbissimi finxerint ethnici vel athei: quoniam eam vim existimauerunt ex ordine tantùm secundarum causarum procedere: vestri autem Ministri prædicant & scribunt eam venire à Deo; qui vi infinita omnem ordinem, fluxũ, & vim corporum cælestium exsuperat.

II. MIN. Hæc tam clara & certa sunt, vt nemo mentis compos possit contradicere. Sed quoniam Caluinus Augustinum à se stare scribit, tu verò pollicitus es, illum contrariam omnino sententiam tenere te probaturum, fac fidem promissi, & finem huic disputationi apponemus. DOCT. Decem prima capita Libri quinti de ciuitate Dei exeunt in refutanda apertis scripturæ verbis, & exemplis grauissimis, ista fatali necessitate: asserenda verò præscientia Diuina, liberiq; arbitrij hominum cum ipsa cõcordia. Concludit autem his verbis: Nullo modo cogimur, retẽta præscientia Dei, tol-
*Aug. l. 5. c. 9.* lere voluntatis arbitrium; aut Deum (quod nefas est) negare præscium futurorum: sed vtrunque amplectimur, vtrunque fideliter & veraciter confitemur. Illud
*L. 3. de libero arbit. c. 4.* vt bene credamus, hoc vt bene viuamus. Alibi rursum non solum idem confirmat, sed & omnia argumenta quæ contra dirigi possunt, scitè dissoluit: & probat exemplo resurrectionis nostræ quam futuram credimus, prænotione: & rerum præteritarum retenta per nos memoria, quibus nulla imponitur iccirco necessitas; longè maiore ratione Diuinam præscientiam non adimere arbitrij nostri libertatem. Claudit verò disputationem, hac ratione. Sicut non sibi aduersantur hæc duo, vt tu præscientia tua noueris (peccatum) quod alius sua voluntate facturus est: ita Deus neminem ad peccandum cogens, præuidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. Et sicut memoria tua non cogit facta esse quæ præterierunt: sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt. Et alio loco vul-
*Lib. de præd. & grat. c. 15.* gatam hæreticorum obiectionem ita soluit: Si dicitur Pharaonem non potuisse mutari, quia eum præsciue-
*Exod. 4. 7.* rat Deus non mutandum. Respondetur, Dei præscientiam

tiam non cogere hominem vt talis sit, qualem præscivit Deus: sed præscire talem futurum qualis futurus est, quamuis cum non sic fecerit Deus. MIN. Hæc ex Augustino satis superque ostendunt, quàm longè discesserit à Caluiniana necessitate; contra verò semper asseruerit voluntatem aut præscientiam Diuinam concinnè stare cum rerum contingentia atque libertate.

DOCT. Qualem existimas virum fuisse Diuum Ambrosium? MIN. Cum Philippo Melanthone pronuncio illū fuisse, *verum veræ Ecclesiæ membrum.* DOC. Damnans & ipse fanaticam hæresim de qua disputamus, ait: Vtique præsciebat Deus ad quem finem insanientis (Caini) esset progressura conceptio. Neque ex eo quod falli scientia Diuina non poterat, necessitate peccandi vrgebatur facinus voluntatis, à cuius vtique intentione atque effectu potuit incolumitas Abel illæsa defendi, nisi placuisset Deo, cum magna laude patientiæ suæ, vt temporalis furor impij fieret perpetuus honor iusti. 12. *In c.14. Rō. L.2.de voca. gentiū,c.4.*

De pietate verò & summa Hieronymi doctrina quid censes? MIN. Audiui Bernardum de illo & Augustino frequenter dixisse: Non facilè ab his duabus Ecclesiæ firmissimis columnis discedo. Hoc idem à me tibi responsum puta. DOCT. Bene habet. Ille ergo libertatem arbitrij humani nullo pacto tolli per Diuinam voluntatem aut præscientiam non perfunctoriè docet, sed multis sacrarum literarum testimonijs comprobat, ijs videlicet quibus hæ dubitandi particulæ *Si forsitan, si fortè, fortassis*, reperiuntur; vt, *Si forsitan audiant & conuertantur*: *Forsitan verebuntur filium meum*: *Si fortè Deus recogitet de nobis & nō pereamus*: *forsitan ignoscet Deus*: *Ne fortè nec tibi parcat*: *Si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Verbum ambiguum *forsitan* (scribit ille) maiestati Domini non potest conuenire: sed nostro loquitur affectu, vt liberum hominum seruetur arbitrium, ne ex præscientia eius quasi necessitate vel facere quid, vel non facere cogatur. Non enim ex eo quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est. Deus nouit quasi præscius futurorum: & tamen iuxta Ieremiam, & si mala prædixerit Dominus, & populus 13. *Hiero. com. in c.25. Iere. & in c.2. Ezechiel. Iere.25. Luc.20. Ion.1.3. Dan.4. Rom.11. Act.8.*

egerit

egerit pœnitentiam, quod & ipſe acturus ſit pœnitentiam, ſuper his quæ facere comminatus eſt. Et ſi proſpera pollicitus fuerit, & egerit populus negligenter, mutet Deus ſententiam, & pro bonis mala inferat.

*Com in c 4. Daniel.* Hactenus ille, qui & alio rurſum loco ſibi obijcit, vt ſoluat: Si Daniel Nabuchodonozori prædixit ſententiam Dei quæ non poteſt immutari; quomodo hortatur cum ad eleemoſynas, vt Dei ſententia cõmutetur?

*Iſa 38.* Facilè ſoluitur Ezechiæ regis exemplo, quem Iſaias dixerat eſſe moriturum: & Niniuitarũ, quibus dictum

*Ion 3.* eſt, *Niniue ſubuertetur*: & tamen ad preces Ezechiæ & Niniue Dei ſententia commutata eſt: non vanitate iudicij, ſed eorum conuerſione qui meruêre indulgentiam. MINIST. Penes me trium ſanctiſſ. antiquiſſ. & ſapientiſſimorum Patrum teſtimonia tantundem ſunt ac trecentorum. Docent enim ſatis perpetuam Chriſtianæ Eccleſiæ fidem eſſe, contingentiam in rebus, & arbitrij libertatem in hominibus etiã poſt lapſum remanere, nihil obſtante Diuina præſcientia: ac proinde detectum errorem Calumnicum tecum damno ac reſpuo. Iam de alio tractemus.

## *PROVIDENTIAM AC SOLICITVdinem Diuinam etiã in improbos ac immorigeros homines extendi: contra trigeſimam ſeptimam Hugnoſticorum hæreſim.*

DOCTOR.

DIcamus ergo de prouidentia Dei noſtri, quam veſtri æque apertè ac nefariè negãt, in omnibus locis vbi cõuenire ſolẽt. MIN. Illud falſum eſt. DOCT. Imò verum, & cunctis compertum. MIN. Nequaquam. DOCT. Quotidie id fit in ore & oculis omnũ veſtrum. MIN. Impudens eſt calumnia, quam melioribus vobis obiectare ſoletis. DOCT. Placidè ſedateque obſecro Domine, agamus: & niſi probauero, calumniator habear, & planus improbiſſimus: ſin luce meridiana clarius id euicerim, errorem mecum refelles & deteſtaberis? MIN. Imò vt execrandum athe-

atheiſmum animus reijciet. DOCT. Agnoſcis nos omnes filios Adæ, verè peccatores & reos eſſe in conſpectu Dei? MIN. Hæc docent omnes ferè veteris & noui fœderis paginæ, & conuincunt propriarum conſcientiarum teſtimonia. Nec dubitamus omnes infideles, omnes Iudæos, omnes Mcometanos, omnes à ſacris Chriſtianis alienos, eſſe propter infidelitatem & peccata cõtinua, velut impuros canes coram Domino. DOCT. Rectè ac merito id facitis. Sed quam opinionem, quæſo te, Pontifex veſter Caluinus habet, de his omnibus qui Catholicam religionem profitentur? MIN. Non feras obſecro te, iniquo animo, ſi apertè dixero. Scribit, *vos eſſe hoſtes pluſquam mortales Chriſti, in cuius vultum conſpueretis, quem lento igne vſtularetis, ſi & in Iobiſcum adhuc viueret: & Petrum in fruſta diſcerperetis, Paulumque lapidibus obrueretis.* DOCT. Sua igitur innata modeſtia, & manſuetudine Euangelica de nobis admodum malè iudicat. Sed quid de vobis reformatis, ab veteris matrum ſanctificatis, nouis huius ſeculi Apoſtolis & Euangeliſtis, Chriſti miniſtris, Dominique fraterculis exiſtimat? MIN. Nec iſtud te celabo. Scribit de ſeipſo, comminiſtris, prædicantibus, diaconibus, antiquis, ſuperintendentibus, & doctrinæ ſuæ ſequacibus. *Quòd Chriſtum non aſpicimus niſi carneis oculis: ita fit vt nihil in ipſo magnificum nobis appareat. Vitioſo enim noſtro ſenſu quicquid in ipſo eſt, eiusque doctrina peruertimus: adeò ſiniſtri ſumus interpretes. Deinde, eo ipſo non contenti, multa falſa arripimus que Euangelij contemptum pareant.* In c. 6. Ioan. verſ. 41. DOCT. Quanto ergo cum periculo, imò & præſenti animarum diſcrimine, certiſſimaque perditione ſalutem ſuam huiuſmodi præconibus ter quaterque miſeri homines committunt? MIN. Sine, & his audies grauiora de nobis, cùm dicit. *Natura certè nihil minus quàm aues ſumus: quin potius omnes naſcimur vrſi & leones, donec Spiritus Chriſti nos cicuret, & ex feris ac indomitis beſtijs manſuetas pecudes formet.* In c. 10. Ioã. ver. 8: & in c. 14. & 15. Denique, *experientiam ipſam docere, nos eſſe à Deo penitus auerſos, eius odio plenos & infectos: lucem Euangelij obſcurare noſtris peruerſis inuentionibus.* Hæc ille de nobis. DOCT. Certè, vt video, hac in re propheta eſt. Sed quid in publicis precibus veſtris,

dum

dum vel ad Cœnam, vel ad quotidianas concione conuenitis, de peccatis vestris seriò cõfitemini? MIN. Confitemur grauiter & affirmatè, *nos esse peccatores, miseros, in peccato & corruptione natos, in malum propensos, ad nullum bonum aptos, qui perpetuò Diuina infringimus præcepta, indignos qui vel cælum ipsum intueamur.* DOCT. Equidem, si vera dicitis, vt hæc facilè credo: nobis longè deteriores & nequiores esse vos cõspicio. MIN. Quorsum verò hæc disquisitio? quorsum? DOCT. Sequitur ex præsenti deductione, *omnes homines malè agere.* Atqui in omnibus vestris cœtibus cantatis & psallitis Gallicè, *Dieu n'a ne soin ne cure des mal viuans,* quòd Latinè est: *Deus nullam habet solicitudinem aut curam eorum qui malè viuunt*: ex his igitur apertissimè & certissimè concludo, vos Diuinam prouidentiam & curam erga improbè viuentes, id est, vniuersos filios hominum, nefariè tollere & reijcere.

*In vers. vlt. Psal. 1.*

**Confutatio 1.** MIN. Heu me miserum, qui toties istud audierim, toties legerim, toties cecinerim, nec hucusque tamen animaduerterim tam nefariam culpam ac impietatem in nostram Ecclesiam inualuisse. Miror Bezam, qui ducibus nostris Geneuanis præest; quique toties Psalmos perlegit & emendauit, locoque ceruæ detonse, timidum finxit strepere ceruum; & in versibus Latinis, suam improbauit Gallicam versionem, cur tantam impietatem non correxerit. DOCT. Tantum abest vt voluerit vestrum Marotum in hoc emendare, vt eum, atque hoc ipsum eiusdem inuentum, multis laudet atque approbet, scribendo: *Clemens Marotus citra vllam linguarum vel artium cognitionem, vtilissimam, æternaq; memoria dignam Ecclesijs nauauit operam: quamuis mores parum Christianos, ne in extrema quidem ætate emendarit.*

*Beza in Icon.*

MIN. Dicant garriantque cæteri Ministri & Prædicantes quicquid voluerint: ego talem impietatem perpetuò diligenterq; detestabor. Primum, quòd errorem impium arrogent sanctissimo Prophetæ Dauidi, qui nunquam de illo ne minimum cogitauit. Neque enim in Psalmorum codicibus siue Hebræis, siue Græcis, siue Latinis, id potest reperiri. Maximum est autem sacrilegium verbis Diuinis aliquid addere, imminuére, aut rebus contrarijs illa corrumpere. Dein-

*Deut. 4. Apoc. 22.*

Deinde, noſter Caluinus, huiuſmodi ſententiam ve- 2.
hementer improbat, *vt toto mundo execrandam ac exter-* *Lib. adu. Li-*
*minandam, quoniam impium Epicureiſmum redoleat, & ſce-* *bert.*
*leratum Libertiniſmum conſtituat.* DOCT. Cur ergo verba illa approbans, eadem iuſſit publicè decantare Genuę, Lauſanæ, Nouocaſtro, & in ſingulis de lingua Gallica veſtris ſynagogis? Nonne hoc eſt ſpõtaneum ſibi exitium accerſere: & ex animi ſententia, in eandem ruinam alios ſecum quamplurimos pertrahere? Quod ſi *Sap. 3.*
tam obuium manifeſtumq; errorem non viderint, certè excæcauit eos malitia eorum.

MIN. Poſtremò, ita palam pertinaciterque negare 3.
diuinã prouidentiam in omnes filios hominum diffuſam & intentam eſſe, idem eſt ac dicere, Deum non eſſe Creatorem, conſeruatorem, redemptorem, ac iudicem eorum. Nam ea ſunt præcipua Diuinæ prouidentiæ & ſolicitudinis effecta: quæ qui Deo detrahit, negat omnino Deum verum eſſe. Ea propter illam reprobo cantionem, non ſolum vt Maroticum & veneficum carmen, ſed vt & diabolicum inuentum, quo Deus præcipuis titulis ac ornamentis gloriæ ſuæ exuitur & ſpoliatur. Ecce quàm ingenuè mihi patefactum errorem coarguo & damno, veritatem autem ſynceram toto pectore amplector. DOCT. Vir bonus & ſimplicis veritatis amicus, minimeque fallax es.

Et ſanè huius impietatis vel ſolùm detecta origo, v- 4.
niuerſos deberet ab ea reuocare: vtpotè, quòd a deſpe- *Tharg. in 3.*
rato Caino profecta eſt, qui primus, vt conſtans eſt ve- *cap. Gen.*
teſum Hebræorum ſententia, auſus eſt negare, bonos & malos cura & ſolicitudine diuina gubernari. Huic, iuxta Annianum Beroſum Chaldæum, ſucceſſerunt *Lib. 1. antiq.*
impij ac ſuperbi Gigãtes, ad quorum vlciſcendas bla- *Sap. 14.*
ſphemias immiſſum eſt diluuium. Cham Eſenua, id *Eccl 16.*
eſt, turpis & impudens poſt diluuiũ impietatem illam *Beroſ. lib. 3.*
in ſuis tribubus redintegrauit, & longè lateq; propaga- 4. 5.
uit. Contra huius verò aſſertores, Iob, Dauid, Salomon ſæpiſſimè diſſerunt, & Dei omnipotentis vindictã ſtiagitãt. Tum inter Græcos, Epicurus, Protagoras, Diago- *Lact. l. de ira*
ras, Theodorus, & plurimi alij ſuis libellis ac orationi- *Dei cap. 9.*
bus eandem deinceps impietatem vſque ad tempora *Lact. Valer.*

Maroti, *Max.*

Maroti, Bezæ, Caluini, veſtrorumque Hugnoſticorum illabi procurarunt: qui talium auorum pudore non exterriti, nec iudicij diuini timore perculſi, eandem nunc quoque ſuauiſſimè cantillant quaſi verbum diuinum, licet reuera ſit excogitatum à Satana mendacium. MIN. Ah, iam conſpicio, hunc ſalutis noſtræ & diuini cultus hoſtem infeſtiſſimum, Maroti cantilenis, Caluini libris, & Miniſtrorum fucatis orationibus, veluti laruis abuti ad illudendum huic mundo, vt eius amatores in pudendos atheiſmos inducat. Horumque imitatores poſſunt meritò Cainiſtæ, Gigantiſtæ, & Chamiſtæ, quàm Caluiniſtæ verius cognominari. Sunt enim pro nouis Euangeliſtis, & fœcibus Pontificijs (vt aiunt) expurgatis ac reformatis, planè Epicurei, Libertini, & Athei, vt proprijs ipſorum cantionibus comprobatur.

5. DOCT. Præterea, ſi Deus *improborum & malè agentium nulla cura tangeretur*, vt cantitant veſtri, nec Angelos peccatores ex cælo detruſiſſet in abyſſum, nec primos parentes paradiſo excluſiſſet, nec Cainum de fratricidio obiurgaſſet, nec mundum corruptum diluuio merſiſſet, nec Cham in arca cum patre ſeruaſſet, nec Segor in gratiam Lot peperciſſet, nec filios Iacob inedia maceraſſet, nec Aegyptios decem plagis percuſſiſſet, nec Iſraelitas pro delictis tot preſſiſſet captiuitatibus: cùm omnes illi malè egerint, & à timore cultuque Diuino procul aliquãdo receſſerint. Sed contra, manifeſtè declarauit ſe eorum qui malè agunt curam retinere, quando Moſem, Aaronem, & Mariam germanam eorum, pro delictis affecit ſupplicijs: & Samſonem ob intemperantiam, Saulem ob hypocriſim, Heli quòd filios impenſius amaret, Dauidem propter adulterium & homicidium, Salomonem ob laſciuiam & idololatriam, Ieroboam ob apoſtaſiam, Ionam ob perduellionem, varijs, iuſtis tamen inflictis cladibus & tormentis ad meliorem mentem ſtuduit reuocare.

*Num.* 12. 14. *Iudic.* 16. 1. *Re.* 4. & 15 2. *Reg.* 12. 3. *Re.* 11. & 13 *Ion.* 1. & 2.

MIN. Hæc certè ac innumera alia Diuinæ iuſtitiæ opera, quibus in hoc ſeculo, vel in alio in delinquentes animaduertit, ſatis patefaciunt Deum malè viuentes non penitus negligere, ſed pluſquam paterna cura & ſolici-

ſolicitudine viſitare, atque vt ad ſe redeant, nunc proſperis, nunc aduerſis maximè curare & admonere.

DOCT. Rurſum, quando veſtri grauiter & affirmatè cantitant, *Deum nullam curam habere malè viuẽtium*, negant Deum Prophetis ſuis demandaſſe, vt humanas reſpublicas pro peccatis increparent, & futuras calamitates prædicerẽt, quæ illis ſuperuenirẽt, niſi à ſeipſis per maturam pœnitentiam anteuerterent illius indignationem. Negant quoque Apoſtolos miſſos eſſe ad prædicandum gentibus Euangelium: negant Filium Dei veniſſe vt mundum ſaluum faceret: Samaritanam perductam ad pietatem, mulierem peccatricem, adulteram, Petrum, Thomam, Zachæum, Matthæum, latronem, Paulum, in gratiã fuiſſe receptos à Domino. Quinétiam negant eum eſſe paſtorem illum, qui aberrantem ouem quæſiuit, patrem qui filium prodigum redeuntem admiſit, quique venerit *non propter iuſtos, ſed vt peccatores ad pœnitentiam vocaret*. Negant eum pro tortoribus ſuis oraſſe de cruce, imò & pro peccatoribus crucifixum, paſſum, & mortuũ eſſe. MIN. Certè quidem Filius Dei vniuerſa hæc nõ feciſſet, niſi malè viuẽtium & communem & particularem habuiſſet ſolicitudinem: *nec ſolem ſuum oriri permitteret ſuper bonos & malos, nec plueret ſuper iuſtos & iniuſtos*. Atque iſta fateri nihil aliud eſt, quàm vniuerſam ſcripturam contemnere & abnegare, miſericordiæ Diuinæ ſpem extinguere, vſum Sacramentorum labefactare, verbi Diuini miniſterium tollere, legum & magiſtratuum imminuere maieſtatem, atque religionis loco horribilem confuſionem & impurum atheiſmum inter homines diſſeminare & propagare. Verùm his omiſſis, ad alia properemus. 6.

Matth. 2. Ioan. 4. & 8. Luc. 15. Matth. 6.

## SOLA DEI PERMISSIONE, NON operatione, hominum cacodæmonumq; peccata fieri: aduerſus 38. hæreſim.

DOCTOR.

DIscutiamus igitur quæ credēda sunt de simplici Dei Permissione circa peccata tā hominū, quàm diabolorum. Hanc enim Caluinus non tantùm negat, sed & suo more cum multis probris reijcit. MIN. Nihil ei, quæso, imponas, sed magis verba eius refer.

*Cap. 8. §. 1. & 2.* DOCT. In primo Instit. libro, vocat veterum ac recentium omnium sanctorum Theologorum distinctionem, inter opus atque permissionem Dei, vt ad maledicendum disertissimus est, *mendacium, tergiuersationem, effugium repudiandum, figmentum euanidum, & ridiculum, nimis friuolam solutionem, cauillum insulsum dilutum & insipidum, atque dilutius quàm subsistere valeat.* *L. 2. c. 4. §. 3. 4. & 5.* Atque hæc est hominis modestia, si superis placet, Euangelica. Imò hæc, vt Deum optimum maximum, authorem omnium peccatorum, atque scelerum nefariè confingat, aduersus Prophetas, Apostolos, Martyres, & Sanctos omnes Diabolica conuitia. In librum Exodi, eos qui permissionem istam asserunt, nominat *frigidos & vanos speculatores.* Persequitur eandem petulantis linguæ procacitatem Commentarijs in cap. 1. ad Romanos: in quartum primæ ad Corinthios: & in primum epistolæ ad Ephesios. Sed in libro de æterna Prædestinatione, seipsum maledicendo superans, compilat omnes iniurias, quas sedentes in limine tabernæ solent eructare mulierculæ, & omnem inflat eloquentiam ad imminuendam & lacerandam istam, de qua dicturi sumus, Dei permissionem. MIN. Recordor iam, in his libris ea me legisse omnia, sed ampullæ ac sesquipedalia verba eius, coniuncta cum affectibus, quibus tum laborabam, ne propius de his cogitarem prohibuerunt, & hoc in eodem cœno me diutius retinuerunt. Sed præter hæc, memini Bezam Libro contra Castalionem scripsisse: *Si est in Deo quædam simplex peccatorum permissio, non est Deus omnipotens: sed Deus Epicuri otiosus, ignauus, & improuidus.* Atq; in hanc sententiam pedibus & manibus descendunt Bucerus, Vermilius, & huius metalli omnes.

**Confutatio 1.** Ego autem sententiam hanc non sequor: sed firmissimè credo, Deum sua voluntate improbis seu homini-

minibus, seu diabolis ad peccandum tantùm frena laxare, permittendo, vt pro sua voluntate bonum aut malum seligant, amplectentur, atque persequantur; in quantum eos non impedit efficaciter quod volunt facere. Nam Caluinus seipsum alibi coarguens, Permissionis Diuinæ vocem admittit, & doctrinam approbat, cùm scribit, *Tentationes, quæ nobis adueniunt, non esse fortuitas, nec Satanæ voluntate commotas, sine permissione Dei. Et quod Deus verbum à quibusdam subtrahit, permittendo eos perire. Milites à Iuda instructos, permissione Patris, comprehendisse Filium. Iudæos nunquam clamaturos, Sanguis eius super nos & super filios nostros, nisi Deus permisisset. Diabolum exercere in mundo regnum suum tyrannicum permissione Dei. Iudæos non potuisse Dominum morti tradere, nisi permissum fuisset.* Ecce sex locis diuersis, Permissionem Diuinam prædicat, astruit, celebrat. Non fuit igitur mentis & rationis compos, sed à malo quodam genio incitatus, quando eandem tot probris laceratam abnegauit atque reiecit. Quod vt clarius cunctis patefaciam, ecce idem rursum Caluinus libro secundo Instit. *laudat veterum Patrum modestiam, quòd cæcitatem & obstinationem improborum ad solam permissionem Diuinam, non ad operationem retulerunt, vt nullam relinquerent occasionem de operibus Dei malè sentiendi, aut irreuerenter loquendi.* DOCT. Non potest ergo non esse detestanda & damnanda eius audacia & impudentia, cùm simplicem abnegat Permissionem Diuinam circa hominum scelera, vt horum Deum authorem faciat. *In Matt. c. 4. 8. 9. 26. 27. In Ioã. c. 10. 14. Cap. 4. §. 3.*

MINIST. Scripsit etiam Beza in Aphorismis: *Non reijcimus vocem permissionis aut concessionis: & nunquam nobis in mentem venit dicere, Deum operari in impijs.* Cùm itaque sic conspiciam præcipuos synagogæ nostræ Rabbinos, relicta tandem superiore aduersus Permissionem Dei insania, ad mentem & Catholicam de illa sententiam redire: malo semper in hac credenda & prædicanda vobiscum permanere. Audiam te de ea nunc differentem. 2. *Aphor. 29.*

DOCT. Piorum omniũ conscientiæ in hac re tutò conquiescere debent, quòd cùm Deus optimus & maximus 3.

ximus nec ſuaſor, nec author ſit peccatorum, quæ ab hominibus aut diabolis admittuntur, ea tantummodò ac ſimpliciter ab his fieri permittat. Iſta enim de ſimplici permiſſione & conceſſione Diuina in ſcelerum fordibus committendis, tradita à ſanctis Patribus doctrina non eſt cum tot blaſphemijs & furoribus repudianda: ſed vt ſancta & neceſſaria recipienda, & ſuis laudibus exornanda. Etenim magnus ille Auguſtinus de Iudæ proditoris peccato differens, prohibet omnino dicere aut ſentire, Deum ad tam horrendum facinus illum prædeſtinaſſe, vel impuliſſe; ſed duntaxat præſciuiſſe, & iuſto iudicio ſuo tradens eundem in reprobum ſenſum, vt impleret permiſiſſe. Et alibi ſcribit, Deum altiſſimo conſilio ſuo malle bona de malis elicere, quàm nulla mala permittere. Rurſumque ait: Nihil fit viſibiliter & ſenſibiliter, quod non de inuiſibili & inſenſibili ſummi Imperatoris aula, aut iubeatur, aut permittatur, ſecundum ineffabilem iuſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum, in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam republica. Idem rurſum L.7.ciuit. c.30. Sic Deus adminiſtrat omnia quæ creauit, vt etiam ipſa proprios exercere, & agere motus ſinat. Et lib. de Diuinatione dæmonum, c.2. poſt multam de hac permiſſione diſquiſitionem concludit. Vnde colligitur quod Deus aliquid & improbet iuſtus, & tamen permittit omnipotens. Et conceſſum eſt, non ideo putandum aliquid iuſtè ac bene fieri, quia hæc omnipotens, quamuis ei diſpliceant, fieri tamen ſinit, &c. Et in Enchiridio, cap.96. Non fit aliquid niſi Omnipotens fieri velit, vel ſinendo vt fiat, vel ipſe faciendo. Nec dubitandum eſt, Deum facere bene, etiam ſinendo fieri quæcunque fiunt malè. Et cap.101. Nec ſineret bonus fieri malè, niſi omnipotens etiam de malo poſſet facere bene. Hæc ille, ex quibus audis, Dei permiſſione ſola, non autem ordinatione, mala fieri.

*L.6. Hypognoſtic.*

*Enchir.c 27.*

*L. Sent. ſent. 58.*

4 MIN. Hîc fige gradum. Non eſt enim neceſſe vt amplioribus Patrum teſtimonijs Diuinam aſſeras Permiſſionem, cùm audieris Caluinum ea de re vltrò laudantem veterũ modeſtiam & reuerentiam erga Deum,

ſed

sed tantùm vt hanc Sanctorũ doctrinam sacris scripturis innixam stabilitamque esse confirmes. DOCT. Perspicuum & firmum imprimis ex Euãgelio testimonium est, cùm legio dæmonum ex corpore obsessi hominis exire compelleretur à Domino, *rogabat eum*, inquit Lucas, *vt permitteret eis in porcos ingredi. Et permisit illis.* Audis simplicem peti indulgentiam atque permissionem? Vides simplicem concessionem dæmonibus, vt porcorum damno dominos affligerent, datam esse? Attende & ex alijs scripturis alteram. Satanas expetijt nũc Iobi facultates perdere, mox & ipsius personã: *Ecce* (ait Dominus) *vniuersa quæ habet, in manu tua sunt*: & paulò post: *Ecce in manu tua est*. Non audis Deum præcipientem Satanæ, vt sancto viro noceat: multoque minus Deum furoris Satanici esse coadiutorem aut cooperatorẽ: sed tantùm simpliciter permittere, vt rabiẽ suam in facultates, liberos, corpusq; iusti viri hostis exerceat. Quod & per alteram scripturã Spiritus sanctus corroborat, dicens de Tobia oculorum cæcitate percusso: *Hanc tentationem ideo permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplũ patientiæ eius, sicut & sancti Iob.* Beata quoque Iudith rediens ex castris Assyriorum palam protestatur, *non permisisse Dominum* suam castitatem aut ab Holoferne, aut à satellitibus ac ministris eius vllo modo coinquinari. Eiusdem etiam simplici permissioni adscribitur concessio libelli repudij, quo Moyses certas ob causas Iudæis copiam fecit diuortij. An non ergo Patrum veterum doctrina de simplici permissione, multis ijsdemque apertissimis scripturis sacris innititur: & Caluini eam probris lacerantis & reijcientis impudentia satis damnatur?

*Iob 1. 2.* *Tob. 2.* *Iudith. 13.* *Matth. 19.* *Mar. 10.*

Sed aures rursum Deo, de se, & peccantibus filijs hominum personanti admoue. *Non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi.* En peccata & scelera, quibus seipsos addicebant: audi simplicem Dei permissionem. *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorũ, ibunt in adinuentionibus suis.* Et per Oseam dicit: *Non visitabo super filias vestras cùm fornicatæ fuerint, & super sponsas vestras cùm adulterauerint.* Iterumque minatur: *Oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego.* Hæc

5.

*Psal. 80.* *Osee 4.*

enim omnia satis declarant Deum peccata hominum simpliciter tantùm permittere, non autem decernere, aut in his cooperari. MIN. Id certum est: quoniam cùm peccata omnino prohibeat & damnet, ea nec decernit, nec in his cooperatur: cùm etiam ea fieri non efficaciter impedit, superest vt duntaxat illa simpliciter euenire permittat.

6. DOCT. Iustissima hæc atque simplicissima Dei permissio adhuc confirmatur omnibus sacrorum librorum verbis, in quibus laudatur admiranda Domini erga peccatores longanimitas, atque singularis patientia: veluti cùm dicitur; *Dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam. Sustinet in multa patientia vasa iræ aptata in interitum. Peccator centies facit malum, & per patientiam sustentatur.* Quo pacto autem isthæc fierent, nisi Deus plusquam paterna indulgentia & dissimulatione ad tempus eos sineret peccatis sese oblectare, vt vel serò ad pœnitentiam redirent, vel saltem iustissima pœna tandem plecterentur? *Ignoras*, ait Apostolus, *quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? An diuitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis eius contemnis? Secundum duritiem & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij.*

Sap. 11. Rom. 9. Eccles. 8. Rom. 2.

7. Idem Apostolus exemplum est, comprobatæ in seipso patientiæ Diuinæ, quem post cædes Christianorum & alia scelera, Deus tandem ad se vocauit, vt esset exemplum omnibus qui crediturierant. Scribit etiam Petrus: *Non tardat Dominus promissionem suam, vt quidam existimant: sed patienter agit propter electos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Ob eam causam Moyses, Dauid, Ioel, Ionas, alijque Prophetæ, appellant Dominum, Deum patientiæ, longanimitatis, misericordiarum & miserationum multarum. Alibi quoque nominatur Deus clemens, misericors, indulgens, facilis, mansuetus, amabilis, desiderabilis, sponsus animarum nostrarum, auxilium, refugium, consolator, tardus ad iram, redemptor, saluator, salus ipsa, propitius, pastor, pater humanissimus, &c. quibus Diuinis dulcissimisque titulis, illum crudeliter admodum hæretici spoliant, sanctissimam eius permis-

1. Tim. 1. 2. Pet. 3. Exod. 32. 34. Psal. 85. & 144. Ioel. 2. Ion. 4.

sionem,

sionem, qua in peccantes vtitur, improbissimè demordendo & calumniando. MIN. Aliam discutiamus quæstionem: huic enim abundè satisfeciſti.

## *IN DEO SIMPLEX EST PRAESCIENTIA de peccatis futuris, non ordinatio vel decretum: aduersus 39. hæresim.*

DOCTOR.

DIsseramus ergo de simplici æternaque Dei nostri quantum ad hominum vel cacodæmonum attinet scelera, PRAESCIENTIA seu prænotione: huius enim & nomen & significationem vester Hæresiarcha supra modum insolenter deridet, scribens: *Nimis insciè nugantur multi de nuda Præscientia.* *Inst l.1.c.18.* Alibi nomen illud semel ac iterum reijciens, simulque magnum illum Augustinum superstitionis coar- §.4. guens, quòd Pharaonis indurationem & excæcationem ad simplicem Dei permissionem & prescientiam spectare piè docuerit; subijcit: *Sed istas argutias non recipiunt Scripturæ locutiones. Id quale sit nequaquam explicatur, si confugitur ad Præscientiam aut permissionem.* Eandem rursus lacerans Diuinam perfectionem ait: *Frustra de Præscientia lis mouetur, vbi constat Dei ordinatione & nutu omnia* (etiam mala culpæ, nam de his præsertim nunc agitur) *euenire.* Hæc ille, de quibus tuum postulo iudicium. *L.2.c.4. §.3.* *Lib.3. c.24. §.6.*

MINIS. Iudico illum turpiter in hac re secum pugnare, vt mendax; seque proprio iudicio condemnare, vt hæreticus. Aliis enim in locis asserit, *Deum ab æterno præuidisse lapsum primi hominis, & in hoc totius posteritatis ruinam.* Et in Institutione scribit, *Creãdo hominem Deum nouisse, omnia quæ ei ventura essent.* Et postea: *Sicut ad sapientiam Dei pertinet, omnium præscientia, sic ad potestatem illius spectat cuncta manu sua regere ac moderari.* His etenim verbis primorum parentum peccati, quòd sanè & graue & multiplex fuit, Deum præsciũ fuisse; quinetiam Cõfutatio. 1. *L. aduer. Pighium.* *L. Inst. 3. c. 21 §.4: & c.23. §.7.*

rerum omnium, etiam iniquarum & iniuſtarum, ſcientiam eum nullatenus fugere, vltrò confitetur. Quod autem omnino ſimplex ſit huiuſmodi præſcientia Diuina, ex eodem probatur, ſcribente, *Perditionem impiorum non eſſe tribuendam Diuinæ Præſcientiæ: illosque non modò eſſe planè furioſos, rabidos & prodigioſos homines; verùm & belluas, & peſtes deteſtabiles, & totius religionis hoſtes, qui Deum authorem peccatorum eſſe vel cogitarent vel dicerent.* Ergo eorum, quæ prænouit Deus, & tamen non eſt author, ſimplex tantùm eſt præſcientia ſeu prænotio.

*In Matt.c.6. v.13: & c.23 v.34.*

*L.cōt. Liber. & Anabapt.*

2. DOCT. Mecum etiam perpendas, quæſo te, Chriſtum æternum Dei Filium perfectè nouiſſe ab initio quis erat eum traditurus: ſæpiusque Apoſtolis prædixiſſe, quòd vnus ex duodecim eum traderet: quinetiam eundem proditorem nō ſemel antea denotaſſe & monuiſſe: atque idcirco futuram miſeri huius hominis apoſtaſiam, auaritiam, proditionem, malitiam, deſperationem denique illi notiſſimam fuiſſe. Quod autem ſimplex fuit hæc præſcientia, vel ex eo patet, quòd nec Caluinus, nec Beza, nec vllus (quod ſciā) Hugnoſticus, palam profiteri auderet, eundem Filium Dei authorem fuiſſe tam execrabilium illorum Iudæ criminum, cùm ab hac blaſphemia etiā inferi abhorrerent: igitur futura ſcelera Deus tantum ſimpliciter prænouit, non decernit, non operatur.

*Matth.26. Mar.3. Ioā. 6.12.13. Luc.22. Mar.14.*

3. Præterea, Petro prædicens, *quod eum eſſet ter negaturus antequam gallus bis vocem emiſiſſet*, eius nefariæ negationis & defectionis planè prę ſcius erat. Quis verò tam vecors aut furioſus, vt auderet affirmare, Chriſtum diſcipulum ſuum ad tam execranda facinora incitaſſe aut compuliſſe? Aut (quod etiam deterius eſt) eadem in Petro operatum eſſe? fuit igitur Præſcientia atque ſimplex in Chriſto peccatorū Petri prædictio, non decretum, non impulſio, non cooperatio. Ad id etiam pertinet, quod vniuerſis Apoſtolis prædixit, quod eſſent *in ipſo ſcandalū paſſuri*; quod ab impijs eſſet *capiendus, vinciendus, accuſandus, illudendus, flagellandus, conſpuendus, in crucem affigendus, & occidendus*: quæ non niſi cum plurimis & grauiſſimis Authorum peccatis fieri poterant.

*Matth.26. Luc.22.*

*Mar.14. Matt.17.20. Mar.10. Luc.18.*

rant. Horum verò criminum Iudaicorum, quæ pro certo prænouerat, quis Deum impulsorem & factorem ausit dicere, vel cogitare? Est itaque in Domino Deo nostro, eiusdemque Filio, ac Spiritu sancto, simplex tantùm futurorum peccatorum præscientia, non ordinatio aut cooperatio.

Prænuntians quoque de Paulo, quòd *multa esset pro nomine suo passurus*, Petro quòd *alius eum cingeret & duceret quò non vellet*, Iacobo & Ioanni quòd *calicem suum essent bibituri*, Apostolis omnib. quòd è Synagogis expellendi, flagris, lapidibus, aliisque tormentorum speciebus afficiendi, variis & grauibus mortibus tollendi è mundo; & persecutorum ac infidelium immanem crudelitatem futuram sibi probè notam esse patefecit: nec tamē se illorum iniquitatis participem, sed solum prænuncium declarauit. 4. *Act. 9. Ioan 21. Matth. 20. Matth. 10. Io. 15. & 16.*

Nemo etiam nisi amentissimus, atq; omnibus consilijs præceps ac deuius, aut verbo propalare, aut animo concipere audebit, Christū Ecclesiæ sponsum, vel venturi Antichristi blasphemiarum, persecutionum, impietatum cooperatorem; sed neque Satanici aduersus nouissimos Christianos funestissimi belli authorem esse futurum. Hæc verò cuncta nouit, reuelauit, prædixit. Ergo futurorum solummodò, seu hominum seu cacodæmonum delictorum præscius est, non author. 5. *Matth 24. Luc. 22. Ioan. 5. Marc. 13. Apoc. 13.*

Ideo scitè atque commodè Augustinus dixit: Deus omnia, quorum est author, ipse præscit, nec tamen omnium quæ præscit ipse auctor est. Quorum autem non est malorum auctor, iustus est vltor. Et idem rursum alibi: Absit à nobis Dei negare præscientiam, vt liberi esse velimus, quo adiuuante sumus liberi, vel erimus. Proinde non frustra sunt leges, obiurgationes, exhortationes, laudes & vituperationes, quia & ipsas futuras esse præsciuit, & valent plurimum ad ea impetranda quæ se precantibus concessurum esse præsciuit: & iusta præmia bonis factis, & peccatis supplicia constituta sunt. 6. *Lib. 3. de lib. arbit. ca. 4. Li. 5. ciu. c. 9.*

Augustini verò perantiquus & perdoctus Discipulus Fulgentius, à præceptoris disciplina & pietate non 7. *Li. 1. ad Mo.*

*minum, cap.* 23. 24. *et* 28. recedens, ait: Fidelibus congruit credere & fateri Deum bonum & iustum, prescisse quidem peccaturos homines, quia eum nihil latere potuit futurorum: non tamen prædestinasse ad peccandum. Quia si ad peccatum aliquod hominem Deus prædestinaret, pro peccatis hominem non puniret. *Cap.* 10. Et paulo post: Præsciuit hominum voluntates bonas & malas: prædestinauit non malas, sed solas bonas. Postea quoque citato Augustini Libro de prædestinatione Sanctorum, ex doctrina eius concludit, Præscientiam Dei sine prædestinatione esse posse. Prædestinationem verò sine Præscientia esse non posse. Quia Deus præsciuit etiam quæ ipse non facit, hoc est, peccata, & cæt. Laudat etiam paulo post has beati Prosperi pro Augustino ad calumniatores eius responsiones: Infidelitas non credentium, non ad constitutionem Dei, sed ad Præscientiam referenda est. Quæ non ideo necessitatem non credendi intulit, quia falli de ea quæ futura erat infidelitate non potuit. Et paucis interiectis: Qui Præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit: quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur ascribere. Sed cùm bona ad largitorem cooperatoremque eorum, mala autem ad voluntariam creaturæ nequitiam referenda sint; dubium non est Deum & præscisse & prædestinasse, quæ erant ipso Authore facienda; præscisse autem tantummodò, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura. Hactenus ex Augustino & Prospero Beatus Ruspensis Episcopus Fulgentius.

*Li. 1. ad Mo-nim. ca. 30.*

MINIST. Hæc mihi iam satis sunt: video enim Præscientiam Dei simplicem ad intellectum tantùm pertinere, sicque præscita tantùm esse peccata: Prædestinationem verò etiam voluntatis eius esse, qui nec delictum, nec mortem peccatoris velit.

## *PECCATA IMPROBORVM HOMINVM, nec DECRETO, nec CONSILIO, nec ORDINATIONE, nec PROVIDENTIA Dei optimi max. sed Dæmonum hominumq; praua voluntate contingere: aduersus 40. hæresim Caluinisticam.*

### DOCTOR.

DICI non potest, quanto Satanas flagret desiderio infamandi Deum optimum & maximum de cunctis sceleribus, quę toto orbe committuntur, quasi illorum sit author: vt hanc à se notam turpitudinis amoliatur. Hos quondam per serpentem, per pseudoprophetas, per pseudoapostolos, per Marcionistas, per Manichæos, & alios quosdam fascinatos à se excæcato mundo persuadere conatus: sed nunquam cum tanto molimine ac efficacia id consequutus est, quàm nouissimo seculo isto per Caluinum, Bezam, & reliquos eiusdem farinæ Prædicantes. Postquam enim persuasit illis *Deum peccata hominum nec simpliciter permittere, nec simpliciter præscire*, tum demum eò peruentum est, vt per eos suadere conetur, illum ea efficaciter velle, ordinare, atque decernere vt fiant. Scribit enim Caluinus vester Patriarcha: *Decreto Dei constitutum est, hominem per peccatum labi debere. Et nihil contigit ei quod Deus non decreuerit*: Sic quoprimi parentis scelus sanè vt pœna ipsa contestatur, grauissimum, refert ad Dei omnipotentis constitutionem, ordinationem, atque decretum. In Institutione verò ait: *Decretum fuit à Deo vt defectione periret Adam. Cunctos autē mortales in vnius hominis persona morti æternæ mancipatos fuisse scriptura clamat. Hoc cùm naturæ adscribi nequeat, ab admirabili Dei consilio profectum esse minimè obscurum est, &c. Ideo præsciuit Deus quem exitum esset habiturus homo, quia decreto suo sic ordinarat, &c. Lapsus est enim primus homo, quia Dominus ita expedire censuerat. Cadit igitur homo, Dei prouidentia sic ordinante.* Et idem commentarijs in Genesim: *Adamum*

*Li cont. Pighium.*

*Li. 3. c. 23. §. 7. & 8.*

*corruit*

*corruit ordinatione Dei.* Hactenus ille peccatorum omnium originem Dei super omnia benedicti consilio, prouidentiæ, ordinationi, & decretis adscribens. Quid tu de hoc statuis?

Cõfutatio. 1

MINIST. Censeo Caluinum etiam in hac re secum fœdissimè pugnare, & à suis quoque præcipuis discipulis refelli. Ille enim alibi docet, *quòd Deus dederat eidem Adamo potestatem non peccandi.* Atqui superius ex eo audiuimus, *non posse fieri vt quod Deus semel decreuerit non eueniat*: igitur cùm homo tandem lapsus sit, certum est peccatum illius non fuisse ordinatum aut decretum à Deo. Beza in cathedra Geneuana primogenitus ac successor eius, & insignis poëta succinit: *Adamum creatum fuisse cum tali iustitia & sanctitate, vt voluntariè & sine vlla coactione diabolo sese coniunxerit.* Ex quibus verbis colligo. Si voluntarium fuit peccatum eius, ergo potuit non peccare: sicque peccatum eius nec ordinatum, nec constitutum fuit à Deo. Si diabolo item sine vlla coactione se coniunxit, nec præscientia, nec decreta diuina hominis liberum arbitrium tollunt vel compellunt: vnde tandem consequitur originem peccati esse à voluntate humana, non à præscientia, consilio, decreto, prouidentia aut ordinatione diuina. Atque hoc meum de hac re iudicium. Nunc tuum expone.

*In cap. 4 Mat. ver. 1.*

*Conf. punct. 3. art. 10.*

2.

DOCT. Huius controuersiæ iudicium penes Apostolum esto. Hic enim peccati Adæ originem omnino serpenti, id est Satanæ, qui per serpentem disseruit cum Eua, tribuit dicens: *Timeo ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita et corrumpantur sensus vestri, &c.* Illa porrò à serpente seducta, continuò virum & ipsa in peccati consensum consortiumque pertraxit. Atque pro certo ista fuit prima primi peccati caussa, non præscientia, non voluntas, non ordinatio, non decretum Dei. Ex quibus etiam illud apertè consequitur, quod quicunque Diuinæ voluntati aut decreto peccatum primorum parentum, aut quoruncunque aliorum Caluinum sequuti attribuunt, Deum optimum & maximum cum diabolo, fraudibus, & insidijs eius improbissimè permiscent atq; confundunt.

*2. Cor. 11.*

Idem

Idem rursum Apostolus, omnem suspitionem originis & causſæ peccati à Deo longissimè remouet, quãdo etiam tentationes, quibus ad peccandum solicitamur, eius duntaxat simplicissima permissione, non autem decreto, contingere docet. Qui etiam illarum aliundè quàm à se aduersum nos insurgentium impetum ferociamque reprimere, atque ardorem sua gratia restinguere prædicat, ne supra vires nostras sæuiant, & imbecillitatem nostram opprimant. *Fidelis autem*, inquit, *Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Multum igitur abest, vt peccata ipsa Dei voluntati, ordinationi, vel decreto tribuenda censeat. 3. 1. Cor. 10.

Hoc idem & alij omnes Apostoli censuerunt, veluti ex vno Iacobo fratre Domini satis colligitur. Ait namq; *Nemo cùm tentatur*, (ad peccandum nimirum) *dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* MINIST. Euidentissimum & certissimum planè, quod si Deus nec tentet, nec solicitet ad peccandum, multo minus velit decernatque nos peccaturos. Deinde, quod si tentationes ac commotiunculæ peccatorum partim oriantur à diabolo, partim ab impuris fœdisque desiderijs carnis nostræ; delictorum nostrorum origo his procul dubio adscribenda est, non voluntati diuinæ aut decretis eius. Perge porrò tam apertis verbis diuinis, tantam impietatem labefactare & conuellere. 4. Iacob. 1.

DOCT. AEternus Dei Filius pauciſſimis, sed grauissimis verbis fontem peccatorum ostendit esse, non diuinam Patris sui præscientiam, voluntatem, aut determinationem, sed è contrario ipsummet diabolum: quando de hoc ait: *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cùm loquitur mendacium ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius.* Ideo enim & Iudas proditor etiam *diabolus*, & Iudæi perfidi *filij diaboli* nuncupantur: quòd diabolicis suasionibus 5. Ioan. 8. Ioan. 6. 1. Reg. 1. 2. 20. 22. 2. Reg. 16. & 20.

bus obaudientes eum in peccatis imitarentur. MINI.
3.Reg.21. 2.Paral.13. Profectò enim peccatores improbi sæpe *filij Belial* nominantur: & cùm Iudæ nefaria proditio describitur, nunquam decreto diuino, nunquam voluntati aut ordinationi diuinæ adscribitur: sed econtrario, Satanæ. Ioan 13. Luc 22. *Cùm diabolus misisset in cor Iudæ vt traderet eum*, inquit Euangelista: & alius: *Intrauit Satanas in Iudam, & abijt, & locutus est cum principibus Sacerdotum, quemadmodum Iesum traderet eis.* Ac iccirco manifestè sequitur, eos qui Deum sanctum & benedictum peccata velle aut ordinare confingunt, illum cum impurissimo Satana permiscere.

6. DOCT. Ad hæc, Prophetæ commemorantes, Isaiæ 18. Ezech.18. *Deum nolle mortem peccatorum, sed magis vt conuertantur & viuant: Deum non fecisse mortem, nec lætari in perditione viuentium*: insuper, sub grauissimis comminationibus prohibere, Exod. 20. Deut.5. Leuit.26. Matth.5. *Deos alienos, assumere sanctum nomen suum in vanum, falsum testimonium, homicidium, luxuriam, furtum, omnem prauam concupiscentiam*, & reliqua peccata, satis manifestant quam inuisæ sint illi hominum iniquitates; tantum abest vt illas velit, vel aliquo modo easdem fieri vnquam decernat, quemadmodum Caluinus turpissimè & nequissimè comminiscitur.

7. Præterea, cùm Deus iste vltionum Dominus, excelDeut. 27. & 28. sus & terribilis super omnem terram, horrendas minas intonat, agros & domos maledictionibus conturbat, Num.14 terram ferream, cælum ahæneum, famem, pestem, bel-
Leuit.26. la, feras, coruscationes, iaculata fulmina, eluuiones a-
Matth.8.22. quarum, exustiones, tenebras exteriores, fletum &
25. stridorem dentium, gehennæ ignes inextinguibiles,
Ierem. 14. & alia iræ suæ effecta nimium pertimescenda morta-
21.24.27. libus peccantibus obijcit atq; minatur; sine dubio mi-
29.32.34. seris non vult illudere, aut fictitiorum vanorumq; periculorum denũciatione solùm terrere: ludificaret autem & falleret, si eos in peccata, quibus hæc accersuntur, voluntate, ordinatione, consilio, prouidentia, aut decretis suis homines induceret. Vt igitur omnis fraus ac irrisio a seuero iudice viuorũ & mortuorum est longissimè remota, qui virtutũ officia iubet, & vitia prohibet; sic oĩs optima vitę ratione prędituς credere oportet

opti-

optimum & sanctissimum Patrem omnium nostrum charissimos filios suos voluntate aut decretis non impellere ad peccandum, nunquam ordinare vt peccent: sed cùm libertate sua fuerint ad delinquendum abusi, eos iustissimis supplicijs addicere & plectere. MINIS. Quorundam solummodò veterum de peccati Adæ origine sententias deprome, & disputationi huic finem imponemus.

DOCT. Ambrosius de huius, atque Iudæ proditoris agens delictis, ait: Deus non necessitatem vel Adæ prævaricationi, vel Iudæ proditioni imposuit; quia vterque si quod acceperat custodisset, à peccato potuit abstinere. Augustinus verò post longissima de hac re verba, tandem asserit, Adæ peccatum ex callido serpentis consilio initiò promanasse: deinde ex coniugis illecebris, & liberi arbitrij violata scientia. Gregorius quoque docet eundem peccasse, quòd propriæ voluntati paruerit: Diuinæ autem obedire & assentiri noluerit. Hæc illi, in quibus nulli decreto, nulli determinationi, nulli voluntati Diuinæ peccatum Adæ vides assignari. MIN. Mihi tres illi Patres loco omnium antiquorum esse possunt: ideoque aliam incamus disputationem. 8. *Lib. de parad. cap. 8.* *Li. de Genes.*

## *QVOD DEVS NON PRÆDESTINET homines ad peccandum: aduersus 41. hæresim.*

DOCTOR.

VT nihil intactum in Deo, nullamque perfectionem Diuinam erroribus suis impollutam relinqueret vester Caluinus, etiam æternæ Prædestinationi eius conatus est tam primi parentis, quàm omnium posterorum illius lapsus, corruptiones, & vniuersa scelera tribuere. Admittit eum in Institutione propositum istud: *Ad eam, quæ nunc pro damnationis causa obtenditur, corruptionem Dei ordinatione prædestinati fuerant.* Et paulò post ait: *Vnde factũ est vt tot gẽtes vnà cum liberis eorum infantib. æternæ morti inuolueret lapsus Adæ absq; remedio, nisi quia Deo ita visum est?* Et paucis interiectis: *Nec absurdum videri debet quod dico, Deum non modò primi hominis casum, & in eo posterorum ruinam præuidisse: sed arbitrio quoque* *Lib. 3. ca. 23. §. 4. 7. 8.*

*quoque suo dispensasse*. Consequenter etiam eos oppugnat, qui dicunt, Permittente modò, non autem volente Deo perire impios, subijciens: *Sed cur permittere dicemus, nisi quia ita vult? Quamquam nec ipsum quidem per se probabile est, Sola Dei permissione, nulla ordinatione hominem sibi accersisse interitum.* Hæc ille, quibus Diuinæ Prædestinationi, dispensationi, voluntati, & ordinationi non modò Adæ, sed & omnium liberorum eius scelera quantumuis atrocia deputat. MINIST. Iamdudum istud & ego deprehenderam non solùm ex his, quę citasti locis, verùm & ex eiusdem Libro de Prædestinatione: item & scriptis aduersus Pighium, in quibus adhuc apertius mentem suam explicat: & vt liberè dicam, impudentius blasphemat.

Quid ni enim blasphema vocem verba tam Diuinæ gratiæ, misericordiæ, clementiæ, ac beneuolentiæ in homines, quos ad suam imaginem & similitudinem condidit, quibusque non modò Angelos suos custodes, verùm & vnigenitum Filium suum Redemptorem & Saluatorem contulit, aduersa penitus & pluspquam ex diametro pugnantia: Qua etenim æquitate omnium æquissimus Pater & iudex filios ac subditos suos, virtutis, gratiæ ac æternæ salutis capaces, antequam in eum vnquam deliquissent, ex proposito destinaret ad infringenda paterna mandata, ad maiestatem deturpandam, & debitum sibi obsequium detrectandum? Nunquam, nunquam adduci possum, vt credam, eum qui fecit cœlos, vt enarrent gloriam suã; firmamentum, vt annunciet opera digitorum suorum; Angelos, vt eum celebrent; Solem, lunam, & stellas, ignem, grandinem, niuem, glaciem, spiritum procellarum, vt eum laudent & faciant verbum eius; bestias, & vniuersa pecora, serpentes, volucres pennatas, imò & dracones abyssi, vt suo more Creatorem exornent atque prædicent: eum, inquam, solum hominem effinxisse ac destinasse vt blasphemet, furensque probra & contumelias in se optimum & humanissimum parentem euomat: & ita cunctis belluis esset deterior. Pater ille cælestis destinasset liberos vt in suum conspuerent vultum? Pastor pius destinasset oues, vt suam con-

Confutatio 1.

*Psal.* 18. 102. 103. *Dan.* 3. *Psalm.* 148. 150.

*Matth.* 6. 13. *Ioan.* 10. 21.

temne-

temnerent vocem? Opifex admirandus compoſito animo opus ſuum perfeciſſet, vt ab illo deſpiceretur, & ignominia afficeretur? Nunquã, ita me Chriſtus ſaluet, nunquam in animum induxerim ſententiam tam Diuinæ naturalique bonitati ac humanitati repugnantem.

DOCT. Enimuerò, longè alio & contrario fine Deum Adamũ & poſteros eius creaſſe, atq; ad res ſanctiores prædeſtinaſſe teſtificantur veteres Theologi: nimirum, vt eum agnoſcerent ſicut factorem, diligerent vt ſummum bonum, adorarent vt bonitatem infinitam, obedirent ei vt ſummo Domino, laudarent vt omnipotentem, & tandẽ cum eo in cęlis ſempiternam gloriam & felicitatem conſequerentur. 2. *Orig. tract. 34. in Matt. Lact. li. 3. ca. 8. 9 10. 11. Baſil. ho. 11. Hexam. Aug. l. de fide ad Pet c. 25. Paulin. ep. 4.*

MINIST. Euolui, & diligentiſſimè reuolui locos omnes, in quibus Paulus de Adamo, poſteris eius, diuinaque prædeſtinatione diſputat, ſed nullibi reperi, Deum primos parentes aut liberos eorum condidiſſe, vt cacodæmoni potius, quàm ſibi morem gererent, vel fructum vetitum manducarent, aliaúe exercerent peccata, quibus homines frena laxare conſueuerunt. Imò verò contrarium omnino docet: *Quos* (inquiens) *præſciuit, prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui*, id eſt, vt eſſent *ſancti, iuſti, immaculati, irreprehenſibiles ante eum in charitate* filij Dei per gratiam adoptionis, *pleni operibus bonis in charitate*, denique *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*. 3. *Rom. 8. Epheſ. 1. 1. Cor. 15. 2. Cor. 9. 1. Tim. 1. 2. 5. Tit. 2.*

DOCT. Hæc profectò Apoſtolica ſunt dogmata de fine ac ſcopo Prædeſtinationis Diuinæ, quorum meditatione incredibili conſolatione exhilarantur animi, ſuſtentantur in tot periculis & aduerſis conſcientiæ, & ad fidem ſpemque reponendam in Deum ſummopere dilectum inflammantur animi. Sed Geneuani Apoſtoli teterrima blaſphemia nõniſi ad reformidandum Deum, vt in ſeſe crudelem, in mortales autem crudeliſſimum, concitat: & ad eundem vt immanem tyrãnum, qui ſuos ad quoduis nefarium opus deſtinet, & perditione eorum lætetur, toto animo exhorreſcendum impellit. 4.

MIN. Iuuaret me plurimum quædam veterum San- 5.

ctorum testimonia de proposita quæstione nunc exte audire. DOCT. Vnum in primis Fulgentium, præstantissimum totius Africæ post Cyprianum & Augustinum ante mille & centum annos Antistitem. Is lapsum Luciferi & Adami non Diuinæ Prædestinationi, sed horum superbiæ ac peruersæ voluntati tribuendum esse probans ex eo quod scribitur: *Initium omnis peccati, superbia*: de ipsa tandem homine primo subijcit. A Domino bono dissentiens, & seruo malo (diabolo) consentiens, malæ voluntatis effectum plenum adipisci non potuit; quia ipsa malitia voluntatis à Deo non fuit. Hanc enim si à Deo non discederet, non haberet. Postea idem sequentibus Scripturis confirmat: *Deus mortem non fecit*: quod de animarum morte, id est, mortali peccato intelligendum adfirmat. *Non est iniquitas apud Deum. Iustus Dominus, & iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius.*

*Li. 1. ad Monim. cap. 17.*

*Eccles. 10.*

*Cap. 23.*
*Sapient. 1.*
*Deut. 32.*
*Psalm. 10.*

6. De alijs verò, id est, Adæ posteris, idem scribit: Prædestinauit Deus quosdam ad gloriam, quosdam ad pœnã. Sed quos prædestinauit ad gloriam, prædestinauit ad iustitiam: quos autem prædestinauit ad pœnam, non prædestinauit ad culpã. Posset enim peccatum aliquod ex prædestinatione Dei esse, si posset aliquis hominum iustè peccare. Nullus autem hominum iustè peccat, quamuis eum iustè Deus peccare permittat. Iustè enim deseritur à Deo, qui deserit Deum. Et postea id confirmaturus ex Scripturis ait: Ad volũtatem malam Deus hominem non prædestinauit, quia homini eam daturus non fuit. Quomodo enim Deus hominem, quem ad imaginem suam fecit, prædestinaret ad malam voluntatem, quam ipse non fecit? Itaque peccare in hoc homo cœpit, in quo à Deo discessit. Scriptum est enim, *Quia initium superbiæ apostatare à Deo*. Et alio loco: *Ecce omnes qui se elongant à te, peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te: Defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam*. Defectus ergo à summo bono ad infimum bonum, hoc est peccatoris proprium & voluntarium malum, quo malo seipsum perdidit iniustus. Et eiusdem libri ca. 26. & 27. ait: Quomodo peccanti seruo iram iustus Dominus intulisset, si seruus ex Domini prædesti-

*Li. 1. ad Monim. ca. 13.*

*Cap. 19.*

*Genes. 2.*

*Eccl. 10.*
*Psalm. 72.*

natio-

nationē peccaſſet? Quod ſi Deus tales in peccatum prædeſtinaret, non eos Apoſtolus vaſa iræ mallet nominare, ſed culpæ; nec in interitum tales vaſa, ſed in peccatum dicerentur aptata. Nunc autem vaſa iræ ideo dicuntur, vt oſtendatur in talibus ex Dei prædeſtinatione non hoc eſſe quod eſt ab eis malè admiſſum; ſed quod eſt talibus bene redditū. Bene quippe malis interitus à Deo redditur, quamuis ſit malus interitus eis, qui nunc iuſtè deſeruntur, & poſtmodum iuſtè torquebuntur. Recipient non pro eo quòd Deus bene vſus eſt eorum operibus malis: ſed pro eo quod ipſi malè abuſi ſunt Dei operibus bonis. Tales itaque Deus aptauit in interitum punitionis, quem peccatori iuſtus iudex prædeſtinatione iuſta decreuit. Non in peccatum, quod homo nō ex prædeſtinatione Diuina, ſed ex volūtate ſua, malè concupiſcendo cœpit, & malè operando perfecit. *Concupiſcentia enim concipiens, peperit peccatū, peccatum verò conſummatum genuit mortē.* Non ergo iniqui prędeſtinati ſunt ad mortem animæ primam, ſed prædeſtinati ſunt ad ſecundam, id eſt, ad ſtagnum ignis & ſulphuris. Rom. 9. Iacob. 1. Apoc. 20. & 21.

Demumq; tam ex Auguſtini, quàm totius Eccleſiæ Chriſtianæ communi doctrina diſputationem clauſurus, ait: Peccata itaque hominum cuncta quidem Deus in peccatoribus præſciuit futura: & quia ipſe non ea prædeſtinauit facienda, iuſtè prædeſtinauit iudicio punienda. Quod in ipſis ſancti Auguſtini dictis cognoſces. Oſtendit enim, quia Deus peccata hominum præſcientia vidit, quibus ſententiam prædeſtinatione dictauit. Iuſtè autem eſt ad punitionem Diuina æquitate prædeſtinatus, qui peccator eſt diuina cognitione præſcitus: vt pote, qui iniquitatem, ad quam a Deo non eſt prædeſtinatus, propria eſſet voluntate facturus. Vt in quo præſcientia Dei videbat futurum opus iniuſtum, huic per prædeſtinationis ſententiam pararet ſupplicium iuſtum. MINIST. Sufficit. Iam enim hic vnus mihi pro innumeris reputatur, tum quòd communem totius Eccleſiæ ſententiam & doctrinam proferat, tum quòd apertis Scripturis eandem corroboret. De alio capite dicamus. 7. Eiuſdem li. ca. 27.

## DEVM NON EO FINE AC PROPOSITO DESTINATO homines creasse, vt peccarent, sicq; illos perderet: aduersus 42 hæresim.

DOCTOR.

QVid tibi videtur de Geneuensis Prophetæ sententia, qua vult Deum non solùm æternam improborum ruinam damnationemque præuidisse: sed & eos maturo consilio, nullo alio fine hos condidisse, quàm vt eos excæcaret, induraret, ac in sempiternum perderet? Verba enim illius sunt: *Prædestinatio Pharaonis in exitium ad arcanum Dei consilium refertur. Deus pro arbitrio suo, in quemcunque libuerit iudicij sui seueritatem stringit. Deus alios illuminat in salutem, alios in mortem excæcat. Indurandi verbum cùm Deo in scripturis tribuitur, non solùm permissionem, sed Diuinæ quoque iræ actionem significat. Friuolum est illud effugium, quod de præscientia Scholastici habent. Neque enim præuideri ruinam impiorum à Domino Paulus tradit, sed eius consilio & voluntate ordinari. Non modò præcognita fuit impiorum perditio, sed impij ipsi fuerunt destinatò creati vt perderentur.* Audis cum adfirmantem, Pharaonem prædestinatum ad exitium consilio Dei? Deum pro arbitrio suo homines excæcare in mortem, in quos libuerit seueritatem stringere, ruinam horum consilio & voluntate ordinare, quinetiam destinatò creare illos, vt perdat? An non est hoc proclamare, *Deum longè maiorem hominum partem consultò creare, vt damnet atque in æternum perdat*; cùm reipsa Sanctorum ac electorum minor sit quàm aliorum numerus?

In cap. 9. ad Rõ. ver. 17. & 18.

Mat. 7. et 22.

Confutatio 1.

MINIST. Exaudio, sed fidem eius verbis non habeo: quoniam alibi frequenter secum pugnans, hæc ipsa, quæ hîc tradere videtur, alijs plurimis locis idem ipse damnat & reprobat. Scribit namque in caput Lucæ decimum sextum, *Diuitem epulonem damnatum, creatum fuisse in vitam immortalem consequendam; sed huius nobilis conditionis immemorem, maluisse cani aut porco similem se præbere.* Itaque si de reprobis ac miseris omnibus, idem est sentiendum, vt & ipse vltrò fatetur,

Vers. 25.

conse-

consequens est vniuersos prorsus homines creari ad salutem, vitamque immortalem consequendam: reproborum verò ruinam, exitium, ac perditionem à propria ipsorum oriri peruersitate, non autem ex primo Dei creantis proposito, aut voluntate.

Ait rursum: *Non stare per Deum, quominus copiosa bonorum suorum abundantia in nos quotidie defluat, sed exiguitatem fidei nostræ id impedire.* Atqui Deus ipse præsertim impediret, si æterno consilio destinaret ad exitium, in quosdam seueritatem solam iudicij sui stringeret, excæcaret in mortem, vellet & ordinaret tantùm in ruinam, eoque solum consilio conderet aliquos, vt in æternum perderet. Quantò igitur prima propositi pars vera est, tantò posterior est falsa & impia. 2. In c. 9. Mat. vers. 22.

Docet iterum, *Deum improbos damnare, quòd propria malitia conuertunt in interitum omnia sibi in salutem oblata, quamuis optima & salutaria: & ita sponte perire. Quorum ruina Præscientiæ Diuinæ non est tribuenda. Non per eum stare, quominus omnes, vt decet, sapiant. Homines damnari priuata infidelitate, malitia, & ingratitudine. Errorem & ruinam impiorum ab his solis promanare, quòd eorum insolens superbia ipsos ad interitum perducit: incredulos perire in tenebris, propterea quòd lucem sponte fugiant, & cæt.* Quibus verbis perspicuum est, totam & totam damnationis reproborum rationem, non à consilio aut prædestinatione Diuina proficisci: sed eos sibi laqueum cótexere quo pereant, & foueam facere, in quam ter quaterque miseri detrudantur & perdantur. DOCT. Sed singula ab hoc aduersario concessa accuratius, quæso te, excutiamus. Si improborum damnatio ipsorum propriæ malitiæ ascribenda est, non est profectò tribuenda Diuino consilio, in quod nulla vnquam malitiæ suspicio cadere potest. Etsi idcirco perierunt improbi, quòd salutaria sibi oblata conuertunt in interitum, propriæ malitiæ exitium eorum imputandum est, non Prædestinationi Diuinæ. Deinde, si Deus multa & optima illis offert salutaria, idque sine fraude, vt omnis deluſio ac fallacia procul abest ab ipso: certè non vult illos perdere, sed saluare. Et si ruina reproborum Diuinæ præscientiæ non sit tribuenda, est in primis simplex ma- 3. In Mat c. 15. ver. 12. & ca. 23 ver. 34. In Ioan c. 3. 5. 3. & 12.

lorum præscientia in Deo, cui antea Caluinus cum probris sese opposuit; nuncque flagitiosè appellat *effugium friuolum Scholasticorum*: deinde, nec consilio, nec prædestinatione eius reprobi in cæcitatem & exitium præcipites aguntur. Præterea, cùm impiorum ruina à sola eorum superbia & insolentia promaneat, & solummodò pereant, propterea quòd lucem sponte refugiant, profectò non destinatò creati sunt à Deo, vt perdantur. Atque sic remanet Caluinus proprijs testimonijs nefarię impietatis conuictus atq; damnatus.

4. MINIST. Optimum & glorioſissimum planè genus vincendi, cùm hostis proprio ferro confoditur: sed firmior erit victoria, si apertis noui ac veteris Testamenti scripturis error iste omnino labefactetur & conuellatur. DOCT. Dominus Prophetarum oraculis personat, magnaque voce iurat verissimum pulcherrimumque iusiurandum, *se nolle mortem peccatorum, sed omnino velle vt conuertantur, & viuant: perditionem Israelis ex eodem Israele promanare, ex se verò salutem: mortem se non fecisse, nec lætari in perditione viuentium: si improbi conuertant se ad eum, conuersurum se ad eos: ad se redeuntium peccata dealbaturum vt nix.* Denique ait: *Conuertimini ad me in ieiunio, fletu, & planctu, scindite corda vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* Sequitur: *Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo, & cæt.* Amabò te, sunt ne istæ voces creantis homines vt destinatò perdat? In quemcunq; libet, pro arbitrio suo iudicij seueritatem stringentis? Volentis & ordinantis ruinam improborum hominum? MIN. Minimè gentium: sed è contrario, omnium quos condidit salutem percupientis.

*Isai.* c 18. *Ezech* 18. *Ierem* 33. *Oseæ* 13. *Sapient.* 1. *Zach.* 1. *Isaiæ* 1. *Ioel.* 2.

5. DOCT. Aures etiam ac mentem erige in has Christi omnium Saluatoris voces humanissimas & dulcissimas: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Si quis sitit veniat ad me, & bibat. Omnis qui venerit ad me, non eijciam foras. Venit filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat. Pater dedit Filium, non vt iudicet mundum, sed vt saluificetur mundus per ipsum.* An

*Matth.* 9. *Matt.* 11. *Ioan.* 7. *Luc.* 15. *Io.* 3. & 12.

non

non his, alijsque innumeris similibus sermonibus Diuinis, Filius Dei satis manifestat, quali Pater eius sit animo & consilio erga totum genus humanum: Videlicet, non vt peccatis suis quantumlibet magnis pereat, sed omnino saluetur. *Non est voluntas Patris mei* (inquit rursum) *vt pereat vnus de pusillis istis*. Et iterum: *Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, vt omnis qui credit in me, non pereat: sed habeat vitam æternam.* MINIST. Væ ergo, & iterum atque iterum væ impietati Caluinicæ, qua suadere nititur, cæcitatem, indurationem, exitium, ruinam ac perditionem peccatorum Dei voluntate fieri & ordinari consilio. *Matth. 18. Ioan. 6.*

DOCT. Attende etiam studiosè, quid de pia voluntate, ac Diuino super omnes peccatores consilio doceāt Apostoli. D. Paulus ait. *Vult Deus omnes homines saluos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*. Et iterum: *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra* Iterumque: *Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite, hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis*. MIN. Certè enim si nos destinatò condidisset vt perirēmus, non vellet saluos fieri: aut si voluntate sua destinasset gratis in ruinam, nollet sanctificationē nostram. DO. Idem rursum de æterna Dei electione, destinatione, ac fine eius longè sanctius differens, quàm Genevanus vester, ait: *Elegit nos in Christo ante constitutionem mundi, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, per Iesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ* MIN. Manifestum est ergo, quod non prędestinat ad exitium, non intendit excæcare ad mortem, nec reproborum ruina tribuēda est eius æterno consilio aut ordinationi. DO. Audi rursum eundem Apostolū de fine ac scopo creationis hominum loquentem: *Ipsius enim* (Dei) *sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*. MIN. Turpiter ergo ac nequiter Caluinus contradicit Apostolo, blaterans *Deum destinatò creare, vt perdat*. 6. *1. Tim 2. 1. Thes. 4. 5. Ephes. 1. Ephes. 2.*

DOCTOR Eadem mente Petrus cum Paulo apertens sanctissimæ voluntatis Diuinæ intentionem ac destinationem de nostra sanctificatione & 7.

1.Petr.2. salute scribit: *Sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* MIN. Mendaces ergo nituntur facere Apostolos, qui è contrario aiunt, voluntatem Dei esse, vt homines excęcentur, indurentur, & cunctis sordibus peccatorum sese commaculantes turpissimè tandem perdantur. Etenim cùm Dominus Cainum de fratricidio obiurgauit, improbis per voces Noë diluuium comminatus est, Niniuitas præmonuit vt resipiscerent, Eliam ac Elisæum ad commonefaciēdas decem tribus legauit, Prophetis iussit pecçatores hortari ad pœnitentiam, ipse per Filium voluit congregare Iudæos sub alas protectionis suæ, Apostolis denique præcepit ire in mundum vniuersum, docere & baptizare omnes gentes, vt salutem consequerentur; satis patefecit, non condidisse illum, *vt destinatò damnaret atque perderet*. Quare quanto propius huius hæreseos turpitudinem ac deformitatem conspicio, tanto mihi videtur optimi ac cælestis Patris nostri bonitatem coarguere, ac infinitam eius in genus nostrum beneuolentiam iniuriosè tractare.

Gen.4.6.7. Ioan.1.& 3. 3.Reg. Matth.23. Matth.28. Act.1.

8. DOCT. Certum est demum, quòd si ex peruulgatis concionibus ac libellis sectæ Caluinicæ, ea hominem inuadat opinio, *quòd Deus maiorem eorum partem ex animi sententia creârit vt pereat, atque in æternum perdat*, id in eorum animis incredibile fastidium adferet: insuper non tantùm contemptum, sed & Dei viuentis odium perpetuum loco summæ reuerentiæ ac dilectionis in eum instillabit. Tantùm enim aberit, vt possint eum concipere vt parentem benignissimum, humanissimum, & sui amantissimum: quin è contrario iuxta hanc hæresim Hugnosticam sibi persuadebunt eum esse crudelem, tyrannum, implacabilem, inexorabilem, salutis suæ antiquissimum & infestissimum hostem, vtpote qui gaudeat eos arcere à summo bono, quod naturaliter appetunt, cuiusque natura ipsa sunt capaces, etiam antequam ab illo vllo pacto defecerint. Gaudeat, inquam, eos præcipites in inferorum horrendam voraginem in sempiternum detrudere, atque tenebris exterioribus & interioribus, fletu, stridore dentium, vermis non morientis arrosione, & flam-

mis

mis ignis extinguibilis, alijsque innumeris supplicijs, quæ naturaliter abhorrent & reformidant, in æternum cruciare. MIN. Equidem, qui primam Caluini sententiam attentè secum perpenderit & crediderit, pro *Patre misericordiarum & Deo totius consolationis*, sibi proponet Busyrida, Rhadamantem, & Phalarida, qui seruos suos torrere, deglubere, discerpere, & extremis supplicijs torquere delectetur, atq; in eum finem producere, in mundum immittere, vt perpetuis tandem tormentis excruciet atque disrumpat, quamquam prius nec verbo, nec opere, nec cogitatione quidē ipsum offenderint. DOCT. Imò his omnibus tyrānis, quos citasti, Deum crudeliorem & immaniorem sibi representabunt: quoniam hi solùm corpora, & breuissimo tempore distorserunt: sed Deus qualis à Caluino effingitur, sola voluntate & sua oblectatione, & animas, & corpora, & in æternum, & sine vlla remissionis spe, premit acerbissimis tormentis: animas, inquam, quas voluit esse vnitati, Trinitati, immortalitati, libertati, cunctisq; alijs perfectionibus suis Diuinis simillimas. Quis verò posset animo erecto liberaque voluntate, tam immani Deo Hugnostico seruire? quis credere? quis obedire? quis eum ex tota mente diligere ac colere? quis laudare & benedicere? quis in suis miserijs inuocare? quis ad eum confugere? quis mandatis eius libens obtemperare? quis in promissa eius sperare? Quis in eius bonitatem, fiduciā suam reponere? Quis ab eo vitam & salutem æternam expectare, quem audiet à Verbi Ministro, Euangelico, reformato, sanctificato, cælitus misso, *homines destinatò creasse, vt in æternum perdat*? MIN. Video profectò hanc Caluinianam hæresim, omnem auferre Dei timorem, amorem, obedientiam, inuocationem ex conscientijs hominum: nihilóque aliud in his relinquere, quàm omnis impietatis, blasphemiæ, & desperationis semina: quare hoc sermone derelicto, alium aggrediamur.

## DE SVMMA INTEGRITATE, INnocentia, & sanctitate Dei, aduersus viginti & septem hæreses: quibus Caluiniani conantur illum deformare, atque omnium mundi peccatorum auctorem ac reum facere.

DOCTOR.

QVI vestræ defectionis duces & quasi signiferi fuerunt, post discissam simplicem Dei nostri Essentiam, sepultam Trinitatis confessionem, Diuinasque perfectiones omnes populatas: eò tandem dementiæ prolapsi sunt, vt eius quoque summam bonitatem, puritatem, & sanctitudinem infamare atque turpificare nitantur, cùm in eam vniuersa tam dæmonum, quàm hominum peccata, quantumuis atrocissima, reijcere nihil reformident, idque plurimis modis: quos si patienti animo tuleris, quantum potero, breuioribus verbis nunc recensebo, & refellere conabor. MIN. Præbebo me tibi vicissim attentum contra illos auditorem, & strenuum commilitonem, si his toterroribus & delictis illos prius conuiceris.

DOCT. Primò, Martinus Bucerus, quem vnicum inter Germanos Caluinus vester laudat & amplectitur ministerium, scribit; *Deum dare menti reprobæ, vt ita meatur perdi.* Perditur autem infidelitate, magia, blasphemia, atheismo, & omnibus peccatis mortalibus. Igitur hæc dona & opera Dei esse ille arbitratur.

*Com. in ca 1. ad Rom. pag. 71.*

*Pag. 72.* Secundò, idem subiungit: *Apparet Deum cùm seducit, indurat, tradit in reprobũ sensum, immittit efficacem errorem, id facere, non tantùm deferendo: sed etiam animos hominum vt errori concedant, inclinando.* Itaque sententia huius Martini, Deus est author seductionis, obstinationis, erroris, & deprauationis animorum & sensuum humanorum.

*Ibidem.* Tertiò, eosdem errores persequens, ait: *Animos hominum vt à concupiscentijs vincantur, Deus inclinat, in malas cupiditates pellicit, simpliciter pranis cupiditatibus dedit, & peruersis desiderijs addicit.* Quibus verbis Deo veluti au-

ctori

ctori tribuit omnes prauas hominum cõcupiſcentias, nefarias cupiditates cordium, & ſcelerata quantumlibet animorum deſideria.

Quartò, audacius & apertius blaſphemans omnium prorſus criminum ſeu corporalium ſeu ſpiritualium, ſeu aduerſus Deum ſeu aduerſus proximum committantur, eundem Deum inſimulans inquit: *Nam niſi ſateamur eum omnia in omnibus efficere, Deum eſſe negamus.* *Ibidem.*

MIN. Sequeretur Deum in ſacrilego, facere ſacrilegium; in inceſto, inceſtum; in adultero, adulterium; in homicida, & proditore, homicidiũ & proditionem; in falſo teſte, falſum teſtimonium; in blaſphemo, peccatum blaſphemiæ, & cætera omnia, quæ etiam nefas eſt nominare.

DOCT. Quintò, etiam idem ait: *Faciunt indurati ea, quæ Deus ipſe vult eos facere, imò quæ ipſe in eis facit: nec poſſunt aliud quàm perperã agere.* *Idem in c 9. ad Rom. pag. 454*

MIN. Igitur & in Caino & Iuliano Deus blaſphemauit, in Saule & Achitophele aduerſus ſuam iuſtitiam & æquitatem inſurrexit, & in Iuda, multisque alijs ſeſe minimè bonum, miſericordem, exorabilemque eſſe profeſſus eſt, ſiquidem vera loquitur Bucerus.

DOCT. Sextò, ſuperioribus adijcit: *Voluit Deus Pharaonem iuſſui ſuo non obtemperare: imò vt ei repugnaret, ipſe in eo effecit. Fecit Pharao quod Deus volebat eum facere, imò quod ipſe faciebat in eo.* *Ibidem.*

Septimò, ſubnectit: *Cùm immiſit in cor Dauidi, vt cenſeret populum, vtique ipſe & voluit, & effecit vt Dauid populum numeraret, eratque neceſſe ita illum facere*: quibus Deum perduellionis, & ſuperbiſſimi ambitus, nulla vrens circuitione impudẽtiſſimè coarguit. Atque hæc ſufficiant ex Bucero, ad alios me confero. *Ibidem.*

Octauò, nonò, & decimò, Philippus Melanthon (quem Caluiniani in ſua, id eſt, Sacramentaria opinione prædicant obiiſſe) tres ſimul aduerſus Dei ſanctitatem & innocentiam eructat hæreſes his verbis: *Adulterium Dauidis, ſæuitia Manlij, & proditio Iudæ, æquè ſunt Dei opus, atque ipſa conuerſio Pauli.* *Annot in ep. ad Rom. c 8. edit Vuitẽb. 1524.*

Vndecimò & duodecimò, Caluinus omnium furorum Satanæ, & prædationum, quæ à latronibus paſſim in facul-

in facultates piorum exercentur, Deum faciens autho-
*Inst* l.1. c.18. §.1. rem, ait: *Eius probationis (sancti Iob) cuius Satan & scelesti latrones ministri fuerunt, Deum fuisse authorem colligimus. Molitur Satanas sanctum virum desperatione adigere in furorem: Sabæi crudeliter & impiè in aliena bona prædando inuolant, &c. quia sic placuit Deo.*

Tertio decimò, tam fœcundus est idem Caluinus in erroribus concipiendis, fouendis atque pariendis, vt paucissimis verbis octo fœdissimas istas enixus fuerit. Primò, *cæcitatem & tyrannidem Achabi*: 2. *Absalomi incestum*: 3. *conuicia Semei*: 4. *apostasiam & idolomaniam decem tribuum*: 5 *cædes, rapinas, incendia Chaldæorum in Iudæa*: 6. *rabiem furentium Iudæorum in Christum*: 7. *iniquissimum Pilati iudicium*: 8 *scelerata militũ crucifigentium facinora, & cæteraid genus crimina*, scribit esse Dei opera, *quæ non solà eius permissione, sed voluntate, & decreto facta sunt. Satan & scelesti latrones* (ait) *ministri fuerũt, Deus au-*
*Ibidem.* *Ibidem* §.2. *thor. Sic placuit Deo Deus hoc opus suum pronunciat. Opus Dei esse pronunciat Ieremias. Deus præcipuus est author. Satan verò tantùm minister.* M I N. Oportet sanè illum atque Bezam cunctos verecundiæ fines transiisse, & bene nauiterque impudentes esse, quando alibi pernegant se in hac esse sententia: insuper omnibus probris & conuitijs eos lacessunt vt calumniatores, qui illos de his erroribus accersunt & redarguunt. Sed assumptum ordinem persequere.

*Inst* l.1 c.18. §.1: L.2 c.4. §.3.4.5: L.3. c.28.§.8. DOCT. Vigesimò primò idem affirmat, *Deum velle, imò & præcipere Satanæ vt mentiatur, seducat, fallatque incautos, tam per seipsum, quàm per pseudoprophetas & seductores.*

*L. cõt. Pigh.* *L. cõt. Liber.* c.14 15.16. Vigesimò secundò, *Cunctos impios sceleribus suis operam dantes*, ait, *esse tantum velut secures aut gladios in manu Dei.* Sicque vt ferrũ in manibus homicidæ omni culpa vacat, homicida solum est homicidij reus: sic & impij Caluini iudicio, extra culpam essent, solusque reus esset omnium scelerum Deus.

Vigesimò tertiò, inclamat publicè, *Deum esse veluti ducem latronum, grassatorum, sicariorum, qui dato minimo signo, omnes aduocat sceleratos, tanquam fidelissimos commilitones sub vexillo suo depugnantes; quos sua manu disponit, vt*

*ciuitates*

*ciuitates diripiant, & delubra sanctissima subuertant.* Non ergo mirandum gregales eius tam propensos esse ad seditiones, ad bella, ad expilationes, regnorumque euersiones.

Vigesimò quartò, cunctorum peccatorum causam referens in iudicium & secretum Dei consilium, dicit: *Cùm pronunciat (Scriptura) cæcis obtrudi velum, vt in suis tenebris maneant, neque huius rei culpam illis adscribit, &c. causam non assignat extra arcanum Dei consilium.* In c. 13. Matt. vers. 13.

Vigesimò quintò, iam non de quibusdam in particulari, sed de vniuersis mundi sceleribus Deum turpificans ait: *Deum nominari authorem omnium, quæ (à Catholicis) dicuntur aduenire per eius permissionem.* Atqui docemus omnia tam spiritalia quam corporalia peccata ab hominibus patrari simplici permissione Dei: quare Caluinus & eius discipuli nunquam poterunt excusari, quin Deum omnium, quæ per totum orbem committuntur, peccatorum auctorem constituant. Instit. l. 1. c. 18. §. 3.

Vigesimò sextò, Beza Caluini successor personat, *Deum omnia operari, sine vlla exceptione boni aut mali, virtutis aut vitij: alioqui in otio delitesceret, iuxta errorē Epicuri.* Aphoris. 6.

Vigesimò septimò, vt eiusdem impietatis totam sectam conuincam, Marloratus suas dum profert inepties, in expositione generali suæ quam dicit Ecclesiæ, postremum exhalat horum errorū fœtorem, scribens: *Deus non solùm homines in peccatum cadere permittit: sed & vult, & ordinat. Et præcepto eius Satanas inferorum carnifex contra nos in bellum insurgit. Efficaciter quodcunque vult in cordibus peruicacium & reproborum operando, nihil facit præter Dei ordinationem.* Atque hæc sunt viginti & septem capita, quibus euicisse, coramque toto mundo contestatum & exploratum me feciſe contendo Caluinianos improbissimè errare cōtra summam Dei nostri sanctitatem ac innocentiam, cùm statuunt eum cunctorum peccatorum atque scelerum authorem. Tu promissis fidem faciens, primus in has hæreticas sententias inquire, & gloriā præpotentis Dei, vt Christianum virum decet, nunc pro viribus asserere & tuere. In c. 1. Rom. v. 24: & in c. 9. v. 18.

M I N. His omnibus Caluinianis erroribus obiecio in pri-

Confutatio peraliorum Miniſtrorũ cenſuras.

in primis grauiſſimas miniſtrorum ſuperioris Germaniæ cenſuras, quibus declarauerunt eoſdem errores importunas eſſe aduerſus Deum blaſphemias, & ſanctiſſimo eius verbo penitus contrarias: atque ob id, & aliquot alias fanaticas de Sacramentis ſententias, Caluinianos omnibus modis execrantur & damnant. Nam Ioachimus VVeſtphalus, Ioannes Brentius, Iacobus Andreas, & plurimi alij, quos initio huius colloquij recenſui, tota Germania & libris editis, & concionibus, & publicis colloquijs, & Principum ſuorum edictis ac legibus, propterea illos finibus ſuis expellunt, & bello irreconciliabili in hanc vſque diem perſequuntur, vt paucis cõmemorabo. Nam Tilemannus Heshuſius libellum diuulgauit inſcriptum, *Aliquot errores Caluini, &c.* Et poſtea ſubdit: *De fato, & cauſa peccati, planè impiè docet, vt ex multis eius libellis probari poteſt, vipotè qui dicat Deum impiorum ſcelera non tantùm permittere fieri, ſed & efficaciter operari.* Paulò poſt vero huiuſmodi ſubijcit cenſuram: *Hæc omnino & Dei voluntatem incertam faciunt, & Deum peccati authorem aſſerunt. Hic autem error eſt in Deum horribiliter contumelioſus, & generi humano perniciosiſſimus. Hoc ſanè Doctõre, non diabolus, ſed Deus erit pater mendacij.*

1. Thenæ, 1560.

2. Huic ſubnecto & Ioannis Brentij non impium iudicium. Cùm enim hic vulgatam mali diſtinctionem in Malum pœnæ, & Malum culpæ conſtituit, aſſeruitque mala pœnæ, cuiuſmodi ſunt peſtis, grando, incendium, morbus, rerum penuria, fames, bellum, malæ beſtiæ, ignominia, contemptus, mors, &c. à Deo verè & iuſtè mortalibus infligi, de altera mali ſpecie ſic loquitur. *Alterum genus mali, vocant Malum culpæ, quod vſitatè dicitur peccatum. De hoc conſtanter ſentiendum eſt, quod Deus non ſit eius author vel approbator. Pſal. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es. Odiſti omnes qui operãtur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Nam quod Deus non velit, nec approbet peccata, ſed extremo odio proſequatur, paſſim facit primùm præceptis. Prohibet enim peccatum ſeueriſſimè, quemadmodum Decalogus teſtatur. Deinde, ſupplicijs, quæ diuinitus vel per magiſtratum, vel per alia organa ſceleratis inferri ſolent. Poſtremò, ſignificauit ſe puniturum peccatum æ-*

In Catechiſmo. pag. 104 105. & 106. Iſa. 45. Thren. 3.

terna

*terna pœna, & igni inferni. Quare si esset author peccati, & faceret ei, certè nec prohiberet ipsum, nec puniret tanta seueritate. Quis est ergo peccati autor: Diabolus, quem vocamus Satanam. Hic cum satellitibus suis defecit à Deo, & excogitauit peccatum à seipso. Vnde Christus dicit; cùm diabolus loquitur mendacium, ex propriis loquitur. Et 1. Ioan. 3. Qui facit peccatum, ex diabolo est. Quare, cùm aut nos peccamus aut videmus alium peccare, sentiamus non Deum, sed Diabolum esse peccati autorem, & dominari in homine propter peccatum. Quod certè excitare nos debet, vt quàm primum reuertamur pœnitentia ad Dominum, ne vnà cum diabolo in tartarum præcipitemur.* Atque hęc Germanorum Superintendentium de his Caluinianorum erroribus iudicia & decreta: quæ si parui fecerint, numquam tamen damnatos se non modò à Catholicis, sed & à Lutheranis: & quod omnium præcipuum est, expressis verbis diuinis negare valebunt. *Ioan 8.* *1. Ioan. 3.*

Sed & istud Tigurinorum atque Zuinglianorum, quibus cum belle consentire se iactant, iudicio confirmabo. Petrus Vermilius eorũ in Theologia publicus professor, superius citatas Caluini *sententias appellat libertinas, execrandas, sacrilegas, abominandas, & planè diabolicas*: easdemque licet plurima versans, multis argumentis refellit & persequitur, quorum quædam postea subijciam. 3. *In 2. l. Reg. cap. 6.*

Illis etiam Genevæ statim initio se opposuerant Castalio & Seruetus, sed quia viribus plus pollebat illic Caluinus, alterum fuga sibi consulere compulit: alterum viuum ardentibus flammis tradendum & absumendum curauit. 4.

Bernenses ministri coram senatu suo eadem impietate Caluinum accusarunt, & libellos eiusdem super hac re à carnifice publicè laceratos, eodem loco conflagrari statuerunt, edicto prohibentes, ne quis in eorum terris ac locis tam tetros errores spargere auderet. Atque hęc aliorum tum Germaniæ tum Heluetiæ ministrorum de illis erroribus publica decreta. DOCT. Egregia & iusta certè, & quæ Caluinianæ impietatis discipulos confundere, & ad saniorem mentem reducere deberẽt, si infamiæ suæ eos aliquando puderet atque tęderet. 5. 1554.

Verùm

Confutatio per propria testimonia. 1. Verùm, quoniam superioribus iudicibus (scio) non cedent, præstat vt Caluinianis armis (quod sanè strenuè atque commodè superius fecisti) Caluinicos errores expugnes atque conuellas. MIN. Mihi quoque sanè in promptu est. Nam Caluinus seipsum impietatis coarguens, appellat eos qui dicunt Deum autorem peccati, *Homines Libertinos, furore rabieque correptos, bruta, portenta, luem perniciosam, nefariè grassantem, quique inter homines omnem expungunt humanitatem & religionem.* Atque hæc illorum ex illo epitheta. Errorem verò ipsum nominat, *fœdam illuuiem, proluuiem, abominationem, insanum delirium, desperatum ac diabolicum, à naturali sensu tam remotum, vt etiam ipsa abhorreant bruta, eundem non posse admitti nisi à viris dissolutis & improbissimis.* Addit præterea, *huiusmodi opinionem inter bonum & malum omnem auferre differentiam; & ita Deum cum cacodæmone confundere, vt alter ab altero vix possit discerni aut separari.* Postea etiam iudicat *eandem opinionem, malitiam veneficam & pestiferam impiorum hominum, qui conantur homines brutis reddere similes, vel etiam deteriores.* Tandem exclamat, *hæresim iniquam, prodigiosam, & nequiorem, quàm vnquam ex Satanica exierit officina.* Asserit rursum, *eam nominatim per Apostolos Petrum & Iudam in epistolis catholicis damnatam.* Vult deinde, *eos qui sopitam hanc hærsim redintegrant, obsoletas resarcire opiniones Simonis Magi, Cerdonis, Marcionis, Valentini, Gnosticorum, Manichæorum, Priscillianistarum & Borboritarum, quos propter horrendam blasphemiam istam, à cœtu Christianorum antiquissimi Patres semouerunt.* Huius veteris impietatis instauratores profert, *Copinum Insulanum, Quintinum Hannonien sem, Bertrandum Moletrinum, Claudium Perseualum, & Antonium Pocquinum, quos appellat, è lustris extractos helluones, ebriosos, funesta animalia, ex nefarijs stupris, ciuili cruore, scelerum & flagitiorum omnium libertate concreta: in quorum vultum totus mundus deberet conspuere, atque sordes inijcere.* Hæc ille tribus aut quatuor primis capitibus libelli, quem euulgauit contra Libertinos. DOCT. Certè vt video, ille contra se suosque copiosus est atque disertus. Paulò enim superius audisti eum docentem, *Deum auctorem esse omnium, quæ* (à Pōtificijs) *dicuntur per*

*Nicol. Galas. præfat. adu. Anabapt. & Libert.*

*Cal. lib. contra Libertinos cap. 3. & 4.*

*Ex gallico eius libro latina ad verbum facimus.*

*Lib. con. Libert. cap. 1. 2. & 3.*

*Instit. lib. 1. cap. 18. §. 3.*

*tur per eius permiſsionem aduenire.* Aduenium autem totius mundi peccata eius permiſſione. Igitur omnium peccatorum auctorem Deum Caluinus efficit. Et rurſum de cædibus, rapinis, violentijs beato Iob inflictis, ait: *Satan, ſceleſtique latrones miniſtri fuerunt, Deus author. Deus præcipuus author, Satan tantùm miniſter.* Itaque in faciem Caluini recidunt tot fœda maledicta, quot aduerſus Libertinos nunc euomuit: & ſeipſum, ſuarumque opinionum miniſtros atque Prædicantes ſuis depinxit coloribus: & quales eos reputare debeamus copiosè edocuit. Sed perbelli Apoſtoli Geneuani perſequere iudicium, propria confeſſione confirmatum.

MIN. His addit, *Martinum Bucerum in Chriſto ſibi venerabilem fratrem, facillimè eam Libertinorum comprobaſſe doctrinam: ſeque ac comminiſtros Geneuenſes hiſdem imprudenter inſeruiuiſſe tanquam lenones ad ſeducendas & perdendas miſerorum animas.* DOCT. Quid audio? Poteſt ne fieri, vt Caluinus parens veſter, eiuſdemque Theologiæ miniſtri ac Prædicantes, LENONES Libertinorum patiantur appellari? Idque ab eodem Caluino? MIN. Verba illius ſunt: *Oculis ipſis intueor impuros iſtos atque impudentes, nobis, id etiam ignorantibus, quaſi LENONIBVS vti, vt miſeras animas corrumpant.* DOCT. Si in noſtris concionibus aut ſcriptis illos hiſce pulcherrimis exornaremus epithetis, nos aut dentibus diſcerperent: aut ſaltem noſtræ immodeſtiæ teſtes cælum & terram appellarent. Sed quoniam liberè tales ſe eſſe confitentur, nolo reſiſtere. Dic quid poſtea agat Caluinus. 2. L. cont. Libert. c. 4.

MIN. Nouem ſequentia ſupra dicti libelli capita refertiſſima ſunt iniurijs & maledictis atrociſſimis, quæ ſummo animi ardore in miſerrimos diſcipulos ſuos eructat. Deinde adijcit, quę ex Gallico idiomate ad verbum Latinè reddam. *Ex hoc Libertino dogmate tria execranda eſſe notanda. Primum, confitendo Deũ authorem peccati, nullum ſupereſſe diſcrimen inter Deũ & diabolum. Nam quis ab his effingitur Deus, eſſet idolum deterius cunctis dæmonibus. Secundum, nulla homines modeſtia contineret à vitiorum ſordibus, eoſdemq; nullum deterreret conſcientiæ ſtimulus: ſed velut bruta, ſuum non contraherent appetitum, ignorantes* 3. L. cont. Libert. c. 13. 14. 15. & 16.

*quid inter bonum & malum insit discriminis. Tertium, nemo in posterũ auderet aliquid arguere aut iudicare: sed cogerentur adulteria, homicidia, atque latrocinia laudare & approbare. Omnia crimina, quamquam pessima, vt pulcherrima Dei opificis opera, miris laudibus efferre.* Concludit demum, *eos qui dicunt Deum esse peccati causam, malè admodum de ipso mereri, eò quòd grauius, quàm si eius potentiam negarẽt vel iustitiam: cùm eum sua etiã bonitate exuant, quæ præter cætera ei tamen propria est. Nec vllus* (ait) *vnquam poterit ostendere, Deum in latrone furari, in grassatore diripere, in homicida necare: & proinde execranda est blasphemia sic de Deo aut sentire aut dicere.* Hactenus ille libello aduersus Libert. DOCT. Quàm ergo perfidum ac nefarium censes eum fuisse hominem, qui nihilominus easdem impietates, quas hîc tã execrari se fingit, alibi prædicat & extollit? Quales Bucerus, Melanthon, Beza, & singuli huius farinæ ministri habendi sunt, qui eadem ipsa Libertinorũ placita tuentur: aut vt verius dicam, illa ipsa ante Libertinos libellis & prædicatiunculis disseminauerunt? Sed perge, atque insequere longius.

4. MIN. Idem auctor supra dictos errores magis ac magis improbat, dum in Harmonia personat, *Deum malí authorem non debere appellari, nec perditorũ ruinam eius præscientiæ attribui.* DOCT. Seipsum igitur manifestè condemnat, cùm vnum & alterum faciat, vt supra probatum est. MIN. Tuetur adhuc, *tentationes quæ alliciunt vel inducunt ad malum, non aliunde quàm à Satana dimanare.* DOCT. Errauit igitur pessimè, & Deum cum impio Satana miserè cõfudit, vbi literis mandauit: *Omnia peccata Dei esse opera, & Satanã tantum esse ministrum: & cùm diabolus dicitur excæcare, tantùm ei ministerium competere, Deum autem id in eo & per eum operari.*

*In c. 6. Matt. v. 13: & in c. 23. v. 1.*

*In c. 4. Matt. v. 1.*

5. MIN. Scribit rursum Com. in Ioannem: *Iudæorum cæcitatem & perditionem, ex ipsis solùm venisse.* Et postea: *Hominũ perfidia Deum nullo pacto accusandũ, propterea quod non nisi voluntaria malitia gratiam eius reijciunt.* Et iterum: *Increduli pereunt in tenebris, quia lumen sponte refugiunt.* Rursumque: *Christus Iudæ dicendo, Quod facis, fac citius, non sic adhortatur eum, vt putetur eum impellere ad malum.* DOCT. Cur ergo, & ipse, & Bucerus, & Melanthon, alij

*In c. 5. 10. 12. & 13. Ioan.*

alijs in locis, suis persuadet, Deum animas in errorem inducere, in pessimos affectus deflectere, in obstinatis animis improbitatem exercere, & Iudæ proditionem, vt Diui Pauli conuersionem æquè inter diuina opera referendam? Possent ne manifestius sibi repugnare, aut se mutuo mendacio deludere?

Ait item in illud primi capitis Epist. ad Rom. Propterea tradidit &c. *Tantùm id excipiamus, Peccati causam à Deo non prouenire: cuius radices in peccatore ipso perpetuò residant. Illud enim verè esse oportet: Perditio tua ex te Israel: in me tantùm auxilium tuum.* DOCT. An non ergo palam impius & nequam, cùm aliàs dicit peccatorum causam non assignari extra arcanum Dei consilium? Deumque autorem omnium, quæ à Catholicis dicuntur aduenire per eius permissionem? Distinctionem inter Dei permissionem & actionem, effugium esse vanum & solidum? 6. Osee 13.

MIN. Idem præterea, initio Institutionis scribit, *Scelera omnia Satanæ malitiæ tribuenda esse: vnicũ autem Dei Filium peccati non esse ministrum, cùm ipse venerit, vt diaboli opera dissolueret.* DOCT. Cùm peccati non sit minister, multo minus erit illius author, quemadmodum idem superius frequenter illum infamauit. MIN. Iterũ literis mandat, *Improborum excæcationem, & omnia quæ ipsam sequuntur flagitia, diaboli opera appellanda esse, horumque causam extra hominum voluntatem non esse requirendam, à qua totius periculi radix procedit.* DOCT. Ergo alibi eam tribuens diuino consilio, diuinæ voluntati & prædestinationi, in Deum impius est & blasphemus: atque agnitam veritatem oppugnãs, in Spiritum sanctũ delinquit peccato, quod ei nec in præsenti nec in futuro seculo remissum est. Et hæc satis superque ex Caluino: nunc ex te audire percupio, quid eius primarij discipuli & successores de eadem re senserint atque dixerint. 7. Præfat. Inst. l. 2. c. 4. §. 1.

MIN Primo igitur loco magnus Theodorus Beza post hũc, ore fero capricornus vadere pergit. Iste iurat, abiurat, negat, pernegat, furit, insanit, acclamat, vnum & alterũ dæmonem aduocat, *si Caluinus & ipse cogitarint vnquam talem educere impietatem, quam confidit non admi-* 8. L. cont. Castalion.

Conf. puncto 1. art. 3: puncto 3. art. 4: puncto 4. art. 8.

*niſi à deſperatis, & in omnem nequitiam profuſis, & qui præterea quæ exercuerunt vitia, ceciderunt in reprobum ſenſum. Profitetur ſe obnixè credere, Deum nullo modo conſciũm eorũ quæ vbique fiunt ſcelerum: Deum bonum nil poſſe niſi bonum facere: Deum improbos non debere punire, ſi auctor peccati videretur exiſtere. Suſtinet inſuper corruptionem naturalem veteris Adami, quæ radicitus in nobis innixa eſt, motus corruptos producere, à quibũ mala promanant opera.* DOCT. Interim audiuiſti, quemadmodum callidus ac perfidus iſte mœchus, eundem errorem in ſuis Aphoriſmis impudenter ſuſtinet: quare certiſſimum ac manifeſtum eſt eum ſe talẽ exhibere, qualem ſua notat cenſura. MIN. Sed vnde, quæſo te, accidit quòd tam ſtolidè ſuiipſorum obliti, tam ſæpe fœdeq; ſibi contradicunt? DOCT. Ex ipſa mẽdacij natura, quod nunquam poteſt vnum, conſtans & firmum, vt ipſa veritas, remanere. Deinde, hæreſis crimine cõuicti non poſſunt has deuitare notas, quibus ſolent à Paulo deſignari, videlicet, *quòd proprio iudicio ſint condemnati*. Præterea, cùm ab Eccleſia IESV Chriſti vltrò quidem egreſſi, ſint Chriſtianæ fidei proditores, pſeudoapoſtoli, ac Iudæ Iſcarioti perſimiles, qui tum obſequentiſſimum diſcipulum ſimulabat, cùm neſariam traditionem moliebatur & exercebat. Salomon præclarè eiuſmodi bilingues & duplices animo viros impudentibus adulteris ac proſtitutis facit perſimiles, quæ in omni obſcœna libidine volutatæ, nihilominus pro pudicis audent ſeſe effingere, negando ſe peccaſſe, multasque euomendo iniurias, in eos qui volunt reprehendere. Cyprianus Martyr eos etiam appoſitè admodum comparat cum ſalaciſſimis duobus adulteris, qui ſeſe adulteriorum vindices acerrimos fingebant, pudiciſſima matrona etiam in periculum adducta, cùm tamen ipſi eſſent omni libidine & ſpurcitia repleti. Eodem modo Caluinus, Beza, & comminiſtri poſt quàm aperto gurture contra ſummam Dei bonitatem & integritatem vociferarunt, eamque docuerunt iubere, ordinare, impellere, nec non cooperari in omnibus ſceleribus turpiſſimis, quæ ab hominibus vel dæmonibus vnquam fieri poſſunt: mox ſimulato animo dictitant, ſe nunquam

Tit. 3.
2. Cor. 11.
Prou. 30.
Dan. 13.

quam talia cogitasse, imò & in Libertinos talia audentes calamum strinxisse, tandemque dolia iniuriarum plena effundunt in eos, qui hoc crimine eosdem insimulant. MIN. Sua itaque eos maximè obcæcat malitia, existimantes sic totum cæcutire ac desipere mundum, vt eorum contradictiones nec videat nec deprehendat. Sed iam ego ex ipsis hostibus protuli, quæ aduersus eosdem facere putaui: tu nunc quoque aduersus illos decerta.

DOCT. Quisquis decem absurda, quæ ex superioribus hæresibus consequuntur, & quantum infinita Dei bonitas & integritas ex his blasphemetur, seriò cogitabit, illas toto pectore abhorrebit atque detestabitur. Primùm enim ex his regulis sequeretur, *Si Deus dementi reprobæ vnde perdi mereatur*, vti Bucerus autumat, quòd superbia, auaritia, luxuria, inuidia, gula, homicidia, falsa testimonia, cæteraque cuncta peccata mortalia Deo vt datori & largitori essent imputanda. *Si efficaciter ipse seducit, fallit, indurat*, vt idem prædicare non timet; Deus (non mihi, sed Bucero imputetur blasphemia) est seductor, fallax, in malis pertinax, & crudelitate non humanitate plenus. *Si ad obscœnas cupiditates animos hominum abducit, allicit, & impellit*, vt eidem Bucero placet; omnes cogitationes obscœnæ, impuræ, nefariæ, ac flagitiosæ, omnia furiosa desideria, etiam si Thiestea & Sodomitica essent, à Deo immissa esse spiracula iure dicerentur: & non ex corde humano exirent malæ cogitationes, furta, adulteria, quæ coinquinant hominem, sed ex Deo. *Si Deus non sit fatendus, nisi omnia* (inter quæ peccata etiam connumeranda volunt) *in omnibus operetur*, vt est etiam Bezæ atque Bucceri sententia; cùm aliâs Hugnostici dicant, non esse Deum, si peccatorum author sit, omnem pernegant Deitatem, & multo insolentius blasphemant, quàm qui in inferorum tenebris tormentisque detinentur. *Si Deus in induratis ea omnia facit, quæ ipsi facere videntur*, veluti Martinus ille censuit; Deus actor est effusi cruoris innocentis, incendiorum, blasphemiarum, desperationum, spontanearum suspensionum, & præcipitationum, omniumque malorum, in quæ desperati

Confutatio ex absurdis consequentibus.

1.

2.

3.

*Matth. 15.*

4.

5.

6. homines ſe præcipitant & inijciunt. *Si illata Pharaonis & ſimilium tyrannorũ velit conſilia*; ſanè Deus Bucericus & Caluinicus non eſt ille quem prædicauit Moyſes, quem coluit Hebraicus populus, in quemque crediderunt Abraham Iſaac & Iacob, quique virũ ſanguinum
*Pſal.5.* & doloſum habet odio, & pater dicitur Domini noſtri
7. Ieſu Chriſti. *Si adulterium Dauidis & proditio Iudæ eſſent æquè opera Dei, vt conuerſio Pauli*, quemadmodũ Melanthon iudicauit; ſine controuerſia, Deus (exhorreſcant cęlum & terra ad tam nefandam Creatoris ſui cõtumeliam) eſſet nuncupandus adulter, mœchus, impurus,
8. proditor, perfidus, inhumanus, &c. *Si cædes, rapinæ, direptiones, Deus in Satana, Sabæis & Chaldæis operatus eſt*, vt Caluini reproba mens eſt; Deus cẽſendus eſt homicida, raptor, prædo; & raptores, homicidæ, prædones Deo
9. ſunt gratiſſimi & acceptiſſimi. *Si obcæcationes, defectiones, & idolorum cultus*, qualis ſub Ieroboamo cõtigit, *ſunt Dei præcepta*, vt Ianus Caluinus ſcripſit; Deus ſibi omnino cõtrarius & repugnãs eſt, qui talia ſcelera tam diſtrictè
10. prohibuit *Si author eſt omniũ quæ permiſſione eius fieri Pontificij diſſitant*, vt veſter dictat Pontifex, erit etiam patrator omnium ſcelerum, quę ab hominibus ſimul ac dæmonibus cõmittuntur. Ecqua igitur iuſtitia vel æquitate iudicaturus eſt viuos & mortuos, cùm etiam iuxta Bezam, *non debeat punire, quos voluit peccare?* MIN. Hęc ſanè abſurda, cum his, quę etiam ipſi paulò ſuperius ex proprijs regulis eduxerunt, coniuncta, debent ſatis ſuperque refutare id omne, quod aduerſus bonitatẽ Dei euomuerunt; & in omnibus conſcientijs, in quibus aliqua ſupereſt religio, perpetuum tantarum blaſphemiarum odium atque horrorem infigere.

Confutatio per rationes certas & manifeſtas.

DOCT. Illud profectò verum: ſed præſtat vlterius etiam progredi, atque firmiſſimis & apertiſſimis rationibus harum propoſitionum impietatem refellere: Dei aũt omnipotentis ſummam innocentiã & ſanctitatẽ defendere: tum ad Scripturę teſtimonia veniemus. Primò itaque hanc rationem illis obijcio. A ſumma & infinita bonitate nihil niſi bonũ poteſt procedere:
*Matth.7.* vt ex arbore bona, fructus boni ac ſuaues; ex limpido
*Rom.11.* fonte, puri riui; & ſi radix ſancta eſt, ſancti quoque & rami,

rami. Atqui Deus non ſolùm natura ac Deitate ſanctus eſt, ſed & ipſa ſumma perfectaq; ſanctitas, bonitas, innocentia: &, vt inquit ad eum Auguſtinus, Credimus te eſſe aliqd quo nihil magis aut melius cogitari poſſit, ſicq; ſummum bonum in quo ſunt omnia bona: quare nulla prorſus poſſunt ab eo procedere crimina. *Manuali, c. 32.*

Secundò, omne peccatū hominem auertit & diſtrahit à ſui Creatoris amore, reuerētia & obeditione; conuertit autem ad creaturā modo prohibito, ac rectę rationis terminos excedente. Nam adhærere Deo ſic bonum eſt, vt auerti ab illo ſit cadere, & in illum conuerti reſurgere ſit. Et de quibuſdam peccatoribus dicitur, *Euerterunt ſenſum ſuum, & declinauerūt oculos ſuos, vt non viderent cælum, &c.* Sed Deus omnipotēs non poteſt auerti aut diſtrahi à ſeipſo, vt nimio ac prępoſtero zelo conuertatur ad res creatas: ergo non poteſt cuiuſcunque delicti auctor haberi. 2. *Dan. 13.*

Tertiò, omnis opifex ab arte quam exercet nomen accipit; vt faber rectè appellatur, qui rebus fabrilibus operas ſuas impēdit; agricola, qui agros colit; ſeditioſus, q ſeditiones cōcitat; homicida, q homines occidit; fur, qui furatur; tentator, qui tentat; fornicator vel adulter, qui ſtuprū matronis infert; & vt à coniugatis elicitur, *quicunq; facit iuſtitiam, iuſtus eſt*; qui verò iniuſtitiā, iniuſtus. At verò, etiam ipſi cacodæmones horrerent, Deum optimum & maximū palam dicere latronem, homicidam, perfidū, proditorem, &c. Caluinus igitur & qui eum ſequuntur, acerbiſſimè & intoleranter blaſphemant, appellando eum *authorem ac opificem omnium peccatorum*, quæ ſola eius permiſſione fiunt. 3. *1. Ioan. 3.*

Quartò, omne peccatū vel ab ignorantia, vel infirmitate, vel malitia, vel denique alterius ſuggeſtione ac tentatione procedit. Peccarunt enim Noe, Lot, & Paulus ex ignorantia: Dauid, Bethſabæa, Petrus, Magdalena infirmitate: cacodæmones malitia: primi parentes ſerpentis ſuggeſtione. Huiuſmodi autem affectiones ſeu imperfectiones non poſſunt cadere in Deum noſtrū, imò perfectionibus eius naturalibus omnino repugnant: itaque nec peccati minima ſuſpitio. 4.

Quintò, omnis cauſſa perfecta & abſoluta nititur ſu- 5.

os effectus reddere perfectos & absolutos: quemadmodum videmus industrios & ingenuos artifices omnē ingenij subtilitatem & dexteritatem adhibere, vt sua possint opera & complere & expolire. Sed nihil est Deo perfectius, nihil è contrario homine delinquente imperfectius, nihil denique peccato deformius ac turpius: non potest itaque à tam sapiente, industrio, & perfecto artifice procedere.

6. Sextò, non potest Deus esse hypocrita, *vt vir duplex, animo inconstans in omnibus vijs suis*; aliud habēs in pectore, aliud in ore; strictissimè aliquid in ore ac oculis omniū prohibens, quod secretò ipse vel faceret, vel ad faciendum inclinaret atq; impelleret. Sed omnes eius leges, omnia per Moysen eius mandata, omnes voces Prophetarum, omnes epistolæ Apostolorum, omnes conciones discipulorum eius, vetant peccata facere; peccatoribusq; pœnas æternas acerbissimasque comminantur, ni maturè resipuerint. Ergo luce meridiana clarius est, Deum nec dæmonibus, nec improbis hominibus peccata vel suadere, vel eos ad ea committenda impellere, tantùm abest vt eadem in his tanquam præcipuus author operetur, vt ter quaterq; ministri Hugnostici cū cæcis ductoribus suis Beza & Caluino cōminiscuntur.

*Iacob.1.*

**Confutatio per Scripturas sacras.**

MIN. Tam valentes & firmæ videtur mihi sex istæ rationes, vt oēs superiores errores funditus euertant, diuinamq; bonitatem ac integritatem plurimū in cordibus hominum astruant: & quicquid in contrarium obmurmurent vel adferant huius Caluiniani erroris patroni, his nunquā satisfacere poterūt. Tempus est vt aduersus hæreses istas, quę ex scripturis sacris dispositi iam adferas, vt omnibus modis labefactētur & conuellantur.

1. DOC. Initio statim Bibliorū scribitur, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erāt valde bona. Et benedixit cunctis operibus suis.* Additq; Moyses, *Dei perfecta sunt opera, & omnes vię eius iudicia. Deus fidelis, & absq; vlla iniquitate, iustus, & rectus.* Dauid etiā canit: *Iustus Dominus in omnibus vijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Et Sapiens cōuersione ad eum ait: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Atqui manifestum est peccata non esse valde bona, non esse benedicta, non esse perfecta,

*Gen.1. Deut.32. Psal.144. Sap.11.*

non

non esse sancta, nō esse dilecta à Deo. Igitur eorum author esse nunquam potest.

2. E contrario autem palam testificantur Scripturæ, Deo summè inuisa esse omnia peccata, sic, vt iuxta Sapientem, *similiter odio sint Deo impius & impietas eius.* Et *Sapient. 14.* secundum Dauidem, *Deus est non volens iniquitatem. Odit* *Psalm. 5.* *omnes qui operantur iniquitatem, perdet omnes qui loquuntur* *Psa. 13. et 52.* *mendacium. Virum sanguinum & dolosum abominatur. Impij* *Psalm. 44.* *corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis. Odit obseruantes iniquitates superuacuè. Diligit iustitiam, & odit iniquitatem.* Et hominum sapientissimus Salomon ait: *Prouer. 6.* *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius. Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mēdacia testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.* Quonam igitur pacto Deus homines ad peccandum inclinaret aut impelleret? Aut quomodo iniquis præciperet ea exercere, quæ toties sibi profitetur displicere? Posset ne fieri vt ipse vel in peccantibus, vel per peccantes illa faceret, quæ tantopere abominatur? MINIS. Profectò nec id verisimile, nec credibile est: imò cum tantùm conniuere vnumquenque permittendo *in manibus consilij & arbitrij sui.* Et ea propter nec peccata de- *Eccli. 16.* cernit, nec ad peccandum destinat, nec peccata imperat, nec eorum author est, vt nebulones prædicant, & cum Caluino suo fabulantur. *Deut. 30.*

3. DOCT. Imò contra omnem peccandi rationem strictissimè iubet bonis operibus intentum habere animum, vt potè, *Dominum Deum nostrum diligere ex toto corde, ex tota anima, ex omni mente, & ex omnibus viribus: atq;* *Exod. 20.* *Deut. 6. 11.* *19. & 30.* *proximum sicut seipsum. Diem sabbati pijs operibus sanctificare. Parentes omni officio colere:* magistratus vereri, Reges honorificare, æquales honore præuenire, inferiores nō temnere, pascere famelicos, vestire nudos, hospites tecto colligere, visitare infirmos, soluere captiuos, mortuos terræ mandare, consolari pusillanimes, fractos & oppressos erigere, orare pro inimicis, maledicentibus benedicere, & benefacere his qui oderunt nos. Nulli malum pro malo reddere, & prouidere bona non tan- *Exod. 22.* *Rom. 13.* *1. Pet. 2.* *Matth. 5. 19. 25.* *Isaiæ 35.* *1. Thess. 5.* *Rom. 12.*

tùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus,&c. Cur igitur Satanæ maleficia decerneret, eiuſdem malitiæ ac furori ad inuadendum ſeruos ſuos cooperaretur? Graſſatoribus rapinas facere, homicidis cædem committere, lubriciſque ſeipſos & alios fœdè contaminare ſuggereret?

4. Nonne etiam vetat ſeuerè, deos habere alienos, eis ſimulacra fingere, idola colere, nouas religiones introducere, & nomen ſuum in vanum aſſumere? Nonne ſunt hæc Diuina peccatorum interdicta, *Non occides, Non mœchaberis, Non falſum teſtimonium dices, Non furaberis, Non concupiſces domum, non coniugem, non ancillam, non bouem, non aſinum proximi tui? Aduenam non contriſtabis, neque affliges eum. Viduæ & pupillo non nocebitis. Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices. Non ſuſcipies vocem mendacij. Non ſequeris turbam ad faciendum malum. Non declinabis in iuditium pauperis. Inſontem & iuſtum non occides: quia auerſor impium. Peregrino moleſtus non eris? & cæt.*

*Exod. 20. Deut. 5. Matth. 5. Rom. 7. Epheſ 6. Exod. 22. Exod. 23.*

MINIS. Reuera reformationis noſtræ Authores dicentes Deum mortales impellere ad mala; præcipere prædari, necare, innocentes damnare & crucifigere, mentiri, ſeducere, incautos fallere, cætera vitia deſignare, faciunt Deum perfidum & fallacem, qui aliter loquitur quàm fieri cupiat: inſuper vafrum & inconſtãtem, qui hominum conſcientias ancipites & dubias relinquere delectetur. Quę omnia tam ſunt abſurda, & cum diuina bonitate atq; integritate pugnantia, vt ſola horum commemoratio mortalium corpora & animas horrore perfundat.

5. DOCT. Dum de falſis prophetis hæreticisq; veteribus, qui ſe miſſos à Domino, & nihil quàm purum ac putum verbũ eius crepare gloriabantur, per veros prophetas loquitur, *Falsò vaticinantur in nomine meo*, inquit, *non miſi eos, & non præcepi eis, neq; locutus ſum ad eos. Nolite audire verba prophetarum qui prophetant vobis, & decipiunt vos, viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini. Non mittebam eos, & ipſi currebant: non loquebar ad eos, et ipſi prophetabant. Non miſi eos, et ipſi prophetant mendaciter in nomine meo, &c.* Cùm ergo toties Deus ſe ignorare illos dicat; eorumq; doctrinam ab ijſdem inuentam, & non

*Ierem. 14. Ierem. 23. Ierem. 27. Ierem. 29.*

cæli-

cælitus reuelatam asserat: Caluinus certè eum mendacij flagitiosè insimulat, affirmando, *Deum seductores immittere, errores eis inspirare, imò & ipsum tam per eos, quàm per Satanam miseros homines in errorem adducere.* MINIS. Enimuerò clarum est, eum non mădasse Aegyptiacis magis, vt Moysi se opponerent; nec Baalis ministris, vt decem tribus excæcarent: nec Sadducæis, vt atheismo viam munirent; nec primis illis Christianorum hæresiarchis Nicolao Antiocheno, Simoni Mago, Ebioni, Cerintho, Hymenæo, Phileto, & alijs absq; numero, præcepisse, vt fœdissimis erroribus se vel alios conspurcarent. Quamobrem in Deum contumelios⁹ est Caluinus, summæque illius veritati & integritati multum detrahit, secreto quantumuis consilio eius tribuendo causam tantorum errorum. Insuper eidem infert iniuriam, cùm scribit, dæmonem mendacij parentem, dum homines fascinat & illudit, *expresso Dei præcepto illud facere.* Cur enim idē Dominus diceret, *Salus tua ex me, sed perditio tua ex te, Israel,* si iucundissima essent ei hominum flagitia? Aut idem eadem in illis operaretur?

*Exod. 4.* *3 Reg. 18.* *Act. 7. & 8.* *Irenæ. lib. 1.* *Tertul. lib. præs.* *Epiph.* *Oseæ 13.*

DOC. Tantum abest vt se furentis ac barbaræ crudelitatis, quam aduersus Israelitas Chaldęi exercuerūt, authorem exhibeat, & per consequens furta, direptiones, incendia, stupra, sacrilegia eorum sint opera illius, sicut Ianus vester pronunciat; vt è contrario, sanctissimi Prophetæ solam peccatis humanis causam referant. *Præuaricati sunt iniquè* (aiunt) *iuxta vniuersas abominationes gentium, & polluerunt domum Domini, quam sanctificauerat sibi in Ierusalē, &c. Et adduxit super eos regem Chaldæorum, & interfecit iuuenes eorum gladio. Non est misertus adolescentis, & virginis, & senis, nec decrepiti quidē.* Et Psaltes ait: *Sederunt in tenebris & vmbra mortis vincti in mendicitate & ferro, quia exacerbauerunt eloquia Dei, & consilium eius irritauerunt. Propter iniustitias enim suas humiliati sunt. Posuit terram fructiferam in salsuginem, à malitia habitantiū in ea.* Alius quoque primò captiuos interrogat, *Quid est, Israel, quod in terra inimicorum tuos?* secundò autem respondet. *Dereliquisti fontem sapientiæ. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtiq; in pace super terram.* Alius deniq; omnium concaptiuorum nomine iliados malorum suorum

6.

*2. Paral. 36.* *Psalm. 106.* *Baruch 3.*

*Dan.3.* *Dan.9.* ſuorum cauſſam agnoſcens & prædicans ait: *Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, receſſimus & declinauimus à mandatis tuis. Non obediuimus ſeruis tuis Prophetis, qui locuti ſunt nomine tuo Regibus & Principibus noſtris. Domine, nobis confuſio faciei, quoniam omnes peccauimus, &c.* Quid in his verbis diuinorum Prophetarum animaduertis? quid obſeruas? MIN. Captiuitatem Babylonicam certè, & cuncta mala, quæ hanc ſunt comitata & ſequuta, peccatis hominum imputari: & Dominum vltionum propter illa populum ſuum Chaldæis caſtigandum quidem tradidiſſe: ſed non audio, Deum authorem eſſe immanitatis, barbarici, ſummæque crudelitatis Chaldęorum, vti confinxit Caluinus. Peccata igitur ſiue barbarorum, ſiue Iſraelitarum malitiæ ipſorum deputantur: ſupplicia verò his debita à Deo inferuntur.

7. *Tertull. lib. 2. adu. Marc.* DOCT. Rectè ſanè, & iuxta antiquiſſimi acutiſſimiq; Theologi mentem ſcribentis: Nos ſeparatis malis delicti & malis ſupplicij, malis culpæ & malis pœnę, ſuum cuique parti definimus authorem. Malorum quidem peccati & culpæ, diabolum; malorum verò ſupplicij & pœnæ, Deum creatorem: vt illa pars malitiæ deputetur, iſta iuſtitiæ, mala condenti iudicia (i. ſupplicia decernenti) aduerſus mala delicta. Quibus hoc præclarum Auguſtini iudicium annectendum videtur opportunum: Deteſtanda & abominanda opinio *Reſp. ad articul. ſibi falſo impoſitos. art. 10.* eſt, quæ Deum cuiuſquam malæ voluntatis aut malæ actionis credit auctorem. Adulteria enim matronarum, & corruptelas virginum non inſtruere nouit, ſed damnare: nec diſponere, ſed punire. Et aliquantò poſt, idem ait: Nefas eſt Deo aſcribere cauſas talium *Articul. 13.* ruinarum, qui & ſi ex æterna ſcientia præcognitum habet, quid vniuſcuiuſque meritis retributurus ſit: nemini tamen per hoc quod falli non poteſt, aut neceſſitatem, aut voluntatem intulit delinquendi.

8. MIN. Præſtat Patrum teſtimonia in aliud tempus differre, & ad ſcripturas redire. DOCT. Tantum quoque abeſt vt Deus nos vel ad peccandum impellat, vel etiam ſupplicijs miſerorum delectetur; vt aut menſura delictorum humanorum, aut execratione fœditateque

que eorum de cælis vindictam repoſcente, ipſe vlturus quaſi mœrens & inuitus exclamet. *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis?* Quibus oſtendit ſe miſerijs humanis, multo autem minus peccatis nullo pacto delectari. Frequenter ſe paſtorem & patrem hominum dictitat. At, qui nam verus eſt paſtor, cui diſpergere, deglubere, ac mactare gregem arrideat? quis bonus pater, qui amantiſſimos liberos, ad nefaria ſcelera velit perducere, vt eos poſtea omnibus tormentis excruciet? Si caput eſt militantis Eccleſiæ, ſua cur proſtitueret membra? Si ſponſus animarum, earumque adeo Zelotes vt inclamat; quomodo illas ad fœdas cogitationes, prauoſque affectus inclinaret, emoueret, inflammaret? Si velit membra, corda, & corpora noſtra ſua dici & eſſe habitacula, vellet forſitan effuſis concupiſcentijs eadem contaminari, & criminibus execrandis profanari?

*Iſaiæ 1.*
*Iſa. 40.*
*Ierem. 17.*
*Ezech. 35. & 37.*
*Iſa. 63. & 64.*
*Ierem. 2.*
*Ierem. 3.*
*Oſe. 2.*
*Cant. 4. & 5.*
*Apoc. 18. 21. & 22.*
*1. Cor. 3. et 6.*

Putareſne etiam, Filium Dei iuſſiſſe, vt oremus, *ne inducamur intentationem, ſed liberemur à malo* & maligno, ſi Pater inclinaret, vel etiam in nobis aliquid mali faceret? MIN. Nemini dubium eſt omnem malitiam ab immundo & maligno ſpiritu procedere, à cuius inſidijs & ſuggeſtionibus petimus liberari: non autem à cœleſti Patre, omnis ſanctitatis & iuſtitiæ fonte vberrimo. Ideo Satanas dicitur *Spiritus immundus, ſpiritus mendax, & parens mendacij:* Iudæi quoque eius liberi, quòd eius fraudem & malitiam imitarentur. Quare vniuerſa vitia à tentationibus Satanicis procedunt, non autem à decretis cæleſtibus: præcipuum authorem habent principem tenebrarum, non ſanctiſſimum Creatorem: & quiſquis contrarium dicet, lucem tenebris offundet, vitam cum morte, cælum cum terra, virtutem cum vitio, Paradiſum cum inferno, Deum benedictum in ſecula cum maledicto diabolo cõmiſcebit.

9. *Matth. 6. Luc. 11.*

*Ioan. 8.*

DOCT. Idem rurſum Filius Dei quaſi digito commonſtrans omnium peccatorum fontem ac originem, non arcanum Dei conſilium, non ſecretam Patris ſui voluntatem refert: ſed affectus cordis corrupti atque deprauati, inquiens: *De corde exeunt cogitationes male, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia,*

10. *Matth. 15.*

*nia blasphemiæ, &c. Et hæc sunt quæ coinquinant hominem.*
Galat.5. Apostolus quoq; enumerando aliquot criminum species, vt sunt adulteria, impudicitia, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes: hæc omnia disertè appellat *opera carnis*, quæ spiritui resistunt, & Diuinæ legi aduersatur: nunquam verò, opera Dei, vt impij garriunt Hugnostici.

11. Ad hæc, Iacobus frater Domini de internis tentationibus, & diffusis cupiditatibus verba faciens, eas expressè prohibet dicere à Deo venire, vt Caluinianæ
Iacob.1. Theologiæ assertores faciunt: sed alium malorum nostrorum fontem indicans, ait: *Deus neminem tentat. Vnusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Concupiscentia autem cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* MINIST. Manifestum est igitur peccata non admitti decreto, consilio, aut impulsu diuino, multo verò minus eorum authorem Deum esse, qui nec cæcitatem cordium nostrorum procurat, nec ruinam.

12. DOCT. His addamus, si placet, Deum illos non reprobare vel perdere, sed benedicere ac seruare, qui mãdatis suis obtemperant, consilia sequuntur, & pro viribus sanctissimæ voluntati suæ animos mentesq; con-
Mat.7.et 12. formant. At verò authores superius enumeratorum
Marc.3. peccatorum, iuxta Euangelicam & Apostolicam do-
Io.5.7.& 9. ctrinam, non seruantur, sed malè pereunt. *Nam qui mala egerunt, ibunt in resurrectionem iudicij*, cùm eis dicetur,
Matt.25. *Discedite à me operarij iniquitatis, Ite maledicti in ignem æ-*
Rom.2. 2.Cor.6.& 15. *ternum. Qui talia agunt digni sunt morte: nec regnum Dei possidebunt.* Itaque scelera non possunt esse à Deo constituta vel decreta: multo minus opera eidem grata, vel à voluntate eius profecta. MINIST. Id efficit profectò vt nunquam animus conquiescat, & potissimum cùm audio Caluinum de homicidijs, expilationibus, crudelitate prædonum & Satanæ agentem, ista effutire verba: *Satan et scelesti latrones ministri fuerũt, Deus*
Inst. li.1. ca. 18. §.1. *author. Sic placuit Deo. Deus hoc opus suum pronunciat. Deus præcipuus est author, Satan tantùm minister.*

DOCT.

DOCT. Ecquo nam pacto tot scelerum & offen- 13.
diculorum author esset, qui magno animo execratur *Matt.* 18. 23.
hominem scandali authorem? Execratur hypocritas, & 26.
qui hominibus cæteris regnum Dei intercludunt, qui domos viduarum destruunt, dilapidant, subuertunt? Execratur proditorem, cuius perfidia filius hominis tradendus erat in manus peccatorum? Quibus argumentis posset facilius ostendere eiusmodi crimina sibi displicere, ac prorsus intentioni & voluntati suæ repugnare, quàm criminum authoribus tanta authoritate & grauitate diuinoque ore maledicendo, & horrenda mala in eos ventura prædicendo? Si eos qui prá- *Matth.* 18.
ua dispargunt scandala, eos dico qui vel perdito consilio, vel malæ vitæ exemplo alios ad peccandum alliciunt, Dei Filius adeo tragicis maledictis insectatur: vtrum sibi gratulari Satanas poterit, aut scelesti latrones adblandiri; cùm in desperationem & blasphemiam Iobum tentarunt perducere? MINIST. Equidem puto authorem defecatæ religionis nostræ dæmoni mancipatum, omnem tunc cum sensu communi rationem posuisse, cùm tam absona in lucem emisit. Sunt etiam improbissimi, & à Diuino Spiritu spreti & derelicti, qui tam absurdam & sceleratam amplectuntur sententiam.

DOCT. Finis rursum ac scopus aduentus Do- 14.
mini nostri in carnem prædictas hæreses fortissimè *Genes.* 3. 12.
conuellet. Missus siquidem à Patre, venit *vt contereret* & 26.
*caput serpentis: dissolueret opera diaboli: principem huius mun-* 1. *Ioan.* 3.
*di eijceret foras: fortem armatum de præsidio ac munitione* *Ioan.* 12.
*sua depelleret: destrueret eum qui habebat mortis imperium,* *Luc.* 11.
*diabolum*: Venit vt in eo, & per eum *benedicerentur* o- *Hebr.* 2.
*mnes gentes: venit vt deleret iniquitatem, & sempiternam* *Dan.* 9.
*iustitiam constitueret: venit vt tolleret peccata mundi: venit* *Mat.* 1. *et* 28.
*quærere & saluum facere quod perierat*: venit vt imperium *Io.* 1. & 20.
peccati, mortis, inferni, & diaboli peccatis nostris sub- *Matth.* 9.
nixum dissiparet. MINIST. Ergo impossibile est *Luc.* 11.
Deum peccata nostra arcano consilio suo decreuisse, mundum in errorem induxisse, imò & peccatorum præcipuum authorem esse: alioqui nec Deus Pater veritati ac synceritati fuduisset, sed (quod omnino absit)

absit) turpissimo mẽdacio perfusus sordesceret: nec Filius salutem hominũ absoluisset: nec Spiritus sanctus nos quotidie sanctificaret: nec veritatis assertores essent Prophetæ & Apostoli. Quinimò, si Deus (vt Caluino placet) præcipuus author esset omnium, quæ solent à Satana, sceleſtis latronibus, ac spudoprophetis improbissimè machinari, regnum diaboli constabiliret, non destrueret: & tyrannidem eius supra genus humanum augeret atque comprobaret, non tolleret. Si omnia quæ diaboli crudelissimè contra pios exercent, à Deo Patre ordinata, destinata, & imperata essent; Filius eius tot dæmones humanis corporibus non ejecisset, nec arma quibus eijcerentur Ecclesiæ suæ pastoribus suppeditasset: nec ad dissoluenda opera eorum in mundo apparuisset.

*Matth.9. Luc. 10. Marc.16. Luc. 11. 1. Ioan.3.*

15. Præterea, nobiscum fatentur Sectarij vestri, IESVM Christum iustissimum ac æquissimum venturum esse iudicem viuorum & mortuorum, *qui reddet vnicuique iuxta opera sua, siue bona, siue mala*. Si verò prauæ cogitationes & cupiditates, blasphemiæ, errores, furta, latrocinia, proditiones, immanitates, aliaque nefanda opera tenebrarum essent à Deo ordinata, immissa, vel etiam (vt Melanthon & Bucerus blaterant) *ipsiusmet Dei opera*, quo pacto illa iustè coarguere, damnare, punire posset? Quis iudex æqui amans & tenax prehensionem, vincula, tormenta, secures, aut cruces, contra homicidæ gladium consignabit, vt ipsum homicidam liberum dimittat & illæsum? An non potius ille plecti debet, qui damni ac iniuriæ præcipuus author est, non autem instrumentum, quo illud ipsum effectum est? Omnes porrò impios vestri Præceptores aiunt in impietatibus suis admittendis, *tantùm esse Dei ministros & instrumenta, & vt securis aut gladius in manu homicidæ: Deum verò præcipuum authorem*: itaque sceleſtos omnes iustificant, vt Deum velut reum criminentur & damnent. *Quomodo Deus iudicabit hunc mundum*, ait Paulus, *si* apud eum iniquitas: & peccatorum, iniquitatumque præcipuus est author? MINIST. Proculdubiò quicunque delictorum humanorum Deo præcipuam causam tribuit, eidem ius & authoritatem iusti iudicis adimit;

*Matth.25. Ioan 5. Act.1. & 10. 2. Tim.4. Psalm.61. Rom.2. Apocal.2.*

*Rom.3.*

adimit; sua cum exuit iustitia & æquitate, sede maiestatis suæ deturbat; futurum iudicium cum atheis pernegat; & his omnibus sese opponit, quæ verbo Dei de paradiso & inferis credenda proponuntur. Quocirca firmissimè credo, & nullatenus dubito, quod sicut *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum; sic omne peccatum, omnem mentis excæcationem, omne prauum desiderium*, exilire à cacodæmone tenebrarum principe; ac proinde peccata iustè dici *opera tenebrarum*. Ex quibus sequitur, cum qui scripsit, *Deum peccatorum esse præcipuum authorem, Satanam verò & improbos tantùm ministros*, pessimam totius mundi blasphemiam commisisse, & deterrimum virus acerbitatis sue in SS Dominũ Deum suũ damnabiliter euomuisse. *Iacob. 1.* *Rom. 13.*

16. DOC. Vis vt ex sanctorum vetustissimis monumentis longius persequar, ac euincam Caluinũ, Bezam, alios superiorum errorum Predicantes, his in rebus discipulos esse, impurissimi & ab Apostolis maledicti Simonis Magi, deinde Marcionis, Manichæi, Priscillianni, quos propter hoc portentosum dogma vetus & Catholica damnauit Ecclesia? Vis comprobem Hugnosticos vestros, per hanc, & plurimas similes impietates sacrosanctum Euangelium Christi, in spurcissimum detorquere ac deformare maledicti Maometis Alchoranum? Vis sanctissimorum veterum Ecclesiæ pastorum & doctorum amplissimis testimonijs ostendã, quomodo cuncti constanter decertarunt, & magnopere prædictas hæreses exorientes restinxerunt, semperq; defenderunt, Deum nullo modo malorum culpæ cogitandum vel dicendum esse authorem? MIN. Sanè gauderem, & fructum (scio) amplissimum ex his referrem: sed quia multa alia restant examinanda, si vnã tantùm & alteram, de qua Caluinus gloriatur, obiectionem dissolueris: huic quæstioni finem imponemus.

17. Obiection. *Prouer. 16.* *Melanthõ in Prouerb.* Triumphum primò sibi amplissimum repromittit ex hac Salomonis sententia, *Vniuersa propter semetipsum facit Dominus, impium quoq; ad diem malum*. DOC. Ex Caluini charissimo interprete Melanthone, ad hanc illius obiectionem respondeo, Salomonem non dicere, Deũ efficere impietatem in hominibus: sed pœnas improborum

borum testificari de prouidentia, quasi dicat, Quia mali retrahuntur ad pœnam, necesse est esse in Deo Prouidentiam & iustitiam. Ideo verbum facit, referendũ est ad pœnam. vt sit sensus: Impium qui propria voluntate peccat, facit, id est, ordinat Deus ad pœnam. Nam Deus nequaquam est causa impietatis; sed postquam impius propria voluntate peccauit, ordinat eum Deus ad pœnam, quæ reuelabitur in die iudicij; pœna autem est illustre testimonium iustitiæ Dei. V niuersaliter enim comitantur pœnę delicta. Ita prouidentiam esse affirmat, quia bona ordinari à Deo manifestũ est. Deinde, & pœnas esse à Deo certum est. Est igitur prouidentia. Hactenus Melanthon aduersus Caluinianos.

18. M I N. Gloriatur insuper, quòd scribatur: *Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, et creans tenebras; faciens pacem & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc.* Et iterum: *Si clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescet? Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecit?* DOC. Si tibi ac Comministris nõ arriserit solutio superius laudata ex Tertulliano, quæ etiam Aug. & omnibus Christianis postea placuit; illa nimirum Prophetarum oracula intelligenda esse, de malis pœnarum & supplicio rum, non autem delictorum & culparum: sectarum hodiernarum parentem Martinum Lutherum loquentem exaudi. *Lucem et tenebras,* inquit, *allegoricè accipio, pro successu & calamitate. Quasi dicat, si petitis pacem, & liberationem, postulate eam à me. Sin metuitis calamitatem, me timete. Ego enim vtrumq; creo. Est necessaria hæc iactatio potentiæ contra scandalum infirmitatis.* Quod etiam apud Amos dicitur, idem de futura captiuitate, incendio vrbis, ac insigni persecutione, id est, grauissimis aduersis interpretatur: sicq; ex Luthero & Lutheranis habes dissoluta Caluinianorum potissima fundamenta.

*Isaiæ 45. Amos 3.*

*Luth. in Isa. & Amos.*

19. M I N. Postremum Caluini, Bezę, & omniũ symmistarum præsidium est in his scripturis, quibus dicitur, *Deum induraſſe cor Pharaonis, quosdam tradidisse in reprobum sensum, et immisisse spiritum erroris vt homines crederent mendacio.* DOC. Ad hæc Marcionistarum & Manichęorum vetustate iam obsoleta & detrita argumenta, iam ante mille & ducentos annos magnus Aurelius Aug. sigillatim

*Aug. Ep. 105 in Psalm. 71. quæst. 18. in Iosue: & lib. de præd. & grat. c. 4.*

latim respondit: Deum indurare & excæcare, non immittendo peruicaciam aut cæcitatem, sed non impertiendo misericordiam & gratiam. Immittere porrò dicitur operationem erroris, quando Diabolum permittit facere ista, iusto suo iudicio; quamuis faciat ille iniquo malignoq; consilio. Consensit & Hiero. scribens. Deum dici indurare, non quo erroris causa sit & duritiæ, sed quo illius patientia nostram expectantis salutem, dum non corripit delinquentes, causa erroris duritiæque videatur. *Li. 20. ciuit. cap. 19.* *Com. in cap. 63. Isaiæ.*

MIN. Quoniam cætera eorum argumenta parui certè aut nullius sunt momenti, prætermittenda censeo; ideoq; finem hodierno colloquio per preces imponamus. DOC. Corporibus nostris in terram depressis, mẽtibus autem in cælum elatis, te humillimè adoramus & inuocamus, Deum immortalem, Deum immutabilẽ, Deum veritatem & vitam, Deum fidelem in omnibus verbis, & sanctum in omnibus operibus suis, Deũ principium & finem omnium, Deum qui ante constitutionem mundi quosdam elegisti, & prædestinasti ad gratiam & gloriam, alios reliquisti in manu consilij sui, ambulare vias non bonas, sed post peccata sua. Nos ô Pater luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, summæ pietatis tuę oculo benignus miseros respice, illumina vultum tuũ super nos, & miserere nostri. Da cordi nostro de præteritis delictis pœnitentiam, spiritui contritionem, ori confessionem, animo remissionem, conscientiæ gratiam, & de futuris studiosam cautelam. Extingue desideria carnis, & accẽde ignem tui amoris. Expelle spiritum superbię, & concede thesaurum humilitatis. Da solidam fidem, confirma spem, auge charitatem. Da vt per summam gratiam tuam, & condigna fidei opera, ad vitam te miserante, perueniamus ęternam: vt ibi videntes gloriam tuam sicuti est, adoremus maiestatem tuã, suspiciamus bonitatem, veneremur summam sanctitatem & integritatem, & cũ omnib electis & beatis dicamus; Gloria Patri, qui creauit nos; gloria Filio, qui redemit nos; gloria Spiritui S. qui sanctificauit nos; gloria summę & indiuiduæ Trinitati, cuius imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen. 20. ORATIO.

# DIALOGVS TERTIVS, QVO EXAMINANTVR, SIMVLQVE REFELLVNTVR XVI. ERRORES HVGNOSTICORVM ADVERSVS consubstantialem & coæternum Dei Filium: ac primò de PERSONAE illius ratione & finitione.

## MINISTER.

Cicero. PRAECLARE, meo iudicio, dictum est à docto quodam homine: Platonis cœnam non solùm in præsentia, sed etiam postero die esse iucundam. Nam Diuinus ille Philosophus res vtiles, doctas, & graues cum suis familiaribus quotidie cœnando tractabat, quibus eos & sapientiores reddebat & meliores: ac idcirco suauissimis delitijs illis allecti & imbuti, iterum atque iterum desiderabant ijsdem animos suos reficere ac recreare. Idem mihi accidit ex superiorum dierum iucunda & vtili, quæ mihi tecum intercessit, consuetudine: ita namque me exhilarauit, vt nihil mihi vnquam contingat iucundius, quàm tecum familiarissimè colloqui, de his quę ad religionem spectant, præsertim quomodo & in quibus Caluinus eiusque discipuli contra sanctissimam Trinitatem turpissimè lapsi sunt. Audiui enim ab Augustino: nullibi errari periculosius, nihil inquiri difficilius, nihil autem inueniri vtilius, quàm in sanctissimæ Trinitatis mysterio. DOCT. *Adiutorium igitur nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.* Age & audi, quomodo qui de Ecclesiæ repurgatione, & verbi Diuini quasi postliminio restituta luce inter vos maximè gloriantur, IESV CHRISTI vnigeniti Filij Dei & Domini nostri personam, Diuinitatem, humanitatem, sapientiam, officia, & admiranda opera plus tetris erroribus pro viribus suis deformant, & improbissimè exagitãt. MIN. Sexaginta, bone Deus! toto corpore contremis-

*Augustlib. 1. Trinit. ca. 3. Psalm. 123.*

tremiſco, & erectis auribus adſto, quando illis tot & tã abſurda obijci ſubaudio. Religioſo iuramento te nunc tantùm compello, ne quid illis imponas, ſed ſingula ſincerè & ordine recenſeas, vt tandem cognita, legitimeque comprobata eorum malitia, videamus an non aliqua te fefellerit opinio. DOCT. Primus eorum error conſiſtit in illius hypoſtaſis ſeu PERSONAE manca abſurdaque definitione. Volunt enim *eam eſſe ſimplicem quandam proprietatem, animo conceptam, quæ in Diuina Eſſentia reſideat & ſubſiſtat.* *Cal. Inſt. li. 1. ca. 13. § 6. Com. in. Io. & li. de Act. Serueti.*

MINIST. Id ab his non poteſt inficiari, cùm iam ſuperioribus diebus idipſum tribus Caluini productis teſtimonijs manifeſtiſſimum effeceris. Id quoque ex Bezæ, Danæi, Marlorati, Galaſij Scheckij, & Mornæi libellis, idem occinentibus, curioſis indagatoribus ſatis ſit compertum & exploratum: & ita certiſſimum euadat, omnes qui in illius Apoſtoli Geneuani verba iurarunt, eodem cœno infectos ac oblitos eſſe. Verùm, vt tunc dicebam, Author ille ſibi repugnat & contradicit, cùm longè aliter alijs in locis Perſonam Filij Dei deſcribit, & Seruetum ſic alloquitur: *Nunquam obtinebis hunc articulum, quòd Verbum Dei non ſemper fuerit hypoſtaſis diſtincta, & altera natura quæ ſubſiſtebat in Eſſentia Dei.* Damnat poſtea eundem Seruetum, *propterea quòd nomine perſonæ, ſubſtantiam in Deo exiſtentem non intelligeret.* Scribit etiam poſtmodum: *vocabulum perſonæ ſignificare ſubſtantiam occultam.* Et adhuc vlterius, *cenſet hypoſtaſes iure ſubiecta nominari, quorum vnumquodque ſuam retinet proprietatem.* Tametſi autem ſint in his multa errata, nihilominus ex illis iſta confici poſſunt in rem præſentem argumenta. Perſona Filij Dei, ait Caluinus, natura eſt ſemper in Eſſentia Diuina ſubſiſtens. Sed nulla proprietas, nulla diſpoſitio, nulla reſidentia, nulla relatio eſt natura ſubſiſtens in Deo. Ergo Filij perſona non eſt quædam proprietas aut reſidentia in Deo. Deinde, Seruetus hæreſis crimine damnatus eſt ab eodem, quòd perſonæ vocabulo ſubſtantiam in Deo exiſtentem non intellexerit. Sed Caluinus eodem vocabulo nihil aliud ſignificari definit quàm proprietatem & relationem, quæ ex ſe & formaliter (vt in Scho-

Confutatio 1.

*Sup. pagin. 73. 74. &c.*

*Lib. Gall. de Actis Serueti pag. 74. 144. 225. & 250.*

lis dicimus) non est substantia vel natura. In eãdem ergo Caluinus cũ Serueto hæresim recidit. Postremò, hy postases secundum eundem Caluinum subiecta sunt, quorum vnumquodq; suam retinet proprietatem. Sed inter subiectum & proprietatem ea semper est distinctio, quòd nunquam subiectum dicitur sua proprietas, nec proprietas suum subiectum. Ergo nunquam verè dici potest, personam Filij esse proprietatem. De his argumentis quid tibi videatur dicas apertè & lubenter, quæso. DOCT. Vis dicam? MINIST. Sanè. DOC. Peritus dialecticus es, qui tam paucis maximas res complecteris; tamque acutis, veris, & firmis argumentis errorem Hugnosticum penitus labefactas, & mancam erroneamq; personæ Filij Dei definitionem Caluinicam proprijs armis sic peritè retundis, vt his nunquam sese expedire valeant. Qua de re tuæ sinceritati, subtilitati, & pietati plurimum congratulor.

2. MINIST. Sine ergo me vno & altero argumento rursum Caluinianam premere & conuellere finitionem. *Personæ*, inquit, *sunt proprietates distinctæ in Deo*. Ergo tot sunt personæ, quot proprietates; quoniam de quibuscunque finitio, aut ratio substantiæ dicitur, de illis quoque affirmatur definitum. At, vt superius etiam euincebas, in sola Patris persona tres reperire licet proprietates, in Filio duas, Spiritus quoque sanctus sua gaudet proprietate. Igitur aut in Deo sex personæ constituendæ sunt, quod ab omni fide & Religione Christiana abhorret: aut certè quod verissimum est, Caluinus imperitè simul & nefariè aberrat in Personæ Filij Dei tradenda ratione.

3. Præterea, proprietates cum Essentia constituunt personas. Personæ autem seu hypostases sunt constitutæ, non constituentes. Adhæc, personæ sunt ex se & in ratione personæ res absolutæ: proprietates sunt ad aliquid, seu relationes. Insuper, duæ personæ Diuinæ producunt tertiam, id est, Spiritum sanctum: tres simul personæ vnica voluntate & prouidentia mundum hunc creant, regunt, atque iudicant. Hæc verò proprietatibus ac relationibus ex se simpliciterque minimè conueniunt. Ergo impium est Personæ totam rationem

rationem ad ſimplicem proprietatem, relationem, aut imaginariam quandam reſidentiam reſtringere. Ac per conſequens, perſona Filij Dei eſt quid aliud formaliter quàm ſimplex relatio reſidens in Eſſentia Diuina. Atque hæc mea contra impietatem præceptoris, pro veritate & pietate argumenta. DOCT. Tecum ex animo gaudeo, quòd tam acutè ſimul & appoſitè de his rebus ſanè obſcuris, ac difficillimis, in gloriam Dei differas, ac ſi multis annis in puluere Sorbonico eſſes verſatus, & Theologiam Scholaſticam & docendo & diſcendo totam ebibiſſes. Atque vtinam plurimos gregis tui comperire liceret, qui hanc diſſerendi ac docendi magiſtram non tam temerè aſpernarentur ac deſpicerent: equidem confido, quòd Caluiniana ſophiſmata, Bezanaſque fallacias & concluſiunculas facilius detegerent, euitarent, refellerent, proprieq; & multorum aliorum ſaluti melius conſulerent. Sed ad præſentem diſputationem redeo.

Certè enim Theologaſtri Geneuani in hac perſonæ finitione, inſana Triſmegiſti, Plotini, Iamblici, Porphyrij & quorundam aliorum Platonicorum ſomnia de λόγῳ turpiter inſtaurant. Admittebant enim illi facilè caput Ioannis primum, vt Auguſtinus teſtis eſt, vſque ad illum locum, *Verbum caro factum eſt*: ſed quæcunque illic referuntur de λόγῳ, id eſt, coæterni Filij Dei perſona, non de perſona propriè dicta dici volebant: ſed tantùm de quadam proprietate aut perfectione quæ in Deo reſideret. Quam ſententiam ſequuti Samoſateniani, Noëtiani, Sabelliani, & Priſcillianiſtæ, à perfecta veraque Trinitatis fide ac confeſſione, ſibi & aliis fuerunt exitio. Sic & nouiſſimo tempore Seruetus hanc impietatem ex inferorum gurgite retrahens, & ipſe negauit aſſignatam à veteribus Catholicis Perſonæ Filij germanam rationem, vt per hanc vocem quandam ſolùm diſpoſitionem, quales ſunt in Deo proprietates & relationes, ſignificatam contenderet. Horum itaq; veſtigijs Miniſtri inſiſtentes, eandem cũ illis infamiæ notam incurrunt. 4.

*Lib. 7. confeſſ. ca. 7. Ioan. 1.*

MINIST. Tenacius memoriæ inhærebit propria Perſonæ finitio, ſi eam non graueris adhuc ſemel re-

petere. DOCT. Boëtius ac Richardus Victorinus hanc definiant: Persona est rationalis naturæ incommunicabilis subsistentia. Sicque Pater Diuinus est propriè persona suis proprietatibus constans, & ab alijs secreta: sic Filius, eodemq; modo Spiritus sanctus. Et in rebus creatis, Michael, Gabriel, Raphael propriè ac distinctæ sunt personæ, quoniam quilibet eorum constat hac natura Angelica, & ab alio quocunque distinguitur proprietate sua. Abraham, Isaac, Iacob tres sunt personæ humanæ, quoniam natura singulari & proprietate sua cõstate subsistunt, & ab alijs secernũtur. Hæc porrò vocis finitio, nõ nupera est, sed ab antiquissimis Theologis, Iustino Martyre, Athanasio magno, Basilio item magno, alijsq; veteris Ecclesiæ pastoribus, verboq; Diuino desumpta, vt superius satis docuimus. MINIST. Quantum etiam ad me spectat, submissè ac constanter profiteor, ea omnia credere de sanctissima Filij Dei persona, quæ vetus constituit & definiuit Ecclesia, nec volo deinceps erroribus implicari nouitiorum ministrorum. Quocirca toto pectore precor Dominũ, eam mihi aliquando impertiri gratiam, vt eum sicuti est videam facie ad faciem, quod fidei præmium erit amplissimum. Ad aliud properemus.

*Lib. de duabus natur.*
*Li. 4. de Trinit. ca. 24.*
*Li. de sancta & coessentiali Trin.*
*Ora. in Euan. de sanctiss. Dei par.*
*Lib. aduers. Eunom.*

## *FILII DEI HYPOSTASIM NON esse primum ac per se simpliciter æternam essentialemq; Dei Patris sapientiam; aut voluntatem: aduersus secundum ac tertium Caluinianorum errorem, ordine autem 71. & 72.*

### DOCTOR.

IN his quoque aberrant vestri, quòd personam Filij, ipsam esse Patris sapientiam & voluntatem definiant. Caluinus namque nisus describere, quid sit ὁ λόγος ille, quem Euangelista docet fuisse in principio apud Deum, scribit: *Quòd Sermonem vocat Filium Dei, hæc mihi simplex videtur ratio, quia primùm æterna sit Dei sapientia & voluntas.* MINIST. Ait profectò, & id quidem

*In 1. c. Ioan. ver. 1. Idem asseruit in Synodo Lausanen.*

quidem rectè: quandoquidem in multis scripturis Filius sapientia nuncupetur, & Paulus disertè Christum appellet *Dei virtutem & sapientiam.* DOCT. Non diffiteor aliquos interpretes adscribere Filio Dei, quod in Psalmis, Prouerbijs, Sapientia & Ecclesiastico multoties dicitur de sapientia Dei: verùm hæc ad sapientiam ingenitam, & Patri, Filio, ac Spiritui Sancto essentialem & communem, magis quàm ad genitam & productam, quæ Filio tribuitur, doctiorum consensu & iudicio sunt referenda. Deinde, cùm idem Filius à Paulo dicitur *Dei virtus & sapientia*, non definitur eius hypostasis diuina: sed referuntur multiplices diuinæ sapientiæ & miserationis effectus, quos per vniuersum orbem Christus sua incarnatione, humilitate, prædicationum & miraculorum efficacia, passione, morte, resurrectione, & in cælos ascensione cunctis hominibus patefecit. Sed nunquam in sacris literis comperies τὸν λόγον, id est, Verbum, ac æternam Filij Dei PERSONAM propriè ac simpliciter per æternam Dei sapientiam aut voluntatem definiri: quemadmodum vester ille Rabbi definire aggressus est, communia essentialiaque tribus diuinis personis pronunciata, cum notionalibus, singularibus, proprietatibus, hypostasibusque aut ignorantia, aut flagitiosa malitia permiscens atque confundens. Quid tu ad hæc? Responde. quid cunctaris? *1. Cor. 1. Psal. 103. Prou. 8. et 9. Sap. 7. & 8. Eccli. 1.*

MIN. Manum herbamq; victrici veritati porrigo. Non recordor me id vnquam legisse, aut reperisse. Et quod maius est, Ioannes VVigandus & Matthæus Iudex ministri Germani, qui omnia Messiæ nomina in veteri testamento contenta diligentissimè collegerunt, inter quinquaginta tria ibidem inuenta, huius omnino non meminerunt: sed neque ipsi quoq; Centuriatores inter octoginta & quinque, quæ tam ex quatuor Euangelistis, quàm ex aliorum Apostolorum scriptis compilarunt. DOCT. Cùm igitur nulla huius dogmatis in expresso puroque Dei verbo fiat mentio, nihil autem secundum Topica vestra, credendum, aut docendum sit, nisi in ipso expresso Dei verbo contentum: quid de Caluinica, quam tractamus, senten- *Confutatio 1. Syntagm. c. de Messia. Cent. 1. lib. 2. & 2.*

tia iudicas? quid censes? MIN. Eam dico nec audiendam, nec admittendam: sed vt fermentum Pharisaicum fugiendam. Planta est quam non plantauit Pater cælestis, itaque eradicetur, & ab omnibus exsibiletur & explodatur.

Matth. 15. & 16.

2. Sed & cùm magis ac magis de illa sententia cogito, eius impietatem acutius cõspicio ac deprehendo. Etenim hypostasim seu PERSONAM Filij cum sapientia aut voluntate Patris confundere, est Iudaismum, gentilismum, Sabellianismum, & Maometismum impiè instaurare. Nam sapiẽtia & voluntas Diuina sic est tribus personis communis, vt & separatim de vnaquaque, & coniunctim de illis verè rectèque affirmetur: Pater est enim diuina sapientia & voluntas, Filius sapiẽtia & voluntas, Spiritus sapientia & voluntas: Pater Filius & Spiritus sic vna eademque diuina sapientia & voluntas æterna, infinita & immutabilis, vt hi tres sunt vnus Deus, vna mens, vna substantia. Sed qui affirmaret Filium esse Patrem, Filium esse Spiritum: aut Filium eundem esse cum Patre & Spiritu, tres personas in vnam misceret cum Iudæis, Sabellianis, & alijs hæreticis. Igitur Caluinus dicendo personam Filij esse hanc voluntatem & sapientiam Dei tribus communem ac essentialem, post impios illos, & ipse impiè veram Trinitatis personarum rationem confundit.

3. DOCT. Plurimum arridet, quòd tam apertè & ingenuè, id quod verum est fatearis, & quod falsum coarguas & reprobes. Etenim fidei Catholicæ Symbolum, in certa capita à sapientissimo doctore Athanasio digestũ, melius de hac re sentire nos edocet, dum ita refert: *Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti. Filius à Patre solo est, nõ factus, nec creatus, sed genitus.* Cùm itaq; non sint confundendæ aut miscendæ personæ, Filij Persona nõ est imprimis ipsa Diuina sapientia aut volũtas Patris: sed persona à Patre reapse distincta, eidem tamen consubstantialis atque coæterna.

Athan.

4. Insuper, cùm verè & propriè Pater Filium ab æterno generet, Filius quoque verè & propriè genitus sit à Patre;

Patre; Persona Filij non potest dici voluntas vel sapientia Patris, cùm voluntas & sapientia ista communis tribus nullo modo generetur aut producatur. Scitè etenim scripsit Augustinus, In Patre nihil genitum aut productum est: in Filio autem nihil nisi genitum ac productum. Contendit etiam alibi, inter generantem & generatum necessariò constituendam esse distinctionem realem, quoniam nihil seipsum dicitur gignere. Sed voluntas & sapiētia Patris, non est reipsa distincta à Patre: sed re & essentia eadem cum illo. Non potest igitur hæc voluntas ac sapientia esse Persona Filij, vt perperam sensit Geneuanus minister. Augustin.

Audi quoque quid Fareliſtis & Caluinianis, in publica synodo Lausanensi Filij, hypostasim cum æterna essentialique Sapientia Dei confundentibus, palam obiecerit Petrus Carolus. Si sapientiam illam, quam fatemini, non constituitis aliam ex substantia Patris genitam personam, nonnihil Samosatenis veteribus applauditis. Paulus Samosatensis ratus se primum Ioannis de Verbo Dei sensum inuenisse, docebat per Verbum intelligi æternum illud Dei consilium ac propositum (vos sapientiam perpetuam apud Deum residentem appellatis) de futura salute generis humani, quod definito tempore executioni mandatum, à Ioanne *caro factum* dicitur: cui vestra confessio videtur astipulari. Platonici quoque post Trismegistum, sicut & vos, in Deo Verbum ponebāt, non personā quidem genitam, sed rationem idealem, per quam Deus omnia condiderat. Seruetus, cuius dogma latenter introducere nitimini, cùm renouat impiū errorem Samosateni, negat Verbum intelligi personā in hoc loco, *In principio erat Verbum*. Hactenus ille. MIN. Et iure profectò, quoniā si cum Caluinianis dixerimus VERBVM, seu Filium ipsam formaliter esse æternam Dei sapientiam aut voluntatem ingenitam, qua nouit & disponit omnia, nihil magnificentius supra Trismegisti, Platonis, Zenonis, Porphirij, Plotini, Iamblichi deliriones de Filij Dei vera genitaq; hypostasi sentiemus: insuper, & cum Sabellianis, Noëtianis, Samosatenianis, qui Sapiētiam & Voluntatem æternam in Deo residentem esse nun- 5. *Refut. blasp. Farelliſt.* *Ioan. 1.*

quam

quam ſunt inficiati, nullo negotio conciliabimur.

6. Verùm, mallẽ Scripturis ſacris ageremus. DOCT. Iſa.7. Et hoc in promptu eſt. Illæ namque docent, Filium Matth.1. Dei verè conceptum & natum de Maria Virgine: eun- Luc.1. demque diſertè conteſtantur à diſcipulo proditũ, ven- Ioan.1. ditum, & traditum: à Iudæis captum, vinctum, con- Matth.26. ſputum & damnatũ: à Gentibus illuſum, flagellatum, Ioã.18.& 19 crucifixũ & interemptum: poſtea de cruce depoſitum, vnctum, ac ſepultum. At quis vnquam aut ſcribere aut prædicare auſus eſt, æternam Dei eſſentialemque voluntatem ſimul & ingenitam ſapientiam conceptam, natam, ligno ſuffixam & mortuam? MIN. Nemo ſanè, niſi fortè id ſuſpicati ſint veteres illi hæretici, qui Aug.tract. Patri ſpaſſiani & Sabelliani à veteribus ſunt appellati: de 5. hæreſ. quorum impietatem Caluinus neceſſe eſt imitetur ac cap.1. inſtauret, ſi perſonam Filij, voluntatem & ſapientiam Patris vocitare non deſierit. Superiora quidem voluntate Patris decreta, & tandem peracta eſſe nullus contradixerit, ipſomet, atteſtante Filio, *Initio libri ſcriptum* Heb.10. *eſt, vt faciam voluntatem tuam, &c. in qua voluntate ſanctificati ſumus*: vnde & paſſurus aiebat: *Si non poteſt tranſire* Matth.26. *calix iſte niſi bibam illum, fiat voluntas tua*: ſed quod voluntas Patris, quę eſt eadem prorſus cum eodem Patre, ſupradicta omnia ſubierit, nemo ſanæ mentis credet vnquam aut docebit.

7. DOCT. In Euangelio idem Filius Dei non rarò Ioan.4.5.6. profitetur, ſe veniſſe, *vt faceret voluntatem Patris qui miſerat illum: ſuum cibum eſſe vt faceret voluntatem Patris ſui: ſe non quærere voluntatem ſuam, ſed voluntatem Patris: voluntatem Patris eſſe, vt omnis qui in ipſum crederet, haberet vitam æternam*: ſed nunquam dixiſſe conſtat, ego ſum voluntas Patris, voluntas aut ſapientia Patris eſt mea Perſona. MIN. Imò verò toties repetens ſe facere voluntatem Patris, ſatis innuit eãdem à ſeipſo quodammodo diſtinctam eſſe.

8. DOCT. Præterea, Paulus frequẽter ſcribit, Deum Rom.1:8. Patrem miſiſſe Filium ſuum in ſimilitudinem carnis Gal.4. peccati: Filium Dei natũ eſſe ex ſemine Dauid ſecun- Epheſ.1. dum carnem: Filium Dei natum ex muliere: Patrem Heb.2.12.13. Filio ſuo non peperciſſe, ſed pro nobis eum tradidiſſe:

ſed

ſed nunquam dixit, nedum cogitauit, Patrem miſiſſe voluntatem ſuam, vt pro nobis incarnaretur vel pateretur. Cæteris quoque Apoſtolis ſæpe in ore eſt *voluntas & ſapientia Dei Patris*: verùm, nunquam eam vſurpant pro Filij perſona, nunquam cõmiſcent eam cum aliqua hypoſtaſi; nunquam aiunt, Filium eſſe illam voluntatem aut ſapientiam. MIN. Ex his facilè percipio, quod nimia facilitate & credulitate decepti turpiſſimè labimur, dum obcæcatũ ſequimur ductorem, qui nos ſecum in foueam præcipitat, & innumeris erroribus miſerabiliter inuoluit. Et dum vbiq; perſonat nihil docendum, minusque credendum, quod non in ſacris libris contineatur, auſus tamen fuerit hypoſtaſim Filij Dei citra, contraque omnem ſcripturam, confundere cum Patris voluntate & ſapientia. Sed quoniam iſta iam ſatis dilucida ſunt, videamus alia.

## *QVOD FILIVS DEI A SEIPSO Diuinam Eſſentiam ac naturam non habeat, ſed à Patre: aduerſus quartam hæreſim, ordine verò 73.*

DOCTOR.

FAllitur rurſum turpiſſimè, atque fallit alios Calumnus, contendens Filium Dei Eſſentiam ac naturam Diuinam habere à ſeipſo, & non à Patre. MIN. Hæc præcipua ſunt fidei Chriſtianæ myſteria, ideoq; magna fide & pietate tractanda. DOC. Poſtquã ille quibuſdam ſcriptoribus Eccleſiaſticis impoſuit, *quòd tradiderint Filium à ſeipſo & Diuinitatem & eſſentiam habere*, tandem concludit: *Ergo cùm de Filio ſine Patris reſpectu ſimpliciter loquimur, bene & propriè ipſum à ſe eſſe aſſerimus.* Et poſtea: *Cùm ponatur nomen Iehouæ* (vbi Filij fit mentio) *ſequitur Deitatis reſpectu ex ſeipſo eſſe.* Et paulo poſt vehementi interrogatione idem aſſeuerans ait: *Quomodo creator qui omnibus eſſe dat, non erit ex ſeipſo, ſed eſſentiam aliunde mutuabitur?* Alibi quoque ſibi ſimilis ait: *Chriſtus, vtpotè lux æterna, fulgorem ſibi ingenitum habet, non aliundè acceptum.* MIN. Hæc tam clara & manifeſta ſunt, vt nullam excuſationem nullamque purgationem *Inſt. l. 1. c. 8. § 19. & 23.* *In c. 1. Ioan. verſ. 9.*

tionem admittant. Hincque factum puto, vt Petrus Caroli primus Neocastri ministet referat Fareliſtas & Caluinianos in ſynodo Lauſanenſi palam defendiſſe, *Christum à ſeipſo ſemper habuiſſe vt Deus eſſet.* Item in ſynodo Bernenſi cùm vrgerentur, in hac ſententia perſtitiſſe: *Quatenus Deus æternus eſt, à ſeipſo ſemper extitiſſe: ſic argumentati: Deus à ſeipſo eſt, ergo Chriſtus quatenus Deus à ſeipſo eſt.* In hanc porrò ſententiam ſecum perduxit Bernenſes ac Tigurinos, vt patet ex eorum aduerſus Valentinum Gentilem ſcriptionibus, Bezam libro de vnitate eſſentiæ, Gallaſium, Muſculum, & Ioſiam Simlerum, vt ex huius libro tertio de Trinitate: pluresque alios ſuarum impietatum miniſtros: quos ſcripto aduerſus Genebrardum Lambertus Danæus defendere conatur.

*Refut. blaſp. Fareliſtarũ.*

*pag. 233.*

**Cõfutatio.** Quantum porrò ad me ſpectat, cõtrarium omnino

1. cenſeo, vel ipſomet Caluino ſibijpſi contradicente ac ibidem ſcribente, *Eſſentiam totam à Patre Filio eſſe communicatam: ac Filium eſſe ſapientiam genitam: Patremque principium ac fontem eſſe Deitatis*: quæ penitus falſa eſſent, ſi Filius à ſeipſo haberet Deitatem. Apertius quoque id confirmat ſcribens in caput 6. Ioãnis: *Scimus Chriſto non eſſe inſolens, Patri adſcribere quicquid in ſe habet diuinũ.* Atqui non ſimulatè, ſed verè atque ex animo attribuit: ergo acceptum illi refert. Et ſi idem Dominus labi nequaquam poteſt, eidemque per omnia & in omnibus credendum ſit, vt par eſt: ſi nemini item licet de eius doctrinæ veritate dubitare, quiſque Chriſtianorum ſibi perſuadeat neceſſe eſt, Filium Dei à Patre ſuam æterna generatione accepiſſe Diuinitatem ac eſſentiã. DOCT. Viden' quomodo Caluinus in ſummis rebus ſibi repugnet, proprioque ſeipſum cõdemnet iudicio, vt fert omnium hæreticorum natura? Animaduerte etiam quàm lubrica & periculoſa ſit minus peritis librorum eius lectio.

*Inſt. l. 1. c. 8. §. 23. & 25.*

*Verſ. 57.*

2. MIN. Sine me adhuc ex illo contra illum agere. Scribit idem ille: *IESVS nominatur vnicus Filius Dei Patris, quoniam natura ſolus eius Filius eſt.* Rurſumque idem ait: *Cùm nomen Filij ſolùm Ieſu Chriſto conueniat, bene ſequitur, eum natura eſſe Filium, non adoptione: quam ob rem*

*In c. 3. Ioan. verſ. 6.*

*In c. 20. v 31*

*æterna*

*æterna Christi Diuinitas sub Filij nomine cõtinetur.* DOCT. Ex verbis eius sic ratiocinor. Si Filius Dei natura Filius est, vt nemo Christianorum ambigit, verè naturam ac essentiam Diuinam habet à Patre, non à seipso. Alioqui verus ac vnicus Dei Filius secũdum naturam non esset: qui error est Iudæorum, Ebionitarum, Turcarũ, & omnium Maometanorum. Si æterna quoque Christi Diuinitas sub Filij nomine continetur, certè Filio data & communicata fuit per æternam emanationem à Patre: sicque Deus verus est, & vnicus idemque Deus à Patre & cum Patre, non à seipso.

MIN. Idem & in libro de Actis Serueti apertius sibi contradicit, his verbis: *Vt respectu humanæ naturæ Christus filius Dauid nominatur, ita respectu Diuinitatis Filius Dei est.* Et postea: *Fides nostra est, quod is qui semper æternum Dei Verbum exiſtit, Filius Dei est secundum Diuinitatem, & filius hominis secundum humanitatem.* Et eundẽ Seruetum sic aggreditur: *Cogeris fateri, suam à Patre naturam* (Christum) *habere, propter quam Filius Dei est.* Ex quibus verbis sic possum argumentari. Si Diuinitatem habet à Patre, non habet à seipso, sed ab eodem Patre: quod alibi negas iniquissimè. Et quoniam non habet à seipso naturam humanam, sed à Dauide per varios generationũ ac successionum gradus vsq; ad Mariam Virginem, ac iccirco verè & propriè dicitur Filius Dauid: ita & naturam seu essentiam diuinam à se non habet, sed à Patre ab æterno & in æternum producente: alioqui haud quaquam verus & natura dicendus esset Filius Dei. Itaque *non bene & propriè*, sed malè & impiè loqueris dicens, *Filium esse à se, aut ex seipso respectu Diuinitatis*: cùm omnino sit à Patre, vt nouissimis verbis tuis iam dilucidè euicimus. DOCT. Macte virtute, insignem lauream ex impio præceptore melior discipulus tibi præparas. 3. pag. in Gallic. 61. & 71.

MIN. Cõdiscipulus Beza totius Caluinicæ scholæ nomine proclamat: *Credimus Iesum Christum quantum ad Diuinam naturam attinet, vnicum Patris esse Filium, sine matre ab æterno genitum, non factum.* DOCT. Si Filius est iuxta diuinam naturam, vt verè est, sequitur eum secundum eam genitum esse: & per consequens, manifestum 4. Cõfess. puncto 3. art. 1.

festum est eum Diuinitatis respectu esse non à se, sed à Patre ineffabili æternoque modo generante & producente.

5. MIN. Symmistes Iosias Simlerus eodem quem supra citasti libro tertio de Trinitate, sibi & Caluino repugnans scribit: *Ab æterno, ac ineffabili generatione, Deitas seu natura vel essentia Dei Patris Filio tota & ex integro communicata est: ideoque ille est verus & naturalis Filius Dei, & verus naturaque Deus.* Et idem postea: *Eadem illa Patris essentia ab æterno, Filio communicata est.* Cùm ergo omnis Deitas per generationem communicetur Filio, ac proinde verus & naturalis sit Dei Filius, adeoque per naturam Deus: sequitur Caluinum & comministros negando antecedens, negare & consequens: id quod summa est inter Christianos blasphemia. Nec dubito tam absurdos errores nunc à Satana excogitari, & per hos ministros disseminari, vt sanctissimum Trinitatis mysterium, Diuinitatisq; summā vnitatem paulatim obscuret, sensim delear, & nouissimis istis temporibus præcipuum fidei Christianæ subuertat fundamentum.

6. *Refut. blasp. Farelistarū.* Denique, Caluino argumenta, ijsdem verbis concepta obijcio, quæ Petrus Carolus quondam Symmistes eius, in Lausanensi synodo aduersus eum de hac re disceptans, obiecit. His enim illum cum assectis suis conuenit: Nos hîc apertam vobis detegemus & contradictionem & hæresim. Ecce dicitis: Verbum genitum ex Patre ante secula. Istud rectè quidem. Mox subiungitis: Christum semper à seipso habuisse, vt esset. Hoc reprehensione dignum est: & contradicit priori. Nam si genitus est ex Patre, quomodo à seipso habet esse? An non habet esse ab eo, à quo genitus est? Si verò à seipso est, quomodo genitus est? Et post pauca idē subijcit: Manifestum est, inquit Augustinus, quod Filius habet aliū de quo sit, & cui Filius sit. Omnis enim filius de patre est, quod est: & patri filius est. Nullus autem pater de filio est, quod est: sed filio pater est. Et ideo rectius dicemus Christum esse Deum, quia genitus est à Patre Deo: quàm è conuerso, genitum quia Deus sit. Blasphemas ergo Caluine, cùm dicis Christū, quatenus Deus est, à seipso esse. Hoc certè Christus

*L. 2. de Trin. c. 1.*

ipse

ipse horruisset dicere: quippe qui confessus est, *Se exiuisse à Patre. Et ego scio eum* (inquit) *quia ab ipso sum.* Alibi quoque dicit: *Sicut Pater habet vitam à semetipso: sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* En audis datam à Patre vitam: ergo Essentiam. Nam vita & essentia modis omnibus in Deo sunt idem. Non ergo à seipso habuit, vt esset. Quod clarè docet Augustinus: *Pater* (inquiens) *dedit Filio vitam habere in semetipso*, cùm genuit Filium incommutabilem vitam, quod est vita æterna. Hæc ille. Præterea, si Filius habet esse à semetipso, & Pater etiã habet esse à semetipso: Patrem verò & Filium duos esse monstrauimus, quorum vnus non est alius: duo erunt primi, quorum vnus ab alio non est. Ex quo sequeretur etiam Filium non esse consubstantialem Patri, si non esset de substantia Patris. Quæ omnia absurda sunt, nedum impia. Hactenus Petri Caroli pro Catholicæ sententiæ defensione argumenta: quæ idcirco in hunc locum cõgero, quòd à nullo adhuc Caluiniano soluta fuerint, nec vnquam, vt arbitror, soluentur.

*Ioan.16.* *Ioan.7.* *Ioan.5.* *L.1. de Trin. c.12.*

DOCT. Quod veritatẽ tam liberè fateris, te maximè diligo: & quòd alienis sordibus infici minimè pateris, plurimũ te facio. Nam reuera præcipuum Christianæ fidei fundamentum, in symbolis comprehensum, est constanter credere, Filium Dei esse Deum verum æternumque ex natura substantiaq; Diuina Patris ab æterno genitum: verum præterea hominem, in tempore ex ipsa sanctissimæ Deiparæ humana substantia creatum. Id sanctè ac doctè exprimit Athanasius dicens: *Deus est ex substantia Patris ante secula genitus, & homo est ex substãtia matris in seculo natus.* Rectè igitur iudicasti his Caluinianis erroribus ædificium Christianæ religionis subrui, vt filius perditionis, qui propediem reuelabitur, eam vniuerso mundo facilius diruat & perdat. Optimè quoque probasti, eos vnius & solius veri Dei vnitatem disrumpere, quandoquidem ex Tertulliano, Hilario, & Athanasio verissimè dictum sit, eos qui tres diuinas personas à seipsis dicunt, tres ingenitos, tresq; deos fabricare. Sic autem tribus dijs nefariè excogitatis & constitutis, vnum ac solum verum de suo solio

7. Athanas.

diuellunt atque deturbant. MIN. Sanè quidem. Nam verus Deus aut ſolus eſt, aut non eſt: quoniam duo, aut tres, aut quatuor, aut plures dij veri eſſe non poſſunt: proinde impium ac nefarium eſt aliter tantum ſuſpicari, quàm fides Catholica hactenus ſeruauit & docuit.

8. DOCT. Scias quoque velim, huius erroris autho-
*Cal. Inſt. l. 4. c. 9. §. 8.* res ſeipſos iam prodidiſſe ac perdidiſſe. Nam polliciti
*Beza in Confeſſ. Francof. exhibit. 1562 art. 6.* ſunt ſe nunquam improbaturos id quod quatuor prima Oecumenica ſtatuerunt Concilia, Nicenum, Ephesinum, Chalcedonenſe, & Conſtantinopolitanum, quæque puram & veram Scripturarum interpretationem cõtinere fatentur. Credituros inſuper receperunt ſe quicquid de ſanctiſſ. Trinit. perſonarum, de harum emanationibus, & proprietatibus, de vnitate & ſimplicitate eſſentiæ ac Deitatis eatũdem hypoſtaſeon, tam ab ijſdẽ Concilijs, q̃ à ſanctis Patribus Athanaſio, Hilario, Baſilio, Nazianzeno, Cyrillo, Epiphanio, Ambroſio, Auguſtino, Leone, Fulgentio conſtituta & decreta fuerant: ſe denique vniuerſas hæreſes reiecturos, quas iſti damnauerant & reiecerant. Conſtat verò hos oẽs tam ex verbo Dei, quàm ex doctrina & traditione maiorum docuiſſe, ſolum Patrem eſſentiam ac Deitatem habere à ſeipſo, Filium autem non à ſeipſo, ſed à Patre per æternam emanationem. Præterea, Patres illos eodem animo anathemate damnaſſe Samoſatenianos, Sabellianos, Arrianos, Eunomianos, Neſtorianos, Fotinianos, aliaque hæreticorum monſtra, qui ante Caluinum eundem errorem excogitârunt. Facilè eſt igitur colligere, hos omnes à Deo reprobatos, à Concilijs damnatos, & à Patribus proſcriptos, vt libera eorum fert ſententia, & proprium conteſtatur iudicium.

MINIST. Vellem aliquam reperire Epitomen, quæ horum Patrum ſententias, & decreta Conciliorum comprehenderet.

DOCT. Hæc ſatis diligenter & copiosè citantur & explicantur, tertio libro Appendicis cõtra hæreſes, Lutetiæ excuſę cum libris R. P. Alphonſi à Caſtro 1578.

MIN. Certè cùm primùm aliquid otij nactus fuero, ſtudiosè perlegam, ac ſpero fructum conſequi non modicum, vt fidem & honorẽ, quo ſanctiſſimam

simam complector Trinitatem, magis ac magis confirmem. Ad ea quæ superſunt, pergamus quæſo.

## *QVOD FILIVS INEFFABILITER & ab æterno, verè tamen de PATRIS ESSENTIA ET SVBSTANTIA SIT GENITVS: aduersus quintam hæresim, & ordine 74.*

DOCTOR.

SEquens vestrorum error veluti ramus à trunco, sic ab alio præcedente procedit. Dum enim Filium Dei à seipso, & non à Patre, diuinam essentiam suam habere volunt, in hunc alium errorem incidunt, nimirum, *quòd non sit ex Patris substantia seu natura diuina genitus seu productus.* MIN. Id sanè cõsequitur. DOC. Huius itaque erroris labem secutus Caluinus, in frequenti ministrorum conuentu Lausanæ, illum symboli versiculum irridere non pertimuit, qui Iesum Christum *lumen de lumine, Deum verum de Deo vero esse perdoces & canit.* Idem rursus & illud ex Athanasij symbolo superbè reiecit, quo dicitur de eodem Filio: *Deus est ex substantia Patris ante secula genitus, &c.* Eodem rursum errore sese inuoluit libro contra Valentinum Gentilem, & Exhortatione ad Polonos: adeò vt Andreas Volanus, & Gregorius Pauli, vterque gente Polonus, scribant, prouinciæ suæ Trinitarios se iactare, nihil contra sanctam Trinitatem, aut Filij diuinitatem tenere, quod non è libris Caluini, Bezæ, & aliorum Geneuensium exhauserint. Atque hæc eorum opinio, quæ an tibi arrideat, nunc patefacito. ●

*Pet. Carolus Refutat. Farelistarum.*

MIN. Minimè placet, primò quòd in eo dissentiunt articulo. Nam minister Viretus, quem Beza tanti fecit, vt ne exceptis quidem Apostolis aut discipulis, de illo scripserit: *Vireto nemo fatur dulcius*, talem execratus est errorem, & hanc Christianam edidit confessionem: *Credimus, & confitemur Deum Patrem veluti fontem & omnis Diuinitatis originem.* Et postea: *Confitemur* (inquit) *Iesum Christum eius Filium Dominũ nostrum, tanquam*

Confutatio 1.

*In Iconibus.*

*L. 1. de orig. erroris, c. 1.*

*illius veram imaginem, splendorem, & characterem, natum ex propria illius essentia, sicuti suos Sol emittit radios, &c.* DOCT. Equidem nemo posset apertius Caluino se obijcere. Nam si Deus Pater origo est Diuinitatis, illud est ratione Filij qui generatur, & Spiritus qui producitur. Et si Filius à propria Patris essentia natus est, necesse profectò erit eum reuerenter confitendum & prædicandum esse, lumen de lumine, & Deum verum de Deo vero.

2. *Institution. Christian. Ex Gallic. ad verbũ Latinè reddimus.*

MIN. Idem quoque in Institutione Christiana prædicat: *Scire debes Iesum Christum esse Filium Dei quantum ad Diuinitatem, quòd à Patre genitus sit ab æterno: & eandem cum eo habeat essentiam.* Et paulò post: *Vt enim pueri ex patrum suorum propria substantia geniti naturam habent humanam, & hominis cum patre denominationem: ita Iesus Christus est verus Deus, vera imago Patris, ex propria eiusdem natura & substantia repræsentando Patrem, vt verus & naturalis Filius, ea generatione quæ conuenit Diuinitati incorruptibili, inmateriali, & omnibus creaturis incomprehensibili.* Mox sequitur: *Eam ob rem dicitur in confessione symboli Niceni: Credo etiam in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula. Deum de Deo, Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Antiqui Patres à quibus compositum accepimus hoc symbolum ita locuti sunt, cum expresso sacræ scripturæ testimonio.* Hactenus Petrus Viretus in sinu & schola Caluini nobiscũ enutritus. DOCT. Certè vel in hoc saltem præceptore melior, quòd symboli Niceni articulũ, de quo agitur, reuerenter amplectitur, quem ille impudenter reiecit. Deinde, agnoscit huius articuli sensum expressis scripturis diuinis innixum: ac proinde Caluinum aduersus scripturas hac in re aberrasse. Postremò, tam apertè confitens Filium genitum ex ipsa substantia & Diuina essentia Patris, nostræ fidei Catholicæ subscribit, & præceptorem impietatis damnat.

3. *In c. 6. Ioan.*

MIN. Sed quid? Nónne etiam idem Caluinus aduersus semetipsum insurgit, dicens, vt paulò supra ex eo citabamus, *Christum attribuere Patri suo quicquid habet Diuinitatis? Hoc respectu Deum esse, quòd suam habeat à Patre Diuinitatem? Eiusdem Diuinitatem sub nomine Filij contineri?*

*tineri*? Nihil sanè aliud mihi videtur aut Catholica vestra confessio comprehendere, aut symbolum Nicenum canere, quàm quod Christus Filius Dei nominetur: non quod à seipso sit Deus, sed quòd à Patre coæterno & consubstantiali omnem Deitatem acceperit æterna & ineffabili generatione. Atq; ita manet Caluinianus error proprijs tam authoris quàm symmystarum armis confossus & prostratus.

DOCT. Manifestissima sunt hæc omnia. Quibus addi potest, illum hoc errore nefarios Arrianos, Eunomianos, Samosatenianos, Fotinianos ab inferis retrahere, & in Christianorum magnam pernitiem resuscitare, vt iterum coniunctis secum dextris pernegent Iesum esse naturalem & consubstantialem Dei Filium. MIN. De vno quoque istorum dicentem te audire percupio. DOCT. Sanctissimi & antiquissimi Patres Latini Fulgentius, Idacius, Augustinus, ac Vigilius Martyr; hisque partim æquales, partim superiores Cyrillus, Nazianzenus, Epiphanius & Athanasius Patres Græci, dum vno animo pro cõsubstantiali Trinitate aduersus Arrianos decertant, illis obijciunt atque impingunt, quod dicerent *Filium non esse de propria Patris æterni substantia, & Diuinitate genitum & productum.* At idem sustinet Caluinus symboli Niceni articulum subsannans atque reijciens: itaque hac in re turpissimè ei conuenit cum Arrianis. Alibi verò cum gregalibus protestatur se damnare cunctas eas hæreses, quas dicti Patres impugnãt & detestantur: manet igitur rursum proprio iudicio condemnatus. 4.

MIN. Sed quid illi commune cum Eunomianis? 5.
DOC. Cyrillus Alexandrinus, Augustinus, & Basilius magnus, Eunomiũ vituperant, quod diceret *Filium Dei ex substantia Patris non esse genitum.* At illud ipsum Hugnostici cum suo authore concinunt: ideoq; ex symbolis Niceni Concilij & Athanasij, vt dictum est, particulas contemnunt. Iccirco huius hæretici elephantia discriminati constat esse discipulos, quos in impio parente antiqua damnauit Ecclesia, etiam antequam lucis huius vsura fruerentur. MIN. Mori prius acerbissima morte millies efflagitarem, quàm Arrianum

*L. 1. thesau.*
*L. 15. de Tri.*
*L. 2. 3. 4. adu. Eunom.*
*Niceph. l. 11. cap. 11.*

vel Eunomianum errorem amplecti.

6. DOCT. Veteres rursus Samosatenianos & Nestorianos Patres eiusdem coarguunt erroris. Nec solùm, verùm etiam Hilarius affirmat illum esse impietatis Iudæorum, insaniæque gentilium propugnatorem ac ministrum, qui negat Patrem esse in Filio, & Filium in Patre, absoluta natiuitate & generatione Diuinitatis Filij per Patrem, secundum id quod scriptum est, *Ego sum in Patre, & Pater in me est.* Et iterum: *Omnia Patris mea sunt.* MIN. Equidem Iudæi nolunt credere Deum Patrem ab æterno genuisse Filium ex propria essentia & Diuinitate: gentiles autem id ridiculum & impossibile clamitant: & ea propter negare non possum Caluinum his in rebus illorum impietati consentire.

*Ioan.14.*

7. Quibus autem scripturis nituntur veteres, vt doceant Filium de ipsa Patris essentia & natura Diuina genitum? DOCT. Vniuersis illis, quibus vocatur *Pater Domini nostri Iesu Christi*; & quibus vicissim idem Dominus noster Iesus censetur esse *verus Dei Patris Filius.* Etenim omnis vera generatio (vt etiam viderunt Philosophi) fit in substantia, & terminatur ad substantiam: alioqui non esset generatio, sed tantùm quædam alteratio, & accidentium transmutatio, quæ in Deum omnino cadere non potest. Necesse est igitur Genevanum antistitem aut innumera Scripturarum testimonia vna litura delere, aut pœnitẽdo nobiscum credere ac confiteri Filium esse de substantia & ex substantia Patris genitum.

8. Dauid autem in primis quadam antropopathia Deũ Patrem laudat his verbis Filium suum alloquentem: *Ex vtero ante luciferum genui te*: Vteri nomine, Diuinam essentiam & naturam planè proprieque significans.

*Psal.109. Matth.22. Heb.1.& 10*

MIN. At nostri Marotus, Beza, Caluinus, Bucerus, Musculus non sic interpretantur. DOCT. Nihil ad pios verosq; Christianos: quibus satis esse debet, quod Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Hilarius, Vigilius Martyr, viri in Ecclesia Latina maximi nominis: insuper, Theodoretus, Cyrillus vterque, Nicenus, Nazianzenus, Basilius, Epiphanius, Athanasius Magnus Græci

Græci Doctores,& pietate,doctrina,antiquitateque ſuſpiciendi, mira conſpiratione cõſentitibus animis ita locum Dauidis intelligendum crediderunt & prædicauerunt. Quibuſnam,quęſo te,ſeſe coniungere,quos ſequi tutius eſt? MIN. Vni Hieronymo aſſentiri malim, quàm quingentos Marotos aut Bezas imitari: & vnicum Auguſtinum vel Athanaſium libenter anteponam decem millibus Caluinorũ vel Zuingliorum. Equidem non dubito Spiritum mentibus illorum veterum ſanctorum illuxiſſe: de his autem neotericis, & ſecum & cum alijs tam ſæpe cõfligentibus, valde ſum anceps & dubius.

DOCT. His adde Ioſiæ Simleri hominis Zuingliani teſtimonium: quo hunc Dauidis locum à Latinis ſic rectè tralatum & intellectum docet, quoniam ita Græcè illum ediderunt Septuaginta ſanctæ tunc ſynagogæ ſancti viri; deinde, Aquila, Symmachus, Theodotio viri non Catholici; quinta & ſexta denique editio. Addit demum Diuum Hilarium libro 12. de Trinitate, Athanaſium oratione contra Arrianos, Ambroſium libro primo de fide, & Auguſtinum in expoſitione Dauidici verſiculi, propriè & ſanctiſſimè interpretari de ſanctiſſima Filij Dei generatione, quem Pater de ſua producit eſſentia, modò ſpiritali, immutabili, & incomprehenſibili. Hæc ille, & rectè. 9. *L.1. pag.24.*

Cùm enim iterum ſcriptũ ſit ab Apoſtolo eodemque Euangeliſta: *Vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti à Patre*, Filij inquã vnigeniti, qui ſemper eſt in ſinu Patris, ille à filijs adoptionis manifeſtè ſecernitur, aſſeriturque ex ſubſtãtia & natura Patris verè genitus: cùm alij non niſi in natura creata & redempta per gratiam ſint regenerati. Prętermiſi innumera alia ſanctarũ ſcripturarum teſtimonia, vt hæc ſolùm tria iuxta ſanctorum interpretationem in præſentiarum adducerem. 10. *Ioan.1.*

Vnius tantùm Fulgentij quædam teſtimonia ſubijciam. Reſpondens obiectionibus Arrianorum, cum quibus hac in re conueniunt Caluiniani, ſcribit: Nos idcirco Filium Dei de Patris ſubſtantia natum credimus & fatemur, quoniã quicquid ſubſtantia Dei non eſt, non poſſumus vt Deum vel adorare, vel colere, &c. 11. *Reſponſ. ad obiectiones Arrianorũ.*

*Et productis in hanc rem multis ſcripturis, concludit.* Ecce de ſubſtantia Patris extitiſſe Filium non ſolum rationabiliter credimus: verùm etiam teſtimonijs approbamus, Scriptura dicente, *Qui diligit genitorem, diligit eum qui natus eſt ex eo.* 1. Ioan. 5.

12. Deinde, acutiſſimo iſto Dilemmate Arianorum errorem, qui nunc eſt etiam Caluinianorum, coarguit; & ſententiam Catholicam confirmat. Hi verò qui Filium de Patris ſubſtantia natum denegant, debent vtique dicere, Vnde arbitrentur Filium extitiſſe. Vtrum de nihilo, an de aliquo? Si de nihilo extitit, creatura dicendus eſt, non Creator. Si autem de aliquo dicatur, ſic etiam idipſum Deus fecit, vnde Filium genuit. An fortè coæternũ aliquid exiſtimatur, vnde genitus Filius creditur? Manichæorum error hac aſſertione firmatur.

13. Hinc ad Apoſtolorũ teſtimonia rediens Fulgentius ſubdit. Beatus Apoſtolus ſciens Filium ex Patris eſſentia verum Deum genitum, & ob hoc cum Patre vnum Dominum Deum, nec immemor præcepti Dominici, quo prohibemur duobus dominis deſeruire: Domino Chriſto ſicut vero Deo, præcepit ſeruiendum, quem æqualiter cum Patre nouerat honorandũ, ipſo Domino dicente, *Vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.* Quem verum Deum Ioannes Apoſt. ipſo in ſe Domino loquente teſtatur dicens: *Vt ſimus in vero Filio eius Ieſu Chriſto. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* Quocirca veræ fidei tenenda eſt regula, qua Dei Filius de Patris ſubſtãtia, ineffabiliter, ſine initio natus creditur. *Matth. 6.* *Ioan. 5.* 1. *Ioan. vlt.*

14. Idem denique tribus libris ad Traſimundũ hæc fuſius & Scripturis & varijs ratiocinationibus cõfirmans, tandem concludit: Credimus igitur Dei Filium, ante omne prorſus initium, de Patris ſubſtantia genitum, Deum de Deo, Dominum de Domino: non ex nihilo, quia de Patre: non nuncupatiuum, quia nomen habet ex veritate naturę: non ex alia aliqua natura, quia non aliquid fuit coæternum Deo, vnde origo Filio præſtaretur: nec poſteriorem, nec minorem, ſed Patri prorſus æqualem, &c. Cætera veterum Theologorum teſtimonia in Appendice aduerſus hæreſes copioſè pertractauimus. Ad alia propero. *L. 3. ad Traſimundum.*

QVOD

## *QVOD IESV CHRISTI DOMINI nostri DIVINITAS non minus esset infinitè bona, potens, misericors, sapiens, & benefica nobis mortalibus, quàm est; etiam si eius humanitati non esset coniuncta: contra 6. errorem; ordine autem 75.*

### DOCTOR.

OMnium, qui vnquam fuerunt, hæreticorum impietatem, meo iudicio, in hoc exuperauit Beza, quòd quantum in se fuit, Diuinitatem Christi omnibus spoliauit ornamentis atque perfectionibus, cùm scripsit, *eam ab humanitate assumpta seiunctam nihil nobis profuturam.* MINIST. Nonne eam oportuit naturam superinduere humanam, vt prophetias adimpleret, ac redemptionis nostræ ministerium conficeret? DOCT. Credimus, simulque docemus expediuisse Redemptorem verum esse hominem, vt mortem pro nobis obiret: itemque verum Deum vt de illa deuicta triumpharet: verùm, dicere Diuinam illam maiestatem solam, qualis fuit ab æterno vsque ad ipsam in Maria Virgine incarnationem, nihil hominibus prodesse, nullam vtilitatem vel fructum adferre, quod facit Beza, inaudita & execranda est blasphemia. Si quid in Caluini scriptis legeris, quod huic impietati aduersetur, dic, vt magistri propria sententia lepidus ille discipulus possit facilius coerceri. *Conf. punct. 3. artic. 22.*

MINIST. In Institutione sua assentitur antiquissimis doctoribus, *in eo quod docuerunt Filium Dei veteribus Patriarchis & Prophetis sese obiecisse, vt hos in fide & spe venturæ redemptionis contineret: paulatimque assuefaceret illos ad credendum, quòd verè carnem humanam esset aliquando suscepturus, & inter mortales acturus.* DOCT. Ergo Beza multum studuit, vt nihil inde saperet, quippe qui Diuinitatem Filij ab humanitate tunc adhuc separatam, nihil mundo prodesse scripsit. Cõfutatio. 1. *Lib. 1. ca. 14. li. 2. ca. 9. & li. 1. ca. 13. §. 10.*

MINIST. Idem quoque asserit, *Filium solum vt Deum inspirare cunctis creaturis vitam, vires, & mentem:* 2.

In ca.1.Io.v. 1.10.16. *quòd nunquam sic mundo abfuit, quin deberent homines radijs luminis eius expergefacti, ad eum oculos erigere: quòd omnes Patres ab ipso mundi initio, à Iesu Christo exhausta & accepta tenent omnia: quod non solùm Iesus Christus vt Deus, nobis omnia quæ possidemus elargitur, sed etiam Pater eadem bona illi erogauit, vt ad nos eorum fructus effluerent, & cæt.* DOCT. Si Filius vt Deus, dat vitam omni creaturæ, & semper radios suos in nos effudit, Patriarchis tot beneficia contulit, quo posset fieri modo eum esse inutilem, vt Geneuano nutritus pabulo rudit asinus? Vitam omni creaturæ datam, pro nihilo reputat? Diuini luminis radios in mortales effusos, hic ganco parui facit? Apagete cum impuris Epicureis & atheis.

3. MINIST. Scribit insuper præceptor ille communis, *Dominum Iesum mediatoris partes semper tenuisse, vel etiam à principio mundi vsque ad nostra tempora.* Et postea inquit: *Habebat virtutem cælestem & Diuinam, cuius sensus ab origine mundi, ad omnia secula dimanauit.* DOCT. Est ergo Beza impudentissimus, & maxima suffusus contumelia erga Filium Dei, cùm veluti ex Titanum genere nouus quidam surculus conculcat eius Diuinam maiestatem, eam prædicando hominibus inutilem: aut certè fingit eum Deum desidiosum, & rerum nostrarum minimè solicitum, qui atheismi sunt ita horrendi, vt etiam reprobi ac dæmones fremerent, si audirent.

In ca.1.Mat. v.3. & ca.8. vers.58.

4. Sed præter hæc omnia, plusquam belluina ignorantia, vel potius diabolica malitia est, sentire, docere, scribere, Dei potentissimi omniũ Creatoris bonitatẽ, liberalitatem, misericordiã, & in genus humanum summã beneuolentiã Creatoris, ita pendere ab homine ex terra condito, vt sine eo nihil boni possit efficere, sine eo peccata non possit remittere, sine eo nõ possit saluare; sine eo nihil penitus hominibus prodesse valeat.

5. MIN. Equidem mollis, languidus, ac eneruatus ille Geneuẽsis secundus Apostolus, Filiũ Dei maxima afficit cõtumelia, qui de eo eiusmodi verba faciat, qui ante quam homo fieret, cũ Patre & sancto Spiritu vniuersa condidit ex nihilo, Adæ suam impressit imaginẽ; Angelos suos suorumq; disposuit ministros, Abelẽ sanctificauit,

Ioan 1. Genes.1.3.4.

ficauit, Enochum sine morte ex hoc mundo transtulit, Noe seruauit in arca, Isaac eripuit è gladio, Ioseph con- solatus est in aduersis, Moysi apparuit, Hebraico popu- lo legem dedit, Dauidi peccatum remisit, & vt paucis dicam, cuncta ea fecit, quæ & Deus Pater fecisse refer- tur: quandoquidem vt vnica est ei cum Patre voluntas, vnicaque potentia, ita & vnica amborũ, imò & trium operatio. Quocirca is verè diabolico est obcæcatus contagio, & insana plenus audacia, qui hęc nihil repu- tat, dicens *Filij Dei æternam, ac infinitè potentem, infinitè mi sericordem Diuinitatem sine carne sua nihil posse nobis prodes- se*. Me puderet tam manifestam impietatem pluribus argumentis persequi: alium potius discutiamus articu- lum. *Psal.32.102. Gen.7.15.22. Exod.3.19. Hebr.11. Psalm.90.*

## *FILIVM DEI NON HABERE ALIAM NATVRAM, aut distinctam substantiam Diuinam à Patre: sed prorsus numero eandem: contra erro- rem septimum, ordine autem 77.*

DOCTOR.

QVi causę vestrę dux & signifer fuit, eò dementię prolapsus est, vt defenderet Filium Dei à Patre suo diuersam habere naturã & substantiã. MIN. Mirum mihi videtur vnde istud colligere potes. DOC. Minimè mirum tibi debet videri, me istud concludere ex eius Lib. de actis Serueti, Gallico sermone edito Ge- neuæ, in 4. apud Ioannem Crispinũ 1554. in cuius pag. 249. & 250 alta & clara voce pronunciat, *Le Fils est con- forme au Pere, comme aiant substance distincte*. Quod Latinè dicitur: *Filius est conformis Patri, vt habens substantiam di- stinctam ab eo*. Supra verò sustinet *distingui realiter idem esse, ac rem aliquam ab alia separare*: ex quibus euidenter cõsequitur, Caluinum vestrum Filio Dei tribuere sub- stantiam à Patre suo diuersam & separatam. Deinde, in eodem libro docet, *hypostasim significare naturam ac sub- stantiam occultam & residentem in Deo*. At verò Filius se- cundum hypostasim est alius à Patre. Igitur iuxta Cal- uinianos, aliam habet à Patre naturam & substantiam. His adde, quòd cum reputant *secundam caussam à Patre: secundum tantum honoris ac imperij gradũ obtinere: eundemq; vt Deum* *Pag.219. Pag.74. 144.225.*

*vt Deus est, Patri fore aliquando subiectum*: Beza denique scribit, *illum secundum Deitatem precari*: quæ profectò vera esse non possunt, si eiusdem prorsus esset cum Patre substantiæ atq; naturæ.

Confutatio 1. MINIST. Hæc adeo manifesta sunt, vt demens esset, qui negaret. Tantum verò abest vt probem, vt ea detester ex animo, simque paratus per proprium authorem refellere. Is enim eodem in libro accusat Seruetum, *quòd dixerit, tres esse in Deo essentias*, id iustè rectèque appellando, *rem ab omnibus execrandam, ita nimirum simplicem, & indiuisibilem Dei essentiam in tres partes dissecare*. Quibus verbis apparet, Caluinum in hac re non fuisse meliorem Serueto, cùm in Patre & Filio duas substantias ac Essentias similiter constituit, vt ille tres in tribus esse confingebat. DOCT. Frustra igitur perfidus ille postea exclamat, *Se nunquam consensurum in Serueti carnificina, dissecando Dei substantiam & vnicã naturam*: quoniam ex supra dictis verbis cõtrarium apertum est. Sed ita consueuit ille in alijs reprehendere, id ipsum quod docet & sustinet.

2. MINIST. Patere me istius erroris, ex suo authore, persequi refutationem. Idem rursum alibi scribit: *In ca. 1. Io. vers. 1.* *Ne quis de Diuina Christi essentia scrupulus maneat: Ioannes clarè asserit esse Deum. Iam cùm vnicus sit Deus, Christum eiusdem esse cum Patre essentiæ, & tamen in aliquo differre sequitur. Quòd autem ad Essentiæ vnitatem spectat: nimia fuit Arij improbitas, qui ne æternam Christi diuinitatem fateri cogeretur, fictitium nescio quem Deum esse garriebat. Nos autem cùm audimus Sermonem fuisse Deum, quid est quod de æterna illius Essentia amplius moueamus controuersiam?* DOCT. Profectò, si vna eademque Essentia, natura, seu substãtia, (nam omnia hæc idem in Diuinis authoribus Latinis significant) est in Patre & Filio, vt nemo Christianus dubitare debet, optimus quisque rerum æstimator confitebitur, illos non habere distinctam substantiam aut Essentiam, vt Caluinus alibi confinxit. Quod si pergant eius discipuli Filio distinctam à Patre substantiam tribuere, æquè vt Arriani insanient, nouum quendam Deum sibi priuatim effingentes.

3. MINI. Seipsum adhuc pergit proprijs testimonijs coar-

coarguere atque damnare, ſcribens in Inſtitutione. *Qui notam diſtinctionis in Eſſentia Diuina ponunt, manifeſtè in nihilum redigunt veram Chriſti Deitatem, eoq; modo infeliciter eſſentiã Dei lacerant.* Paulo q; ſupra agnoſcit, *Eccleſiaſticos ſcriptores fateri Perſonas Diuinas ſine vlla differentia vnam & eandem habere Eſſentiam: & quod ex ſacris ſcripturis probarunt Eſſentiam ad Patrem Filium & Spiritum ſanctum pertinentem eſſe omnino ſimplicem, ſingularem, & indiuiſibilem.* Lib. 1. ca. 13. §. 23. §. 19. 21. 22.

DOCT. Reuera ſuis ſe verbis condemnat ſeruus nequam. Etenim ſi quis vnquam veram Filij Diuinitatẽ ad nihilum redegit, diſtinguendo realiter eſſentiam eius à Patris Eſſentia, vnicus fuit Caluinus. Si quis ſecet, reſcindat, & laceret miſerandum in modum Diuinam ſubſtantiam, ipſemet carnifex eſt. Si ſcripturarum, veterumq; Patrum hoſtis eſt, qui notam diſcretionis in Eſſentia conſtituit, monſtrum eſt illud miſerrimum.

MINIS. Sic eſt profectò. Sed ſuper hæc, Viretus ſub ferula Caluini condiſcipulus, errorem præceptoris no biſcum deteſtando, profitetur: *eum eſſe improbiſſimam qui habet aliquam in Deo fiduciam, niſi credat Ieſum Chriſtum ſic eſſe Deum eiuſdem cum Patre eſſentiæ & potentiæ.* Mox quoque ſubijcit: *Oſtendo manifeſtè vt in eſſentia vnius Dei & Diuinitatis agnoſco & confiteor Patrem Filium & Spiritum ſanctum tres eſſe perſonas in vna eademq; Diuinitate & ſubſtantia, &c.* Et iterum: *Licet diſtinctio perſonarum in eſſentia Dei reperiatur, tamen eſſentia non ſeparatur, ſed ſemper remanet vnitas perfecta & integra.* Et adhuc poſtea: *Non eſt fidei noſtræ exigua confirmatio, de Diuina Ieſu Chriſti natura certiores fieri, quod verus Deus eſt, verus Dei Filius, eiuſdẽ cũ Patre eſſentiæ et ſubſtantiæ. Nullã habet ſalutis ſuæ fiduciam, qui talẽ eum eſſe non credit et agnoſcit.* Audis Viretum ſemel & iterum confitentem & aſſerentem Filium eſſe eiuſdẽ ſubſtantiæ cum Patre, atque eandem habere cum illo Deitatis naturam? DOCT. Audio, ſimulq; vim veritatis mirabilem ſuſpicio, qua factum eſt, vt diſcipuli Caluiniani pro eius maieſtate, aduerſus præceptoris nefariã ſententiam decertent: & vt de aſina Balaam dicitur, *Seſſoris ſui corrigant inſaniam*, & Prophetæ ſui prohibeãt inſipientiam. His autem nunc ſubijciam Propheticas & Apoſtolicas ſcripturas, quæ omnino confirment Patrem 4. Inſtru. Gall. pag. 669. Pag. 671. Pag. 674. Num. 22. 23. 2. Pet. 2.

Patrem & Filium vnius ac eiusdem esse naturæ atque
Pag.47.48. substantiæ. MIN. Non est necesse, quoniã iam affatim id supra factum est, cùm aduersus Saluſtium & Bezam, Diuinam triplicantes & realiter distinguentes essentiam disseruimus. Quasdam solùm Ecclesiæ veteris Patrumq; decreta proferas, & satis mihi erit.

5. DOCT. Maximum concilium Nicenum aduersus Arrianos definiuit, *credendum Filium esse cõsubstantialem Patri.* Igitur damnauit dicentes eum habere substãtiam distinctam ab eo: quod Caluinus facit. Magnus Athanasius in alio fidei nostræ symbolo canit de Trinitate: *Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.* Atque hæc est fides totius priscæ Ecclesiæ orientis, qua dãnatur Genuanorum perfidia, substantiam personarum reipsa diuidentium.

6. Africanæ porrò Ecclesiæ præclarum lumen Augu-
*Lib.11.ciuit. cap.24.* stinus protestatur: Credimus, tenemus, & fideliter prædicamus, quòd Pater genuerit Verbum, vnus vnum, æternus coæternum: & quòd Spiritus sanctus simul Patris & Filij sit Spiritus, & ipse cõsubstantialis ambo-
*Conc.1.in Psalm.68.* bus. *Et rursus idem:* In fide Catholica contra venena hæreticorum sic ædificamus, vt dicamus Patrem & Filiũ & Spiritum sanctum vnius substantiæ esse. Quid est vnius substantiç? &c. Eo quod Deus est, hoc ipso substantia est. Et quia eiusdem substantiæ Filius, proculdubio & Deus. *Et post pauca:* In diuinis tanta est substantiæ societas, vt æqualitatem admittat, pluralitatem non admittat. *Alibi rursum idem scribit:* Catholica fides credit Pa-
*Tract. de eo quod dictum est, Ego sum qui sum.* trem Filium & Spiritum sanctum vnum Deum, vnius substantiæ Trinitatem, inseparabiliter, æqualiter, non commixtione confusam, non distinctione separatam, &c. Audin? Filium esse Patri consubstantialem? Fidem Catholicam profiteri eiusdem esse cum Patre substantiæ? Deitatem idem esse quod substantia? Substantiæ Diuinæ tantam esse societatem & vnitatem, vt distinctionem, aut pluralitatem non admittat? MINIST.

I Percipio, & alta mente repono, quàm procul à fide priscæ Ecclesiæ, pietateque omnium beatorum Patrum Caluinus recedens, multos secum in tenebras interiores pertrahat. Tantum aliquod Occidentalis Ecclesiæ

proferas teſtimonium, & ſat mihi erit.

DOCT. Eximius Mediolanenſis Eccleſiæ præſul Ambroſius, illos graui diſputatione refellit, qui Filium Patri quidem ſimilem, ſed non vnius ſubſtantiæ cum Patre dictitabant. Alio rurſum loco, hanc totius Chriſtianiſmi fidem eſſe proteſtatur, quam à maioribus (inquit) aduerſus Sabellianos & Arrianos ita traditam tenemus, vt Patrem Deum, & Filium eius vnigenitum, & Spiritum Sanctum veneremur, hanc Trinitatem vnius eſſe ſubſtantiæ, maieſtatis, & diuinitatis. *Iterumque ait*: Eos qui dicunt Filium ex alia (quàm Patris) ſubſtantia vel vlla eſſe, anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia. MIN. Hæc mihi ſatis ſuperque faciunt: video enim non ſolum Caluinum ſuam ipſius impietatem coarguere, & diſcipulos eius hanc ipſam quoque damnare: ſed & totius veteris Eccleſiæ perſuaſionem eſſe, Filium Dei nec aliam, nec diſtinctam ſubſtantiam, prout ſubſtantia à Græcorum οὐσία, & non ab ὑπόστασι deducitur, prorſus habere: quare alia de re ſermonem inſtituamus.

7. *L. de Dom. incar. ſacr. cap. 10.*

*Epiſt. 40.*

*Lib. 1. de fide, cap. 9.*

## *FILIVM DEI AEQVE PRIMAM AC præcipuam vitæ atq; ſalutis humanæ CAVSSAM eſſe, atq; eſt Pater: aduerſus hæreſim octauam, ordine autem 78.*

DOCTOR

EIuſdem Filij Dei maieſtatem & gloriam diuinam eo vſq; extenuant ac deprimunt, vt ei duntaxat ſecundum à Patre locum & gradum cauſſæ noſtræ vitæ ac ſalutis æternæ relinquant: vt eundem in cuiuſdam ſerui, miniſtri, & vicarij ordinem cogant. MIN. Vix mihi perſuadeo eos illucuſq; dementiæ peruenisſe. DOCT. Hæc ſunt veſtri hæreſiarchæ verba. *Quia Deus Pater, penes quem reſidet vita, procul à nobis diſtat, Chriſtus quaſi medius ſtatuitur, qui eſt ſecunda vitæ cauſſa, vt inde ad nos vſque perueniat.* Et ne quis excuſando dicat eum de ſola eius humanitate loqui, paucis antea lineis ſcribit: *Hoc elogium eſſe Filij Dei in carne manifeſtati.*

*In cap. 6. Ioan. v. 57.*

Eun-

*In cap. 1. Ioan. v. 18.* Eundem quoq; in serui ordinem redigens, rursum scribit: *Illum ab intimis secretis Patri fuisse.* Et iterùm apertius alibi: *Christum amplectere seruum Patris.* Iterumque: *Christus se ministrum duntaxat statuit, qui nihil nisi Dei virtute gesserit.* Et ne quis putet ista Caluino imprudenter excidisse, attendat eum in peius proficientem, rursus scribere: *Filius metaphoricè dicitur sedere ad dexteram Patris, ratione secundi vel proximi gradus quem obtinet ille vicarius Dei.* Rursumque: *Dicitur Christus sedere ad dexteram Patris, quia secundum quasi honoris & imperij locum obtinet.* Hæc ille; ex quibus animaduertis Filij Dei summam ac infinitam maiestatem sic obscurari & deprimi, vt ei duntaxat serui, ac vicarij locus apud Patrem; & solius secundæ caussæ vitæ nostræ gradus vix assignetur.

*In cap. 22. Matt. v. 44. In ca. 26. v. 64. & in ca. 16. Marc. vers. 19.*

Confutatio 1. MIN. Prorsus ita esse vt scribis, mihi persuades. Atque vt nihil te celem, hæc omnia, longeque adhuc deteriora me legisse recordor apud Caluinum: sed nolebam verenda præceptoris detegere. Deinde, isthæc humanæ naturæ Christi tribuenda esse credebã. DOCT. Sanè si hanc per se solam spectauerimus, huic non malè conueniunt: quoniam propagata est ex semine Patriarcharum, in vtero autem Virginis ex Spiritu Sancto concreta, atque inde nata. Vt sic autem animo concepta, non tantùm *formam serui præ se tulit*, verùm etiam dicitur *opprobrium hominum, abiectio plebis, vermis non homo, vir à Deo percussus & humiliatus, &c.* Sed conspicis hæresiarcham de Christo loqui vt Saluator est, vtque cum Patre diuino comparatus: atq; eum sic mente conceptum, loco scribæ, cubicularij serui, vicarij tantùm haberi: & in secundũ duntaxat honoris, imperij, atque potentiç, à Caluino substerni: quare excusari non potest, quin acerbissimè Filij Dei maiestati detrahat.

*Philip. 2. Psalm. 21. Isa. 53.*

2. MIN. Nolo etiam hominem excusare, cùm è contrario & credam, & probare valeam certissimum ac verissimum esse, quod in fidei nostræ articulis de illo traditur: *Aequalis est Patri secundum diuinitatem.* Item, *Patris & Filij & Spiritus Sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, & coæterna maiestas. Qualis Pater, talis Filius, talis*

Athan.

Spiri-

*Spiritus Sanctus. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.* Cùm igitur Filius sit omnino Patri æqualis, habeatq; eandem diuinitatem, æqualem gloriam, & coæternam maiestatem, nec sit vlla ratione Patre minor aut posterior; Caluinicũ propositum præcipuis Christianæ fidei articulis ex professo repugnat, & Filij Dei potestatem, gloriam, ac imperium non parum imminuit. DOCT. Rectè sanè concludis, atq; sic credendum esse manifestum est, nisi velimus æternis gehennæ flammis cruciari. Sed perge tuo laudabili more hãc hæresim proprio authoris testimonio diuellere.

MINIS. Author suo se confodit gladio dum scribit, *Arrianos rabie correptos, qui quidem putauerunt Iesum Christum non fuisse æqualem Patri, ac si in vna & eadem simplici Dei essentia, aliqua posset inæqualitas reperiri.* DOCT. Furit ergo ipsemet, qui tam audacter in ea diuersas vitæ assignat causas, dispares honoris gradus, varios ordines & locos imperij atq; honoris. 3. *In cap. 1. Io. vers. 18.*

Scribit rursum Institut. lib. 1. c. 13. §. 24. *Quos alloquitur Pater, dicens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, certum est fuisse increatos: nihil verò increatum, excepto ipso Deo, & quidem vno. Nunc ergo nisi concedat Patris, Filij, & Spiritus communem fuisse creandi potestatem, & commune iubendi imperium, sequetur Deum non intus secum ita loquutum esse, sed direxisse ad alios extraneos opifices sermonem suum.* DOC. Si communis est creandi & imperandi potestas, non sunt certè diuersi gradus aut ordines causarum: sed vna & summa tantũ causa. 4. *Genes. 1.*

MIN. Tum eius successor spectabilis Beza inquit. *Personæ Diuinæ sunt coessentiales, & coæternæ, sine proprietatum confusione, aut vlla inæqualitate, vt Ecclesia sacris expositis scripturis contra Sabellium, Samosatenum, Arrium & Nestorium, quorum errores ex animo detestamur.* Addit etiam paulò post. *Credimus: Iesum Christum secundũ naturam Diuinam esse vnicũ Patris Filium, coæternum, consubstantialem, & in omnibus, & per omnia Deo Patri æqualem.* Ex his autem huiusmodi elicio conclusiones. Cùm Pater & Filius sint vna essentia absq; vlla inæqualitate, imò in omnibus & per omnia æquales: improbissimus profectò Cal- 5. *Confess. p. 2. art. 2. et pun. 3. art. 1.*

uinus, qui vnum vult in primis, alterum in ſecundis tantùm conſiſtere. Regem alterum, ſcribam illum: principem hunc, legatum illum: magiſtrum hunc, illum ſeruum: illum præfectum ſeu Curatum, hunc vicarium. Illi primùm honoris & imperij locum tribuit, huic ſolummodò ſecundum relinquit. DOCT. Tam certa ſunt hæc omnia, vt omni ſenſu careret, qui his aliquo pacto reſiſteret: quare hæreſis Caluinica remanet victa, dānata, necnon propria authoris ſentētia confutata, quam etiam refellūt ſucceſſores eius ac diſcipuli.

6. MIN. Iam teſtimonia ſcripturæ, in quibus æqualitas Patris & Filij declaratur, proferas velim. DOCT. Ioannes in primis alta voce ſignificat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Atqui ſi eſſet aliquo gradu Patre inferior, aut Deus non eſſet, aut duo dij eſſent, maior videlicet & minor. Id autem cogitare infandum eſt ſacrilegium.

*Ioan. 1.*

7. Idem rurſum Euangeliſta vocat Filium, ſeu Verbū, rerum omnium authorem: *Omnia*, inquiens, *per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* MIN. In hunc locum fatetur Caluinus, *Chriſtum eſſe lumen, quod per ſe & ex ſe illucet, et totum irradiat mundum, ita vt nulla ſit alia cauſa vel origo ſplendoris.* DOCT. Tanto melius, nā ex his ſeipſum coarguit. Quia ſi Filius author eſt vitæ, creator vniuerſi, vnicū lumen mortaliū, quod ex ſe & per ſe reluceat, Geneuanus iſte obcæcatur nimium dū in ordine ſecundarū cauſarū eum collocādo deprimit.

*Ioan. 1.*

8. Addit Beatus Ioannes de eodem Verbo, ſeu Filio Dei: *Dedit poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius.* Habet itaq; cum Patre eandem adoptandi poteſtatem. Sed noſtram hanc fidem adhuc clarius confirmat, & Hugnoſticam infidelitatem ſubuertit his verbis: *Qui credit in Filium, non iudicatur. Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Qui incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Ex his enim manifeſtum eſt, Filium nullo pacto minorem eſſe Patre, cùm æqualiter in vtroque noſtra fides & ſpes reponi debeat.

*Ioan. 3.*

9. Eandem rurſum imperij & poteſtatis æqualitatem inter Patrem & Filium copiosè his verbis confirmat:

*Vt Pa-*

*Vt Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. Quicunque videt Filium, & credit in eum, habebit vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Et Simon Petrus eadem fide qua & nos prædicti sumus, longè ante nos dixit. *Domine, ad quē ibimus, verba vitæ æternæ habes. Nos credimus & cognouimus quia tu es Filius Dei viui.* Etenim vniuersa hæc Euangelij decreta satis euidenter demonstrant Filium non esse Patris tantum ministrum, non seruum, non vicarium, vt præfractè garrit hæresiarcha: sed omnino illi æqualem, cum in omnibus & per omnia cum Patre eandem habeat vitæ nobis elargiendæ, resuscitandi, glorificandi & saluandi potestatem. *Ioan. 5. & 6.*

Adhuc multo dilucidiùs inquit: *Ego sum pastor bonus. Ego sum ostium ouium, per me si quis introierit, saluabitur. Ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Animam meam pono pro ouibus meis. Ego vitam æternam do eis. Et non peribūt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea &c.* Dic obsecro, vtrum quis minister, scriba, vel seruus tam liberè & audacter hæc auderet polliceri? M. I. Nequaquā: id enim est summi Principis: nec certè potuisset Filius Dei accuratius sese prædicare æqualem Patri in potentia, bonitate, sapientia, iustitia, ac in humanum genus beneuolentia, quàm dicendo, *Do vitam æternā.* Iterumq; adijciens, *Ego & Pater vnum sumus.* Licet enim Caluinus id interpretetur de vnitate consensionis & concordiæ, vt sic tā veteribus, quā nouis Arrianis gratificetur: nūquam tamen negare poterit, quo minus Filius Dei sit *resurrectio, via, veritas, & vita*: nunquam negare poterit, nos baptizari æquali potestate ac iure in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti: nunquam negare poterit Filium in forma Dei, non rapina arbitratum se esse æqualem Deo: ac proinde nec seruum, nec vicarium, nec secundum à Patre locum honoris & imperij habere: sed eundem cum Patre primum ac potissimum. 10. *Ioan. 10.* *Ioan. 10.* *Ioan. 14.* *Matth. 28.* *Philip 2.*

DOCT. Quinetiam quatenus Filius hominis est, *Pater dedit ei potestatem iudicium faciendi, peccata remittere, quos voluerit viuificare*, mortuos ad vitā reuocare, deniq; omnia dedit illi Pater in manus, adeo vt confidenter dicat, *Omnia quæ habet Pater mea sunt, data est mihi omnis* 11. *Ioan. 5. et 13.* *Luc. 5.* *Matth. 10.* *Matth. 28.*

*poteſtas in cælo & in terra.* Quocirca improbiſſimum eſt Hugnoſticorum ſacrilegium, eum tantùm conſtituere miniſtrum, cauſam vitæ ſecundam, ſecundam potentiam ei affingere, talemque eidem authoritatem tribuere, qualem emendicatus quidam vicarius haberet à parœco. MIN. Reuera Caluinus hac in re perbellè conuenit cum Ebionitis, Samoſatenianis, Arrianis, & alijs veteribus maieſtatis coæterni Filij Dei hoſtibus, qui tantundē libenter Chriſto tribuebant. Nec admodum diſſentit à Turcis, Perſis, Mauris, Tartaris, cæterisque Maometanis, qui non minorem ei dignitatem vltrò ſponteq; adſcribere nihil verentur. Itaq; pudore ſuffuſus doleo, tam abominandas impietates ſub repurgatæ Eccleſiæ pallio in dies ſeminari & operiri. Ad aliud quæſo te properemus.

## *NATVRAM DIVINAM ET HVMANAM ſic in Chriſto coniunctas eſſe, vt VNICA SIT TANTVM HYPOSTASIS ſeu perſona: aduerſus nonam hæreſim, numero verò 79.*

DOCTOR.

DVces ac ſigniferi veſtri nefariè dilacerant, & in duas perſonas ſeparant vnicam & indiuiſibilē hypoſtaſim Domini Ieſu Chriſti. MIN. Id ab his fieri nequaquam poteſt. DOC. Dic, cur non? MIN. Neſtorij errorem, quem abominantur, renouarēt. DO. Si manifeſtè probauero, non vis mecum idipſum reprobare? MIN. Sanè quidē. DOCT. Atqui eos tribus modis iam eius erroris conuictos teneo. Primò, quòd Caluinus verbo tantùm Neſtorianos accuſando, incidit in eorum hæreſim ſcribendo: *Ineptè admodum hæc loquendi formula vſurpatur, Deſtruite templum hoc, & cæt. ad tollendam in Ieſu Chriſto perſonarum vnitatem.* Qui diceret vnitatem naturarum, plures naturas agnoſceret: igitur Caluinus dicens *vnitatem perſonarum in Chriſto* plurali numero, non vnicam, ſed duas ſaltem in eo eſſe cōfingit. MIN. His non poſſum repugnare. DOC. Adhuc apertius ſuam declarat hæreſim in Inſtitutione, vbi pro ſummo ſe gerens Theologo, ait *ſe velle de Chriſto diſſerere quatenus eſt perſona Diuina, nec adhuc mediatoris attingere perſonam:*

*Com. Gallic. in cap. 2. Io. Geneu. 1553. pagin. 109. linea 6. et 7.*

*Li. 1. ca. 13. §. 9. 23. & 24.*

*perſonam*: qua garrulitate duplicē in eo conſtituit perſonam, vnam Diuinam, alteram mediatoris. Et poſtea ſcribit: *Reſpondeo Chriſtum eſſe Dei Filium, quia Sermo eſt à Patre ante ſecula genitus, nondum enim de mediatoris perſona nobis ſermo eſt.* Et iterum: *Chriſtus Filius Dei vocatur non tantùm quatenus ante ſecula genitus ex Patre fuit, æternus Sermo; ſed quia mediatoris ſuſcepit perſonam, &c.* Sic enim ſecundò & tertiò diſtinguendo perſonā mediatoris, id eſt humanam, à Verbo ſeu perſona æterna Filij Dei, in oculis & ore omniū duas in Chriſto perſonas conſtituit. MIN. Oporteret eū nauiter impudentē qui negaret. DO. Audiſti etiam quemadmodū definiendo vocabulū perſonæ, modò vult eſſe aliquam proprietatem reſidentem, modò naturam vel ſubſtantiam: at verò certiſſimū eſt in Chriſto eſſe duas ſubſtātias & naturas, multas etiam proprietates: igitur perſpicuum eſt Caluin Ieſum Chriſtum vnicum Dominum noſtrum in perſonarum pluralitatem diuidere. MIN. Tam dilucidè & appoſitè colligis, vt contra ſentire nec quicquam valeam. DOC. Beza in eodem ſeſe volutans cœno, ad Brentij argumēta reſpondēs ait: *In Chriſto duæ ſunt vniones hypoſtaticæ, vna inter corpus & animam, dum ſibi perſonaliter iunguntur: altera inter Verbum & hominem vt ſimul conueniunt ad vnum conſtituendum Chriſtū.* De hoc reprehēſus à Iacobo Andrea altero Germaniæ miniſtro, non reſipuit: ſed profecit in peius, reſpondens, *verè corpus & animam perſonaliter coniungi, & perſonam conſtituere humanam.* Non poſſet autem negare aliunde Filium Dei ante incarnationem fuiſſe veram hypoſtaſin ac perſonam Diuinā: ſequitur itaq; quod in Chriſto ponit & perſonam diuinam, & perſonam humanam, ſicq; duas cum Neſtorianis perſonas. Inde factum eſt vt in Colloquio Montpelgartenſi, ad obiectum ſibi Alcoraniſmū & Neſtorianiſmū, palam reſponderit: *Neſtorianiſmū ſe ferre poſſe, nē aūt Alcoraniſmū.* *Opuſ. Geneu. 1570. pagin. 513. 638. & 639.*

MIN. Nec huic errori ſubſcribam, ſed omni ratione refellam atq; deteſtabor. Primùm quia ſibi contradicunt, & inſtar latronum mutuò ſeſe accuſant & damnant. Nam Beza in Confeſſione fidei *conteſtatur ſe toto animo improbare Neſtorij impias hæreſes.* Hic aūt propterea quòd Ieſum Chriſtū in duas perſonas ſecernebat, à ducentis *Confutatio 1.* *Confe. fid. p. 1. art. 2.*

*Niceph. lib. 14. cap. 38.* centis Patribus in Conc. Ephesino anathemate primùm percussus fuit; deinde, à Theodosio imperatore extra fines Rom. Imp. in exilium pulsus; vbi in insania perseuerans, corpore demũ & anima vt Dathan & Core contigerat, terræ hiatu ab inferis correptus est. DOC. Hoc vtinam seriò secum recogitent Bezani & Caluiniani, desinantq; aliquando furores huius Satanæ mancipij reparare. Num quoque Caluinus secum dissidet ipse?

*Num. 16.*

2. MIN. Multum per omnem modum. Etenim super hęc verba, *Verbum caro factum est*, sic commentatur: *In hoc articulo nos seruare oportet, vnitatem personæ non impedire quo minus naturæ distinctæ maneant*. Et rursum: *Propter vnitatem personæ*, inquit, *illud satis frequens, vt id quod proprium est vni naturæ solius Filij Dei, ad aliam transferatur*. DOC. Huiusmodi est SS. Patrum & Conciliorum sententia aduersus Nestorium decreta, quare Caluinus eius imitator alibi factus, remanet proprio iudicio condemnatus.

*In c. 1. Ioan.*

3. MIN Ille rursum in hunc Ioānis versiculum, *Hoc vos scandalizat*, tradit, *propterea quod duæ in Christo naturæ vnam tantùm constituunt personam, non est noua illi loquendi forma, vni tribuere quod proprium est alteri*. Et in illam D. Thomæ ad IESVM exclamationem, *Dominus meus, & Deus meus*, ait: *Hìc videtur vnitas personæ in Christo Iesu expressa, quando vnus & idem IESVS Christus vocatur Deus & Dominus*. DO. Errat igitur ipse & turpissimè & improbissimè, rursusq; in errorẽ inducit eos, qui dictis suis fidem adhibentes, aliam personã Mediatoris cõminiscuntur ab ęterna Filij Dei persona: & vnicum Dominum in duas personas distrahunt.

*In c. 6. Ioan.*

*In ea. 20. Io.*

4. His quoq; addamus, inter fidei Catholicę articulos relatum esse in symbolis, quæ etiam à Hugnosticis admittuntur, *Credo in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei vnigenitum. Credo in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine*. Deinde in Athanasij symbolo, ita dilucidè vt nihil amplius desiderari possit illud ipsũ explicatur: *Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus non conuersione Diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deũ. Vnus omnino non confusione substantiæ, sed vnitate personæ*. Ad illustrandum verò tanti sper hoc Diuinũ prorsus

*Symb. Nic.*

*Symb. Apost.*

*Symb. Atha.*

prorſus myſterium, eo vtitur exemplo. *Nam ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ſic Deus & homo vnus eſt Chriſtus.* MIN. Hæc certiſſima firmiſſima, & clariſſima ſunt Chriſtianæ Religionis fundamenta: ſed ad hanc fidē magis ac magis propagandam, hæreticum verò mendacium confutandum, non erit alienum aliquos proferre ſcripturę locos. DOC. Angelus dicens ad Virginē, *Concipies in vtero et paries Filium, Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur. Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* 5. Luc. 1. Elizabetha quoq; exclamans, *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me!* ſatis ſuperq; probant vnum & eundem eſſe Filium Dei & Filiū Virginis: & quòd ipſa Mater eſt Verbi Dei ſimul & hominis in vno eodemq; ſuppoſito. Etenim ſi duplex eſſet in Chriſto perſona, altera Filij Dei, altera verò (vt Caluinus Neſtorizās ait) mediatoris; proculdubiò duos Filios, duos magnos, duos ſanctos, & duos Dominos Diuinus nuncius, & Spiritu ſancto afflata vetula prædicaſſent: vnicum autem & ſolum Filium Altiſſimi ex Virgine natum, vnicum ſanctum, vnicū magnum, & vnicum Dominum aſſerentes, cunctos in diuerſas hypoſtaſes illum diſtrahentes, ab omni pietate alienos eſſe demonſtrant. Nouerat Apoſtol. duas in Domino IESV naturas ſeu ſubſtantias minimè confuſas, Diuinam ſcilicet ac humanam: attamen de eo ſemper loquitur tanquā de vnica hypoſtaſi & perſona, nunquam diuidit, nunquam hæretico more lacerat. 6. *Factus eſt Filius Dei*, inquiens, *ex ſemine Dauid ſecundum carnē. Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factū ſub lege. Cùm in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* Vbiq; etiam inculcat vnum Chriſtum, vnum Dominum, & eundem crucifixū: Iudęos Dominū gloriæ crucifixiſſe, &c. Ex quibus patet Neſtorianos veteres in Caluinianis hodie renatos, non eſſe à Deo miſſos; nec eo Spiritu afflatos, qui Paulum legauit & inſpirauit: ſed à principe tenebrarum excitatos, vt propediem venturo magno Antichriſto viam parent ac muniant. Rom. 1. Galat. 4. Philip. 2. 2. Cor. 4. 1. Cor. 2.

MIN. Id ſanè veriſſimum, quoniam Dominus IESVS per vnicè dilectum ſibi diſcipulum clara & alta voce pronunciat: *Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt. Et hic eſt Antichriſtus.* Verè autē ſoluit Ieſum, qui diſ- 7. 1. Ioan. 3.

ſoluta vnitione hypoſtatica in duas perſonas, duos filios, duosq; dominos vnicum illũ mediatorẽ Dei & hominum, cum Neſtorianis & Bezanis ſeparat, atq; dãnabiliter ſoluit. Hanc autẽ hæreſim aliquot Patrum ſententijs refelle, & Catholicũ dogma tantùm confirma.

8. DOCT. Magnus Hieronymus in illum Apoſtoli locum, *Idem eſt qui aſcendit ſuper omnes cælos &c.* docet illo confutari Photinum ac Ebionem, qui Chriſti diuinitatem denegarunt; tum etiam Neſtorium, qui errore furioſo diuidebat Filium Dei & filium hominis in duas perſonas. Eandem rurſum hæreſim ſua premit cenſura, cùm his Euangeliſtæ verbis, *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*: tum his diui Pauli, *qui erat æqualis Deo, ſemetipſum exinaniuit, &c.* MIN. Manifeſta res eſt, quod de eo loquitur Apoſtolus veluti de vnico Filio atq; Domino, & vnicam tãtum gerente perſonã.

*Hieron. in cap. 4. Epheſ.*

*Quæſt. 9. ad Hedib.*

*Ioan. 1.*

*Phil. 2.*

9. DOCT. Auguſtinus quoq; eundem Neſtorium & ſequaces refert in numerum hæreticorum, quos tota reprobauit Chriſtianorum Eccleſia, eò quòd inquit, omnem ſalutis noſtræ cauſam abolere conatus eſt, quo Verbum Dei ſic hominem ſuſcipere dignatũ eſt in vtero Virginis, vt vna perſona fieret Dei & hominis, propterea ſic ſingulariter & mirabiliter natus, mortuus etiam pro peccatis noſtris, cũ ea quę non rapuerat, ſolueret, Deus homo à mortuis reſurgens aſcendit in cælũ.

*Li. de hæreſ.*

10. MIN. Sed quid Romani Epiſcopi de his rebus aliquando decreuerint, velim nunc à te reſcire. DOC. Ex vnico ſanè maximo Leone facilè diſces. Is æquè Neſtorium improbat, Chriſtum in duas perſonas diuidentẽ, & Eutychem impia commixtione duas in eo naturas confundentem. Ait quoq; fides Catholica, quæ omnibus reſiſtit erroribus, etiam ſimul iſtas impietates refutat, damnans Neſtorium diuina ab homine diuidentẽ, deteſtans Eutychem in diuinis humana vacuantem. Idem quoq; Epiſtola ad Iulianum Epiſcopum, aſſerit Ieſum nunquam fore inter Deum & homines mediatorem idoneum, niſi Deus & homo ſimul & perſonaliter fuiſſet. Deniq; in Epiſtola ad Leonem Imperat. Neſtorium huius erroris authorem damnat, vt rabidam inſaniam, & contrariam doctrinæ ac fidei Chriſtianæ molientem. MIN.

*Ser. de Nat.*

*Serm. 6. de Ieiun.*

MIN. Addas tantùm nomina & locos aliorum antiquorum, qui eandem hæresim confutauerunt & damnauerunt. DOCT. Gelasius & ipse summus Apostolicæ Ecclesiæ Pontifex, librum edidit de duabus in Christo naturis, in vnica persona. Theodoretus libro quarto compendij hæreticarum fabularum. Ioannes Cassianus lib. de incarnatione Verbi. Damascenus libro 3. de fide orthodoxa, cap. 2. & 3: & libro de hæresibus. Edidit quoque Arnobius Romanus ante mille & centum annos Conflictum cum Serapione de duabus in Christo naturis in vnica persona, quo grauiter simul & acutè rem istam pertractat. MIN. Apud quem prostat Conflictus iste? DOCT. Nondum prodijt in lucem: sed nostra opera ex vetustissimo exemplari ex scripto, & annotato, breui, si Deus dederit, typis excusus cunctis Latinis communicabitur.

## *SVPREMAM ADORATIONEM DEberi Christo Domino, etiam quatenus Deus & HOMO est: contra decimum errorem: numero autem 80.*

DOCTOR.

CAluinianorum nouus error est in eo, quòd personam Domini nostri Iesu Christi cum duabus substantijs ac naturis suis consideratam, omni religiosa adoratione & diuino cultu spoliant: ne (vt comminiscuntur) creaturam aut elementum adorent pro Creatore. MIN. In libris Caluini isthæc me legisse non memini. DOCT. Fateor quidem illum cautius in hac re se gessisse, quàm discipuli fecerint: sed nihilò religiosius. MIN. Tuam igitur accusationem instituas prius in discipulos: deinde quid prçceptor cẽ fuerit, dispiciemus. DOCT. Lambertus Danæus primùm in Belgium, deinde in Vasconiam à Geneuanis missus, in hæc verba prorupit: *Quoniã caro Christi etiam in vnione, vera caro est, vt verè creatura: ideo nunquam religioso cultu adoranda est.* Nec his contentus, eandem ingeminat hæresim scribendo: *Qui ad ipsam carnem Christi suam adorationem aut inuocationem dirigit, is ex ipsius Dei* *Apologia de adora. carnis Dom. nostri, Exam. libri Kemnitij.*

*ore maledictum est.* MIN. O monstrum horrendum, dignius vocari damnatus, quàm Danæus: quoniam hacce grauiorem damnati non possent euomere blasphemiam. DOCT. Quidam exigui quidem nominis, sed magni veneni sator, Ioānes Sturmius Strasburgensium scholarum rector, eadem ibi pro viribus semina sparsit quanta potuit industria. Tertius præterea Caluini discipulus, Petrus Richerus nomine, ab eodem Caluino missus in Americam 1557. præsente Nicolao VVillagagnone regio ibidem Præfecto, publicè concionatus est, & sua postmodum obsignauit manu, coram Francisco Alberico notario publico 1559. Maij 14. *Non esse adorandum Christum in carne humana, ne terrenum adoretur elementum.* Addebat postea: *Permissum est hunc vt Deum, non vt hominem adorare.* His adiungo Bezam & Musculum, qui nomine Geneuanorum & Bernēsium ad colloquium Montpelgartēse missi, Iacobo Andreę blasphemias istas Danæi exprobranti, responderunt, *se Danæum nolle damnare: qui si præsens esset*, aiebant, *haberet quid pro se responderet.* Habes igitur quid Rabbini vestri quinque discipuli de proposito articulo sentiant atque doceant.

*Epist. apolo. cont. Iacobū Andream.*

Quid autem aliud Caluinum voluisse censes, cùm ait (vt nuper audisti) Dominum nostrum Iesum Christum, *duntaxat esse Patris ministrum, seruum, vicarium, scribam, vitæ secundam causam, & secundum tantum honoris locum post Patrem obtinere*, nisi vt eum omni religioso cultu & adoratione spoliaret? Et Satanam per eum contra Filium Dei hominum redemptorem & iudicem, hanc proditionem machinari, vel ab eo tempore quo suum componeret Catechismum, scribendo, *quod solùm adoret Patrem, in nomine Filij?* MIN. Id proculdubiò verum est. Nolo etiā reticere, mihi semper displicuisse, quod vbicunque potest, adorationem Deo & homini Christo à viris bonis factam imminuit, extenuat, impedit. Enimuerò in Harmonia sua scribit, *Magos nec adorasse nec agnouisse Christum vt verum Deum: sed tantum ei vt magni cuiusdam Regis filio suum obtulisse obsequium.* Nec pertimescit dicere Centurionem, qui eum vehementiore adorabat fide, *Diuinitatis eius fuisse ignarum, proinde non adorasse*

*Cal. in Harmonia.*

*adoraſſe vt verum Deum: ſed tantùm apprehendiſſe poteſtatem Diuinam, quæ in eius relucebat miraculis.* Et vbi Euangeliſta ſcribit, Iairum principem ſynagogæ Chriſtum adoraſſe, *ait eum altero tantùm genu flexo ſalutaſſe, vt Prophetis fieri conſueuerat: nec vllum honorem Diuinum eidem exhibuiſſe.* Rurſum, vbi Ioannes ſcribit cæcum natum, ſed iam illuminatum, Ieſum adoraſſe, ſic ineptè ait: *Adorationis verbo nihil aliud Euangeliſta ſignificat, niſi quod genu demiſſo, vel alio quodam ſigno indicauit honorem, obſequium, & alia beneuolentiæ ſigna alteri exhibenda.* Ioan. 9.

DOCT. Iſtud profectò imminuere eſt, & infando ſacrilegio ſurripere ſupremam adorationem, quam vnico Filio Dei debebat & exhibebat.

Confutatio 1.

Sed quos putas fructus iam pepererunt iſthæc Caluinica aduerſus cultum Chriſti maledicta ſeminaria? MIN. Quos noſti ne tardes aperire. DOCT. His Caluinicis ſententijs ſubnixus Franciſcus Dauid in Tranſyluania miniſter, publicè cõcionatur & ſcriptis diuulgat, Chriſtum abſolutè nec adorandum nec inuocandum. Alciatus eius collega, hanc impietatem pro viribus locupletat & ſpargit. Franken è ſocietate patrum Ieſuitarum apoſtata, in Hungaria & Polonia vocibus & libellis incredibiles blaſphemias exhalans, eundem Dominum noſtrum, omni Diuinitate ſpoliat, Ebioniticam inſaniam renouat, & aliquo modo colendum aut inuocandum eſſe pernegat. MIN. O ſingularem hominis improbitatem! ô ſcelus! ô ſatanicum verè organum! Vel hæc ſola profectò ex Caluiniano fermento nata amaritudo amariſſima, ad impietatem eius refellendam, & Chriſti ſupremum cultum docendum & propagandũ ſufficere deberet. DOCT. Præſtat nihilominus hæreſim illam primò, vt hactenus factitatum eſt, proprijs authorum teſtimonijs refellere, deinde apertis ſcripturis, Patrumque ſanctiſſimis decretis eandem penitus opprimere. MIN. Caluinus certè præfatione Inſtitutionis, ait, ſe ſuosque vnà cum omni fidelium populo adorare verum Deum & Dominum Ieſum Chriſtum, eo planè modo, quo eum viri boni ſemper adorarunt, his verbis: *Deum viuũ & Chriſtum Dominum cum omni fidelium populo colimus & adora-* 2.

*mus, qualiter semper ab omnibus pijs adoratus est.* DOCT. Quorsum igitur alio in loco secundum tantum honoris eidem assignat gradum? Quorsum profitetur se *solum Patrem* adorare? Quorsum exclusiua particula, Filium summo cultu priuat? Sed perge eum irretire, & suis implicare laqueis.

3. MIN. In libro de actis Serueti scribit: *Serogasse Seruetum lata iam in eum mortis sententia, vt ad veniam à Filio Dei impetrandam se totum conuerteret, quem suis deliramentis extenuauerat: sed ex eius ore nullam æterni Filij Dei potuit vnquam extrahere inuocationem.* Alibi verò sæpissimè dicit, Inuocare aliquem argumentum esse in eum fidei, atque supremi cultus: itaque istud exigens à Serueto, satis docebat Christum suppliciter colendum & adorandum esse: quod hæresi suorum manifestè aduersatur, & orthodoxam sententiam confirmat.

*Pag.* 9. & 205.

4. Semetipsum adhuc apertius condemnat scribens in Harmonia, *Nullum quantumuis contemptibile signum obscurare apud nos eius (Christi) gloriã debet, quin saltem humiliter eum adoremus. Pastores minimè offendit stabulũ quominus salutem petant à Christo.* DOCT. At hîc præsertim Christi apparebat carnis infirmitas ac infantilis imbecillitas. Hunc autem Filium in carne & cum carne assumpta adorabant & inuocabant (vt vel inuitus hostis fatetur) sancti pastores. Igitur extrema refertus est malitia cùm pro virili Magos, Centurionem, cæcum illuminatum, Iairum, & quos suis alios impedit, quominus eum vt Deum viuum, & verum adorent. Vereque damnatus Danæus minister, prohibens eum cum carne demissè colendum esse.

*In cap.* 2. *Luc.* v. 12.

5. MIN. Scribit etiam in eodem libro, Christum sedere ad dexteram Patris, & suum in cælo & in terra tenere principatum, cui summa datur potentia, *vt coram eo omne genu flectatur*. Et paulò post adhuc manifestius suam suorumq; impugnans perfidiam, explicansque locum scripturæ vbi refertur, Apostolos Dominum gloriosè in cælos ascendentem adorasse, *non vt magistrum suum*, inquit, *aut Prophetam, imò vt verũ Messiam, regem gloriæ, & totius mundi iudicem adorauerunt.* DOCT. Atqui non ascendit nisi secundum carnem assumptam,

*In cap.* 28. *Matth.*

tam, non est Messias & seruator sine carne, non iudicabit mundum nisi cum carne: eum igitur & cum carne, & in carne positum, & Apostoli adorauerunt, & cunctos adorare decet.

MIN. Alio etiam loco scribit, Deum Patrem sic velle in persona Christi Filij sui agnosci ac venerari, *vt ei omnia deferantur, quæ sibi postulat deferri*: & propterea Turcas & Iudæos frustra sibi persuadere Deo gratum se cultum offerre, cùm à Iesu Christo eius Filio animum habent alienum. Ex quibus omnibus sic aduersus hanc hæresim ratiocinor atq; concludo. Omnis potestas Christo homini data est in cælo & in terra: igitur & omnis cultus religiosus, cùm supremum dominium sit adorationis potior ratio. Homini Christo omne genu flectitur cęlestium, terrestrium, & infernorum, idque pro sua authoritate Deo præcipiēte, & scribente Apostolo: igitur, degentibus in inferis sunt hac in re deteriores Caluiniani, omnem cultum ei detrahentes: Deoque Patri immorigeri, & Filio eius contumelioſi. Sancti Apostoli cum submissis animis adorarunt, vt verum Messiam & mundi iudicem: igitur & nos omnes coram ipso procidere, & qua possumus adoratione salutem & gratiā oportet ab ipso implorare. Atq; hæc mea fides & religio, quicquid cōtra nugigeruli blaterēt ministri. Tu quid tibi videatur pronūcia. 6. *In c. 11. Ioā.*

DOCT. Piè facis atque religiosè: nec Christiani nomen meretur, qui aliter faxit, vt iam firmissimis testimonijs & rationibus comprobabo. Primùm, vniuersæ docent scripturæ, cōfitentur omnes populi, nec ipsi dæmones opinor, audent negare, illum cum omni fide ac spe adorādum esse, qui natura verus & æternus est Deus omnipotens. At Prophetæ, Apostoli, Euangelistæ, Sancti omnes fatentur talem esse Iesum Christum etiam cum assumpta carne: quinetiam vi miraculorum eius coacti spiritus maligni, Iudæi, satellites, latrones idipsum claris vocibus personāt. Quapropter necesse est vt ei etiā in carne & cum carne posito, cultum religiosum & supremam deferant adorationem. 7.

Secundò, cùm vnus & idem sit omnino natura, Deitate, voluntate, potestate, sapientia, maiestate Deo Patri 8.

Patri cóæternus, consubstantialis, & per omnia æqualis, vt etiam Hugnosticorum libera & spontanea est confessio: consentaneum & planè necessariũ est eum perinde ac Patrem venerari & obseruare. Ait enim. *Ego & Pater vnum sumus. Omnia quæ habet Pater, mea sunt.*

Ioan.10.

9. Tertiò, idem Pater cum summa authoritate expressè de Filio suo iubet: *Osculamini Filium*: seu vt alij vertunt, Adorate purè, *nequando irascatur, & pereatis de via iusta.* Et alibi: *Adorate eum omnes Angeli eius. Adorabunt in conspectu eius omnes familiæ gentium. Ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum. Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes magnificabunt eum, omnes gentes seruient ei. Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ. Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Nam isthæc omnia scripturæ testimonia veteres de Christo Deo & homine, atque supremo cultu ei debito ac exhibendo interpretati sunt. Hunc autem cunctis gentibus, populis, Regibus terræ, imò & Angelis cælestibus præcipit Deus Pater deferre vnigenito Filio suo: igitur Deo ipsi in faciem resistunt, qui idipsum facere cum Danæo, Richero, aut Caluino prohibent.

Psal.2. Psal.96. Heb.1. Psal.21. 44. 71. 94 95.

10. Quartò, grauissima, Deoque probata huius Christianę adorationis exempla nobis proposita sunt in sanctis pastoribus, qui relictis gregibus properarunt Christi adorare infantiam. Deinde in felicissimis Magis, qui cum muneribus ad sacram speluncam accedentes, *procidentes adorauerunt eum.* Sed & Centurione, & muliere Chananęa, quorum fidem Christus laudauit & probauit, qui in carne, & cum carne summũ ei honorem detulerunt. Insuper, princeps synagogæ, mater filiorum Zebedæi, cæci, leprosi, claudi, paralytici ab eo curati, sanctæ fœminæ à sepulcro redeuntes, beatissimi Apostoli cõscendentem in cælos Deum hominem conspiciẽtes, & adorantes, factis nos edocuerũt, quem illi honorem afferre debeamus.

Luc.2. Matth.2. Matth.8. 15. Luc.8. Matth.20. Matt.14. 28. Mar.5.

11. Quintò, facilè ac in prõptu est, perbreui omniũ præcipuarum honoris atque adorationis Deo Patri debitæ causarũ enumeratione probare, eam quoque Filio eius Iesu Christo Deo & homini omnino deberi. MIN. Quoniam eximiã & maiorẽ quàm crederes ex ea perceptu-

rus

repturus ſum delectationem, eam quæſo te, nunc explices. DOCT. Primus diuini obſequij articulus eſt, in eum tota mente credere, vt Apoſtolus paſſim loquitur. *Nam qui credit in illum, non confundetur. Accedentem ad Deum, oportet credere, &c.* fidem autem collocare in Chriſtum Deũ ac hominem omnibus ferè noui teſtamenti paginis iubemur: veluti, *Dedit poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius. Qui credit in eum non peribit, ſed habebit vitam æternam. Creditis in Deum, & in me credite.* Laudantur Petrus, Martha, Cœcus, Apoſtoli, quòd in eum crediderint. Rom.10. Heb.11. Ioan.1. Ioan.6. Ioan.14.

Secundus eſt, totam ſpem ſalutis noſtræ in diuinæ miſericordiæ theſauro reponere. Nam beati omnes qui ſperant in eo. *Quoniam in me ſperauit*, ait Dominus, *liberabo eum, protegam eum, &c.* De Meſſia Deo & homine clamant Prophetæ & Apoſtoli: *In eum gentes ſperabunt, Et ipſe erit expectatio gentium Nos qui primi ſperauimus in Chriſto, erimus in laudem gloriæ eius. Si tantùm in hac vita in Chriſto ſperantes eſſemus, miſerabiliores eſſemus omnibus hominibus, &c.* 12. Pſal.90. Iſa.11. Gen.49. Epheſ.1. 1.Cor.15.

Tertius eſt, Deum toto corde, tota anima, ex omni mente, & ex omnibus viribus ſuis diligere. Hoc enim eſt primum & maximum legis mandatum, in Euangelio probatum & cõfirmatum. Chriſtus autem Deus & homo dicit: *Qui amat patrem aut matrem pluſquàm me, non eſt me dignus.* Ter petit à Petro, *Diligis me plus his?* Exclamat quoque Paulus: *Si quis non amat Dominum Ieſum Chriſtum, ſit anathema, maranatha.* 13. Matth.10. Ioan.21. 1.Cor.16.

Quartus eſt, eius obaudiendo mandatis, expectare cum omni fiducia mercedem cæleſtem, quam repromiſit. At Chriſtus homo pollicetur, *Qui audit verba mea, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti qui ædificauit domum ſuam ſupra petram &c. Amen, amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum. Oues meæ vocem meam audiunt, &c. & vitam æternam do eis.* 14. Matth.7. Ioan.8.10.

Quintus eſt, magno timore ac tremore minas cæleſtes reformidare, & horrenda Dei ſummi iudicia pertimeſcere. *Timete*, inquit, *eum qui poteſt corpus & animam mittere in gehennam. Ita dico, hunc timete.* Dauid autem de Chriſto loquitur in hunc modum, *Seruite Domino in timore,* 15. Luc.12. Pſal.2.

*more, & exultate ei cum tremore, ne irascatur, & pereatis de via iusta.*

16. Sextus est, ad Dei gloriam, laudem, & honorem referre cunctas quæ in nobis conspici ac inesse possunt virtutes aut perfectiones. Christus quoque ait, *Beati eritis cùm maledixerint vobis homines, persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me:* *Gaudete, & exultate &c.* Apostoli ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine eius contumeliam pati. Non vult Paulus alia in re gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, cuius stigmata in corpore suo portabat.

*Matth. 5.* *Act. 5.* *Gal. 6.*

17. Septimus consistit in agnoscendo eum fontem esse vberrimum & inexhaustum omnium bonorum spiritalium & corporalium, communium & sigularium, quæ singulis locis ac momentis adueniunt: eidemque quantum maximas poterimus gratias pro illis referre. Scriptum est autem de Iesu Christo Domino nostro: *Omnia per ipsum facta sunt. In ipso condita sunt vniuersa in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia.* Refert quoque Ioannes se vidisse beatos omnes coram agno prostratos cum cytharis & phialis plenis odoramentorum, cantantes: *Dignus es Domine, aperire librum, & soluere signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Addit etiam se vidisse millia millium Angelorum dicentium voce magna, *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem, fortitudinem, honorem, gloriã, &c.*

*Ioan. 1.* *Coloss. 1.* *Apoc. 5.*

18. Octauus est, ex infinitæ maiestatis, potestatis, ac gloriæ eius contemplatione simul & admiratione, in nostræ paupertatis, imbecillitatis ac infimæ conditionis agnitionem descendere: ac omni demissione animi, & quantum poterimus externis viribus atque ritibus nos, nostraq; omnia eidem vti supremo Domino demittere atque submittere. *Loquar ad Dominum,* aiebat pater fidei nostræ, *cùm sim puluis & cinis, &c.* Atqui (vt nuper dicebamus) & Angeli de cælo, & Magi ab Oriente, & Pastores à Bethlehem, & Martha à Bethania, & Apostoli à Iudæa Iesu Christo Deo & homini, etiã in carne adhuc mortali degenti, seipsos demiserũt, &c.

*Gen. 18.*

19. Nonus est, alacri, spontanea, totaque voluntate omnem

ômnem famulatum ac obsequentissimũ seruitium illi deferre, quo seruus deuinctus est Domino, opus opifici, filius patri, & creatura suo Creatori. Sic autem beati Angeli Christo homini, post quadragesimale ieiunium esurienti, ministrauerunt: Apostoli pro magnificentissimo & glorioſissimo honoris titulo appellant se *seruos Iesu Christi*. Quin & vni eorũ dixit Angelus, *Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu.* *Matth. 4.* *Apoc. 19. & 22.*

Decimus est, quando in publicis iudicijs atque magistratuum tribunalibus verum dicere per maiestatem & reuerẽtiam eius adiurati, nomen eius nõ in vanum, sed in veri testimonium ac iudicium assumimus. In lege etenim scriptũ est: *Iurabis per nomen Dei tui.* Et Paulus ait: Omnis controuersiæ finem esse huiusmodi iuramentum. Idem verò hocce adorationis officiũ Christo sæpe tribuit, per eum iurans, & alios per eundem sanctissimè adiurans. 20. *Deut. 6. 10.* *Exod. 23.* *Rom. 9.* *Heb. 6.* *2. Tim. 4.*

Vndecimus est, quando publicam professionem religionis eius suscipientes, Sacramentis ab eo institutis initiamur, aut iustificamur. Sic autem æquè baptizamur in nomine Iesu atque in nomine Patris: & baptizati vnctione chrismatis confirmamur, & absoluimur à peccatis, &c. quibus ritibus Christum Deum hominem & palam & vbique adoramus. 21. *Matth. 28.* Clemens. Dionys. Tertull. Cyprian.

Duodecimus est, cum cum omni fide inuocare tanquam omnipotentem Creatorem, beneuolentissimum Redemptorem, Fortissimũ seruatorẽ, ac omnium bonorum fontem & largitorem ampliſſimũ. Ad id enim officium nos dulcissimis promissionibus inuitat, dicẽdo per Prophetam: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, &c.* inuocationem autem Christi mox fusius sumus asserturi. MIN. Nihil certius est quàm hos duodecim articulos comprehendere officia viri Christiani erga Deum, simulque vera esse effecta fidei ac obsequij, Deo vero debiti: & eadem ipsa quoque deberi Christo Deo & homini: quare eodem cultu & honore adorandus est, quo Deus Pater omnium rerum conditor potentissimus. Dic nunc de eius inuocatione. 22. *Psal. 49.*

## CHRISTVM DEVM ET HOMInem à cunctis suppliciter INVOCANDVM esse: contra 11. hæresim: ordine autem 81.

DOCTOR.

AVdisti nuper Lambertum Danæum Caluinicæ perfidiæ ministrum autumantem, *eum Dei ore maledictum, qui ad ipsam carnem Christi, etiam vt Filio Dei hypostaticè coniunctæ est, inuocationem dirigit.* Alter eiusdē farinæ Petrus Richerus in Americam sub VVilagagnone missus, ibi & verbis prædicauit, & coram Notarijs chartis dedit, & obsignauit chirographo, *Eum qui dixerit Iesum Christum necessariò orandum & inuocandum, hæreticum esse.* Addebat, *Per Christum quidem orandum esse Patrem, sed Filium nunquam inuocandum, ne humanitatitium honos haberetur.* MIN. Horrendum planè scelus: sed illud fortasse, noster Beza, aliique ministri obiurgauerunt & damnauerunt. DOCT. Imò verò probauerunt & commendauerunt, dum authorem, *Virum spectandæ pietatis & doctrinæ appellauerunt.* Magna quoque est cōiectura, omnes eo inquinari cœno, quoniam in cunctis catechismis, precibus publicis, nec non in centum & quinquaginta priuatis orationibus, quas suis adiunxerunt Psalmis, harum ne vnam aut minimam quidem, dirigere voluerūt ad eundem Dominum nostrum Iesum Christum. Dic sodes, huiusmodi impietatem propugnare.

*Mxa. l. Kemnitij. Apolog. adu. Iacob. Andr.*

*Beza in Icon.*

Cōfutatio. 1. MIN. Nequaquam profectò, sed cōstanter & fortiter refellere, idque proprijs Caluinianorum libris, vt nobilior appareat victoria. Caluinus quippe libro de actis Serueti, fatetur, *quod in hac baptizandi formula, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Filium Dei manifestè inuocatur.* Atqui huiusmodi verbis vtendi in administratione huius Sacramenti expressum ac diuinum habemus præceptum: necesse est ergo Hugnosticos aut suum abnegare Baptismum, aut fateri Filij Dei, & hominis inuocationem à Deo præceptam esse. DOCT. Perspicua sanè & firma ratiocinatio, quam nunquam poterunt euadere.

*pag. 251. Matth. 28. Mar. 16.*

MIN.

MIN. Sine me rem istam persequi. In eodem libro Caluinus reprehendit Seruetum, *quòd ne in extremo quidem mortis articulo, voluerit æternum Dei Filium inuocare: minus etiam ab eodem veniam delictorum petere.* Ex quibus colligo, Danæum, Richerum, & alios Genevanæ fidei præcones non minus esse hac in re hæreticos, quàm fuit Seruetus: ideoq; etiam Caluini suffragijs, dignos qui suppositis flammis torreant, quibus verè miserum Seruetum consumpserunt; nisi velint suos improbare ministros, qui Serueticam insaniã imitantur. 2. pag. 9. & 205

Idem rursum Caluinus suorum errorem damnans, & Christi hominis inuocationem asserens, scribit: *Quum se Deus nobis per solum Christum patefaciat, hinc etiam consequitur, omnia à Christo petenda esse.* Et ne quis ad solam Deitatem eius hoc pertinere cauilletur: ecce idem Author alibi contestatur, *Pastores Bethlehemiticos ab eodem Christo infante petijsse salutem.* Nec inficiatur piam Ierosolymorum iuuentutem identidem feciſse acclamatione ista publica, *O sanna*, id est, obsecro salua, *in excelsis.* Oportet ergo aut Danæum cum Richero, & Christi gloriæ, & salutis humanæ hostes infestissimos esse, qui Christũ cum carne & in carne positum inuocare prohibent; aut certè ipsummet Caluinum illã ipsam inuocationem prædicantem, ac manifestis Scripturis suadentem, hominem impium, atque (vt loquuntur) proprio Dei viuentis ore maledictum censere. 3. In c. 1. Ioan. v. 18. In c. 2. Luc. In c. 21. Matth.

Caluinus insuper, in sua Institutione, non semel admittit omnium fermè Patrum antiquorum sententiam esse, Filium Dei sub varijs Angelorum & hominum formis, olim Patriarchis & Prophetis frequenter apparuisse. Cõstat autem eos omni summissione & coluisse & inuocasse eum, qui se eisdem manifestabat: consequens est igitur nos eorum vestigijs adherentes, Christum hominem & colere, & religiosè inuocare oportere. 4. Lib. 1. c. 13. §. 14. L. 2. c. 9.

Fatetur iterum, Diuum Paulum orare, omnia sibi elargiri bona per Dominum Iesum. *Meritò* (inquit) *illi defertur honor, qui non solùm paternæ benignitatis erga nos minister ac dispensator est, sed qui cum Patre omnia operatur.* Et alibi rursum, *Obseruate*, inquit, *Paulum dicere Christum* 5. In cap. 1. ad Rom. In c. 1. prim. ad Cor.

*à fidelibus inuocari: ex quo probatur eius Diuinitas, quòd inuocatio est testis diuini obsequij.* Et postea. *Totus baptismi effectus pendet ex eo, quòd nomẽ Christi in eo inuocatur.* Quid his aduersus Danæi ac Richeri blasphemias apertius dici potest? Si cum Patre omnia largitur & dispensat, nónne sicut Pater, & ipse inuocandus est? Item, si Paulo doctore, à fidelibus inuocatur, sanè infideles sunt habendi, qui eius inuocationi se opponunt. Quod si etiam ex hac Christi inuocatione probatur eius Diuinitas; hostes proculdubiò sunt Diuinitatis eius, qui hanc prohibent. Effectum denique baptismi magno sacrilegio tollunt Danæus, Richerus, authores Catechismi, & precum Psalmis adiunctarum, Christi Iesu omnem inuocationem conuellentes; si suasore Caluino, totus effectus eius pendet ex eo quòd nomen Christi in eo inuocatur.

6. His subijcio certissimas & euidentissimas Scripturas, quibus præcipimur eum audire ac suspicere, vt verum intercessorem, aduocatum, & mediatorem inter Deum & homines. Sic enim illum Paulus appellat: adseritque eundem semper interpellare pro nobis. Et Ioannes ait: *Habemus aduocatum apud Patrem, Iesum Christum.* Atq; ideo ille pollicebatur, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite & accipietis. In nomine meo petetis.* Ex quibus efficitur, nos ad ipsum confugere debere, illi omnia nostra committere negotia, ac eundem supplices exorare, vt sua nos seruet pietate, Patri reconciliet, & tandem aliquando ad vitam perducat æternam. Atque hæc sunt quæ ex illorum codicibus, & aliunde aduersus hanc hæresim depromere possim: scio te paratum & Scripturarum firmissimis exemplis ac testimonijs munitum huc accessisse, has igitur propone, auditor beneuolus assideo.

1. Tim. 2. *Heb.* 8. 9. 12. 1. *Ioan.* 2. *Ioan.* 14. 15. & 16.

7. DOCT. Sacra disertissimè memorant Euangelia, Christum cum carne & in carne sua hîc adhuc degentem saluberrimè interpellatum & inuocatum fuisse à Cẽturione pro puero suo, à Chananæa & principe synagogæ pro filiabus, à patre lunatici pro filio, à Petro pro socru, ab Apostolis nunc vt fidem eis adaugeret, mox vt in mari periclitantes saluaret, à Martha vt La-

rarum ſuſcitaret, à Magdalena vt ſibi peccata condonaret. Eundem quoque multi rogauerunt & obſecrauerunt cæci, leproſi, paralytici, hydropici, qui omnes id ſtatim adepti ſunt, quod ab hoc incarnato Filio Dei efflagitarunt: quæ omnia ſatis perſpicuè aſſerunt & manifeſtant, quid nobis in cunctis calamitatibus ſit agendum, & ad quem in neceſſitatibus noſtris ſit confugiendũ. MIN. Pro certo Chriſtus omnes illos procul à ſe ablegaſſet, vel coarguiſſet ſuperſtitionis, ſi ſolum Patrem inuocandum cenſuiſſet: & proinde tot pedibus ſuis proſtratos ac ſupplices exaudiens & ſeruans, ſatis patefecit Deo Patri gratiſſimam eſſe Filij etiam in carne poſiti feruentem & demiſſam inuocationem. Abeant igitur cum perfidis Iudæis, Scribis, & Phariſæis, in malam crucem viri nefarij, qui hunc mediatoris noſtri interpellationi obſtrepunt: nos autem cum ſuperioribus beatiſſimis hominibus, ad eum tota fide confugiamus, inuocemus, & exclamemus, *Ieſu fili Dauid, miſerere noſtri.*

DOCT. An non etiam ad ſui inuocationem, quatenus homo eſt ac Filius hominis, mulierem Samaritidem palam inuitabat, dicens: *Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam?* Quod & continuò non inutiliter præſtitit, dicens: *Domine, da mihi hanc aquam.* Nec tandem fraudata eſt à deſiderio ſuo, quando conuerſa ad Dominum, cæteris etiam popularibus ſuis viam ad Chriſtum latiſſimam aperuit. MIN. Caluinus profectò hoc argumento conuictum ac ſuperatum ſe ſentiens, veritati cedit, atque diſcipulorum ſuorum impietatem damnans Commentarijs in hunc locum ait: *His verbis teſtatur Chriſtus, ſi ad ipſum dirigantur vota noſtra, minimè irrita fore. Et certè ſine hac fiducia prorſus frigeret petendi ſtudium. Verùm, vbi ad ſe venientibus Chriſtus occurrit, atque ad omnes ſanandos paratus eſt, iam non eſt pigritiæ vel ceſſationi locus.* 8.

Ioan. 4. v. 10

DOCT. Sed quid vnquã vel excogitare, vel etiam demurmurare poterũt belluli Reformatores veſtri, aduerſus clariſſimam & fructuoſiſſimam pœnitentis in cruce latronis interpellationem? An non Dominum 9.

Luc. 23.

IESVM in propria persona, & cum carne aduersus mortis angustias colluctantem, planissimè inuocat, dicens: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum*? An non etiam deprecationem illam Filius Dei & hominis, vt acceptam, sanctã, & piam protinus exaudiuit, respondens illi: *Amen dico tibi, quia hodie mecũ eris in Paradiso*?

10. Auderent ne etiã solum intra dentes aliquos efflare
*Act.7.* susurros, ad vituperandum B. prothomartyrem Steph. qui tanto cũ affectu, in ipso mortis articulo, suã Domino IESV, quem in carne cernebat stantẽ à dextris virtutis Dei, cõmendat animam? Ab eodẽ quoq; tanta charitate postulat, vt ijs qui eum tetris calumnijs vexatum, & falsis testimonijs diffamatũ, omni crudelitate lapidabant & opprimebãt, clemens ignoscat? MIN. Certè, quid aduersus ista obgannire possint, non video: atque ob id non dubito ipsum Dançũ proprio ipsius Dei ore maledictũ esse, qui Christum cum carne assumpta non inuocandum esse censuerit.

11. DOC. Enimuerò nisi vidisset idẽ Filius Dei necessarium esse mortales omnes ad se hominem factũ confugere, non eos his amantissimis verbis inuitasset &
*Matth.11.* allexisset: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Nec tam sedulò sæpeque pro nobis precatus fuisset in montibus, in cœna, in cruce; noctu, serò, & clarissima luce. MIN. Credo istud verum perinde ac ipsum Euangelium.

12. DOCT. Neq; bono pastori se similem, imò & verũ
*Ioan.10.* bonumque pastorem esse dixisset, neq; se ostiũ ouium pronunciasset, quo in ouile quisque ingredi debet; nisi necessarium duxisset, suis nos egere interpellationibus ac precibus, vt ad Patrem accederemus.

13. Quod alta mente considerans Apostolus, in principio ac fine omnium fermè Epistolarum, his ad quos scribit exoptat gratiam, pacem, & misericordiam non solum *à Deo Patre, sed etiam à Domino nostro Iesu Christo.*

14. Et quam ob rem Ananias tam grauiter coram Do-
*Act.9.* mino conquestus esset, Saulum in vincula coniecisse, & crudeliter vexasse omnes qui inuocabant nomen Christi, si iuxta Richerum, Danæum, & Hugnosticos, non liceret Filium Dei inuocare? Non esset pium ad

cum

eum quatenus homo est, preces nostras dirigere? Aut quis filijs Scenæ ostendisset, dæmones è corporibus humanis expellere in nomine Iesu, nisi id Paulum & alios Apostolicos viros factitantes conspexissent? *Act.19.*

Nónne & ad eundem Ecclesiæ sponsum suspirans & anhelans clamat sponsa: *Veni Domine Iesu!* M I N. Tot tantisque Scripturis aliquot addas veterum Theologorum preces ad eundem Dominum Iesum, & nihil vlterius hac in re à te requiram. 15. *Apoc.22.*

DOCT. Quoniam scio te Augustini pietate summaque doctrina delectari, en tibi eius ad Christum Deum & hominem feruens supplicatio: Pulcherrime Iesu Christe, rogo te per illam sacratissimam effusionem pretiosi sanguinis tui, quo redempti sumus, da mihi cordis contritionem, & lacrymarum fontem, præcipuè dum preces & orationes tibi offero, &c. Dum sacris altaribus licet indignus assisto, cupiens tibi offerre illud mirabile & cæleste sacrificium, omni reuerentia dignum, quod tu Domine, instituisti, & offerre præcepisti in commemorationem tuæ charitatis, &c. Dulcis Christe, bone Iesu, accende me, illumina & sanctifica vas tuum, &c. Et postea, sic Patrem Filij confidentia conuenit: In ipso securus respiro qui sedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis. In ipso confisus ad te peruenire desidero, in quo iam resurreximus & reuiximus, iam in cælum conscendimus, & in cælestibus considemus. M I N. Ex alio eiusdem libro quædam rursus laudes, & sat mihi erit. 16. *Manual.c.18. Luc.22. 1.Cor.11. Cap.13.*

DOCT. His feruentissimis verbis eundem Filium hominis alloquitur: O Domine Iesu, accipe spiritum meum: vita mea, suscipe animam meam. Gaudium meum, attrahe spiritum meum: dulcis cibus meus, comedam te: caput meum, dirige me: lumen oculorum meorum, illumina me, &c. Et idem iterum sic precatur: Opus manuum tuarum Domine, ne despicias, sed vulnera manuum tuarum precor vt aspicias. Ecce in manibus tuis descripsisti me: lege ipsam scripturam, & salua me. En ad te suspiro, creatura tua; creator es, recrea me. En ad te clamo, factura tua; vita es, viuifica me. En ad te respicio, tuum plasma: 17. *Soliloq. c.2. Cap.2.*

plasmator es, restaura me. Parce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei, &c. Tu es medicus, tu lux, tu vita, Iesu Nazarene, miserere mei: Fili Dauid, miserere mei, fons misericordiæ, &c. MIN. Hîc finis esto, vt de alio capite dicamus.

## *SANCTISSIMVM NOMEN DOMINI IESV debito honore ac religioso cultu venerandum esse: contra duodecimam, ordine verò 81. hæresim Hugnosticam.*

### DOCTOR.

GEneuani, & qui horũ sententiam complectuntur omnes, admodum ingrati sunt, & minus quàm par est religiosi erga Redemptorem & iudicem totius huius mundi, quando vel caput suum aperire, vel genu flectere audacissimè recusant, si fortè sanctum & venerabile nomen IESV audierint pronunciari. Nec tanto maiestatis eius cõtemptu contenti, furiosè despumant, & plurimas euomunt iniurias aduersus eos, qui cùm audiunt, honorem deferunt ei, quem intelligunt sibi verbis illis repræsentari. MIN. Equidem si contingat id nomen in nostris cõcionibus aut Cœnis recitari, nihil plus mouemur, quàm si Cain, Pharaonem, Iudam, Satanam, aut totius orbis impura verba diceremus. Et si accidat, (vt sæpius expertus sum) aliquem ex veteri consuetudine, huic aliquid honoris deferre, statim ab omnibus coarguitur & deridetur, vti superstitiosus, ignarus, insulsus, dignus cucula, hypocrita, adhuc semipapista & idololatra. Atque hoc planè didicimus ab Authore sectæ Calumo. Nam hic strigosus, bouinatorque ore improbus duro Satanam reboans, ait: *Discant pij lectores, Sorbonicos sophistas cum tortis suis speculationibus detestari, &c. Plusquam ridiculi sunt Sorbonici sophistæ, qui ex præsenti loco, Vt in nomine IESV omne genu flectatur, &c. genu flectendum esse colligũt, quoties nomen Iesu pronunciatur: quasi vox esset magica, quæ totam in sono vim haberet inclusam.* Hæc ille, nimis fateor superbè atque contumeliosè: verùm à te peto, velis ne huius

In c. 2. Phil. vers. 6.

ne huius nominis literas, syllabas, aut certè sonum coli debere?

DOCT. Minimè: sed adorando & inuocando eũ, qui his signatur & repræsentatur mentibus, æquissimum esse tum assurgere, ac externis signis indicare, quomodo eidem afficiamur, cùm nominatur. Vestros autem id superbissimè contemnentes, & contumelioſissimè prohibentes, citius Iudaicam impietatem, quàm Christianam veteremq; sanctorum pietatem, iure contendimus resipere, Diuo scribente Hieronymo, suo seculo Christianos à Iudæis, vel hac nota cognitos & secretos fuisse, quòd nunquã genua flecterẽt audito IESV nomine: Christiani verò vel ea demitterent, caput aperirent, vel inclinarent. Ideoq; hæresiarcha vester dignior est lacrymis, quàm risu, qui cœtus vestros in sacrilegum Filij Dei contemptum adducit, & in cæcam Iudæorum perfidiam pertrahit. Confutatio 1. *L. 3. com. in Isaiam.*

MIN. Non possum satis mirari quomodo sese primùm hac in re fefellerit, deinde nos in eundem errorem adduxerit: quando secum ipse pugnans Rabbinos Hebræorum coarguit, *quòd negabant nomen IESV venerandum, & cum timore profitendum, propter quod omne genu flectatur necesse est.* An non his verbis suis, seipsum Iudaica impietate condemnat? Diuinique Pauli sententia confirmat, nomen IESV venerandum, & cum timore ac reuerentia profitendum: DOCT. Insuper, & sanctissimos Theologos, quos contemptim Sorbonicos & sophistas appellat, sanctissimè & rectissimè venerationem illius nominis ex diuinis scripturis colligere & adfirmare docet imprudentissimè. 2. *In c. 1. Luc. vers. 31.*

MIN. Addit etiam paulò post superiora verba: *Nomen Dei appellatur sanctum, quòd supremã meretur honorem: & quoties huius nominis fit mentio, toties eius maiestas veneranda est.* Sacrum autem nomen IESV Deum nostrum saluatorem significat: quoties igitur pronuntiatur, toties eius maiestas, quæ his verbis significatur & suggeritur, submissis animis est adoranda. DOCT. Vnde etiam conficitur, Hugnosticos planè obcæcatos, & à debito Dei cultu longissimè distractos esse, cùm negligunt ad hoc venerandũ nomen, duras ceruices flectere, 3. *Matth. 1.*

vel ſuperba capita tantiſper inclinare, vt Filio Dei honorem impendant.

4. MIN. Addit rurſum. *Ita nobis reputanda eſt in hoc nomine IESV diuina Chriſti maieſtas, vt reuerentiam apud nos obtineat, quæ vnico & æterno Deo debetur.* Si ergo in nomine IESV Chriſti Diuina reputanda eſt maieſtas, Hugnoſtici certè illius ſunt nequiſſimi contemptores, qui hoc nomen ne minimo quidem dignantur honore. Si ei quoque deferenda eſt ea reuerentia, quæ vnico Deo debetur: proculdubiò ijdem impiiſſimi ſunt, qui ad eius commemorationem ne genua quidem flectere volunt.

*In c. 1. Matt. verſ. 23.*

5. Explicans quoque verba, quibus Chriſtus territos Apoſtolos ſuos conſolatus eſt, dicens: *Ego ſum, nolite timere*, ait de illius diuino nomine: *Pij qui ſibi agnoſcunt (IESV M) propitiatorem eſſe datum, audito eius nomine, quod illis eſt certum & diuini amoris & ſuæ ſalutis pignus, quaſi à morte in vitam excitati animos colligunt: & quaſi ſerenum cælum hilares conſpiciunt, quieti in terra reſident; & omnium malorum victores, eius præſidium omnibus periculis opponunt.*

*Ioan. 6. verſ. 20.*

Et inſtitutionis ſtatim initio vltrò fatetur, *Humanam mentem non poſſe Deum apprehendere, quin ſtatim illi cultum exhibeat & obſequium.* DOCT. Atqui venerando nomine IESV non poſſumus non ſtatim apprehendere Emmanuelem, id eſt, nobiſcum Deum hominem verum, ac nobis datum. Igitur omnẽ cultum ei debemus ac religioſum obſequium. Et ſi omnes qui de hoc diuino nomine quidpiam audiunt, animos reuocant, intelligentes ſuum propitiatorem his maximè ſignificari ſyllabis, omnes idipſum amplectũtur veluti pignus ſalutis & beatæ reſurrectionis ſuæ, eſſent profectò brutis ſtupidiores, niſi quædam externa interioris fidei, amoris, ac beneuolentiæ ſigna exhiberent.

*Lib. 1. cap. 2.*

*Iſaiæ 7.*

6. MIN. Eſſent non dubito: & Geneuani nullum eidem cultum exhibentes, innuunt ſe multo plus honoris & timoris Regibus terrenis impendere, quàm cæleſti ac ſummo benefactori: quando illorum titulis ac nominibus capita aperiunt; ad huius autem appellationem nec paululum flectere dignantur. Sed tu age nunc Scripturis: hactenus enim ſatis ex ipſis contra ipſos certa-

sos certauimus. DOCT. Mira in illis referuntur, quæ huic nomini conueniunt. Ac primùm quidem quòd non solùm, illud angeli mortalibus patefecerunt, sed etiam exposuerunt per hoc illum significari, qui cunctos homines saluaret, & à peccatis suis eximeret. MI. Sunt igitur omni salute indigni, qui pluris illud nõ faciunt, quàm cùm nomen belluæ audiuerint. *Matth.* 1. *Luc.* 1.

DOCT. Postquam Saluator suis promisit Discipulis, *quòd in nomine suo dæmonia eijcerent, linguis loquerentur nouis, serpentes tollerent, & si mortiferum quid biberent, non eis noceret, super ægros manus imponerent & bene haberent*: statim toto orbe hæc promissa suum consequuta sunt effectum. Nam Petrus in hoc nomine IESV Christi, claudum omnibus membris captum, statim dimisit alacrem atq; liberum. Paulus in eodem nomine ex corpore mulieris pythonicum, id est, spiritum impurum ac malignum expulit. Apostoli omnes per vniuersum mundum innumera fecerunt miracula, quibus manifestauerunt quàm venerandum, potens, & pertimescendum esset admirabile nomen IESV. 7. *Luc.* 10. *Marc.* 16. *Act.* 3. *Act.* 16. *Mar.* 16.

Quantæ porrò authoritatis esset apud Deum Patrem in cælis, hoc idem nomen inuocatum in terris, ostendit idem Filius Dei cùm ait: *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Si quid petieritis à Patre in nomine meo dabitur vobis. Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo, petite, & accipietis. In illo die in nomine meo petetis etc.* MIN. Hæc verè manifestant illud maximam habere authoritatem apud Patrem: & incredibiles fructus his super terram adferre, qui per illud inuocant, ipsumq; religiosè venerantur. 8. *Ioan.* 14. 15. 16.

DOCT. Et quamuis in toto Bibliorum corpore nullam aliam comperiremus, sacri nominis IESV honorandi probationem, præter hanc quæ à D. Paulo desumitur, nonne sufficeret ad omnem animam Christianam adducendam, vt illud veneraretur, & pio animo complecteretur? *Quoniam*, inquit, *exinaniuit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illũ, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua* 9. *Philip.* 2.

confi-

*confiteatur quoniam Dominus IESVS est in gloria Dei Patris.* MINIST. Eximium sanè testimonium, & adsertio tam aperta & valida, vt etiam Caluinus ex ea Rabbinos Iudæorum coarguat, & ex consequenti discipulos proprios damnet, quòd hoc nomen IESV non venerarentur. Sed præ his vellem audire quosdam veteres, qui Apostolicorũ verborum sensa explicauerint.

DOCT. Ex illis probat Tertullianus IESVM
10. Christum in omnibus & per omnia esse æqualem Pa-
*Lib. adu. Iudæos.* tri, dignum similis gloriæ, & similis ãdorationis, vt æternus & consubstantialis eius Filius. Neque enim (ait) si non & Deus esset Christus, omne se in nomine eius genu flecteret. Adhuc verò apertius honorem huic nomini debitum comprobans scribit: In hunc modum Christi regnum & nomen vbiq; porrigitur, vbiq; creditur, ab omnibus Gentibus colitur, vbiq; regnat, vbiq; adoratur. MIN. Sequitur ergo Caluinianos huius sacri nominis contemptores regnum Dei subuertere, & regiæ maiestati quam significat, pro virili sua repugnare. Perge porrò.

11. DOCT. Præstantissimus Pontifex & martyr Cy-
*Lib de bono patient.* prianus, hisdem verbis Apostoli, contendit Deum Patrem iubere Filium adorari, eo quo solet modo venerari, cùm illi tum diuinum nomen dederit, vt Angelus dixerit Ioanni, *Noli me adorare, sed IESVM adora.* Ex-
*Ser. de ablu. pedum.* clamat etiam alio in loco: Honor tuus, ô Deus, iudiciũ diligit, & æquum est vt omnis terra adoret te, & in nomine tuo omne genu flectatur.

12. Augustinus, illius sanctissimi pontificis iudicium
*Lib. de assumpt. ca. 3.* sequutus, in eandem sententiam scribit: Vocabulum IESVS glorioſum, omni ornatu, cultuque dignissimum, super omnia nomina elatum, non debuit ab hominibus imponi, nec ab his in mundum adferri, sed per digniorem excellentioremque naturam, nimirum
*Luc. 1.* per Angelum, qui dixit Virgini: *Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM.*

13. Magnus Athanasius in vita S. Antonij testis est, hunc
*Athan.* sanctum virum cacodæmonum magnam horrendamque cateruam procul à se abegisse, sanctissimi nominis IESV huiusmodi prece, IESVS tuas funditus subruit

ſubruit vires. Lactantius adfirmat, ſpiritus inquinatos ab hominibus excludi, tam nomine IESV, quàm ſigno paſſionis & mortis eius; id eſt, crucis conſignatione. Iuſtinus Martyr in nomine IESV dęmones fugari docet; longè fortius quàm Ieſus Naue, id eſt, Ioſue populos Chananæorum in huius rei typum ſuperauerit, ceciderit, deleuerit. *L.4.c.26.27* *Dialog. cum Tryphone.*

14. Notant alij quidam Theologi Ioannem dilectum Chriſti diſcipulum tanto huius nominis amore ac reuerentia flagraſſe, vt in ſingulis pene verſiculis de præceptore agens, illud ipſum in Euangelio pluſquam ducenties vicies repetens inculcauerit. Dulciſſimaq; prece idipſum appellans in fine Apocalypſis ait: *Veni Domine IESV.* Paulum quoque in Epiſtolis pluſquam ducenties vicies IESVM nominans, eius memoriam ac honorem mentibus cunctorum altiſſimè infigere conatur.

15. MIN. Mirarer vehementer ſi Bernardus mellitiſſimis & ardentiſſimis concionibus ſuis huius quoque nominis & proprietates & vires non explicaret. DOC. Paulò ampliorib⁹ verbis eius accipe q̣d de his ſenſerit: Agnoſco nomen ꝙ in Iſaia legi: *Seruos ſuos* (inquit) *vocabit nomine alio.* O nomẽ benedictũ. ô oleũ vſquequaq; effuſum. Quouſq;? de cęlo in Iudæã, & inde in omnem terram excurrit: & de toto orbe clamat Eccleſia, *Oleum effuſum nomen tuum.* Effuſum planè quod non ſolùm cælos, terrasque perfudit: ſed aſperſit & inferos, adeo *vt in nomine IESV omne genu flectatur cæleſtiũ, terreſtrium, & infernorum, &c.* Oleum lucet, paſcit, & vngit: fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem. Lux, cibus, medicina. Sponſi nomen (IESV) lucet prædicatum, paſcit recogitatum, inuocatum lenit & vngit. Vnde putas in toto orbe tanta & tam ſubita fidei lux, niſi de prædicato IESV? Hoc nomen coram Regibus, & gentibus, & filijs Iſrael portare iuſtus eſt Apoſtolus, & portabat nomen tãquam lumen, & illuminabat. Et monſtrabat omnibus lucernam ſuper cãdelabrum, annuncians in omni loco IESVM, & hunc crucifixum. Lux iſta perſtrinxit omnium intuentium oculos, quando de ore Petri tanquam fulgur egrediens claudi vnius *Serm. 13. in Cantica.* *Iſa. 65.* *Cant. 1.* *Phil. 2.* *Act.*

corporales plantas ſolidauit, multoſq; ſpiritualiter cæcos illuminauit, cùm ait, In nomine IESV Chriſti Nazareni, ſurge & ambula. Nec tantùm lux eſt nomen IESV, ſed eſt & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid ęquè mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat ſenſus? virtutes roborat? vegetat mores bonos? caſtas fouet affectiones? Si ſcribas, non ſapit niſi legero ibi IESVM. Si diſputes aut conferas, non ſapit mihi niſi ſonuerit ibi IESVS. IESVS mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Sed eſt & medicina. Triſtatur aliquis noſtrum? Veniat in cor IESVS, & inde ſaliat in os, & nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen? Currit in ſuperad laqueum mortis deſperando? Nonne ſi inuocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam? &c. Nihil ita impetum iræ cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat liuoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, reſtinguit libidinis flammam, ſitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cùm nomino IESVM, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, eundemque Deum omnipotentem, qui ſuo me & exemplo ſanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia mihi ſonant, cùm inſonuerit IESVS. &c. MIN. Satis iam ex his dictum ſit. Video enim hac in re & Gallum hæreſiarcham turpiter ſecum diſſidentem, audio inſuper ſanctiſſimos Patres ex ſacris literis comprobantes ſanctiſſimum nomen IESV dignum eſſe omni honore ac reuerentia: ea propter ſemper in poſterum exultabo in Deo IESV meo, & quicquid fecero in eius ſacro nomine & laude faciam. Ad aliud vertatur oratio.

## *CHRISTVM SATIS POTENTEM fuiſſe ad ſuſcitandum è mortuis corpus ſuum: aduerſus 13. ordine verò 82. hareſim.*

DOCTOR.

In cap. 2. Ioan.

CAluinus veſter abſurdum putat, *quòd Chriſtus ſibi vendicet propriæ reſurrectionis gloriam, cùm paſſim* (ait)

(ait) *Scriptura doceat, opus esse Dei Patris.* Et postea quoque scribit, *Paulum Deo Patri tribuere gloriam resurrectionis Christi, tanquam maioris momenti ad id probandum quod prætendit, quàm si ipsimet Christo tribuisset.* Adeo vt his velit Christum non fuisse tantę potestatis, vt seipsum excitaret à mortuis: idque solum Patrem præstare potuisse, MINIST. Non recelabo id commune ac vulgatum esse inter Ministros, tam in priuatis colloquijs, quàm publicis disputationibus & concionibus. Nam cùm aliquando Dieppę, Neustriæ seu Normaniç portu, degerem, & concionibus ministri Francisci à Sancto Paulo interessem, ille verba ista Pauli explicans: *Qui suscitauit à mortuis magnum pastorem nostrum Iesum*, palam asseruit, *Christum non potuisse seipsum à morte suscitare, atque ideo necessarium fuisse, vt Pater ad id opus brachium virtutis suæ ostenderet.* In cap. 8. Rom. 1564. Hebr. 13.

Confutatio 1.

Verùm ab hac sententia tanquam à blasphemia semper abhorrui, quoniam contumeliosa est infinitę potentiæ atq; virtuti diuinæ, quæ cum Patre eidem Christo omnino vna & communis est. Confitemur etenim in symbolo, *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus. Non tamen tres omnipotentes, sed vnus omnipotens. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, &c.* Si ergo Pater potuit Filium hominē reuocare in hanc lucem, idem & Filius potuit. Athan.

2.

Deinde, supra multis & valentibus argumentis euicimus opera Trinitatis quæ ad res conditas spectant, penitus indiuisa & inseparabilia esse, quoniam in tribus diuinis personis eadem prorsus voluntas, eadem virtus, eadem mens & diuinitas. Igitur cùm Pater suscitasse dicitur Filium à morte, eadem opera & Filius seipsum suscitasse credendum est, *Quæcunq;* inquit, *facit Pater, hæc et Filius similiter facit.* Ioan. 1.

3

Præterea, si aliqua in re sibi aduersatur Caluinus, in hac maximè. Nam statim post illa quæ superius citasti ex eo verba, scribit: *CHRISTVM habuisse potestatem resurgendi.* Et paulò pòst. *Equidem Christus ex seipso resurrexit, propriaque virtute, sed vt consueuit attribuere Patri omnem quam habet diuinam virtutem, ita non improprie locutus est Apostolus dicendo, Deum suscitasse Christum* In cap. 8. Rom. In cap. 1. Rom. v. 4.

*Christum per Spiritum suum.* DOCT. Non posset apertius secum dissidere, hîc verè prædicans Christum non solum habuisse potestatem resurgendi, sed & propria virtute, adeoque à seipso resurrexisse: alibi verò indiguisse Patris auxilio, imò & omnem resurrectionis virtutem soli Patri tribuendam. Sed perge Genevanum Antistitem proprio iudicio coarguere.

4. MIN. Rursum proprium errorem expugnans ait:

*Com. in ca. 5. Ioan.* *Porrò diuina potentia ideo in Christi resurrectione effulsisse dicitur, quòd suapte virtute resurrexit, vt testatus est aliquoties:*

*Ioan. 2. 10.* *Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. Nemo tollit animam meam à meipso, &c. Nam de morte victoriam non precario auxilio, sed cælestis Spiritus sui operatione adeptus est.* DOCT. Ergo cùm Christus propria virtute surrexit, id soli Patri non est tribuendum. Si duplici Scripturæ testimonio verè & efficaciter id confirmatur à Caluino, mendaces & impij sunt Caluiniani discipuli, qui contradicunt. Si operatione cælestis Spiritus sui, & non alieno suffultus auxilio, in hanc vitam redijt, magna illum afficiunt iniuria, dum alibi garriunt idipsum præstare nequiuisse.

5. MINIST. Alio rursum loco sua persequitur pugnantia: *Omnis potestas Dei Patris* (inquiens) *ita est in Filio eius Iesu Christo, vt extra illum reperiri non valeat.*

*In cap. 5. Io.* Deinde, *mox confitetur vocem Filij Dei magni esse momenti ad mortuos resuscitandos, quoniam ipse fons est vitæ, quam sua voce super homines effundit: nec vita ab eo ad nos quotidie effluere, nisi causam & originem eius in seipso contineret.* Ex quibus verbis sic hæresim eius impugno. Christus habuit potestatem resurgendi, idque propria virtute, ergo intolleranda impietas est dicere eum non potuisse. Christus in seipso causam & originem vitæ habuit, ergo non indiguit brachio alieno.

6. DOCT. Hæc omnino vera. Insuper, si propria virtute non potuit seipsum excitare à mortuis, nec filium

*Luc. 7.* viduæ ad portam Naim, nec filiam Principis Synagogæ in ædibus paternis,

*Luc. 8.* nec Lazarum à Bethania,

*Ioan. 11.* potestate sua in lucem istam reuocàuit: nec populi iure mirantes benedicebant, quòd Deus tantam potestatem dedisset hominibus: nec Dominus ipse rectè admodũ tanquam

tanquam virtute magna præditus ex seipso iubebat: *Adolescens, tibi dico, surge; Puella, surge; Lazare, veni foràs.* Quod si iure proprio atque authoritate eis iussit vt surgerent: cur id non potuit in proprium corpus, quod in aliena? Manifestum & certum est itaque quòd sponte sua positam valuit recuperare vitam, qui alijs tanta potestate & maiestate restituit.

Accedit quod paulò ante prædicauerat: *Sicut Pater* 7.
*suscitat mortuos & viuificat sic Filius quos vult viuificat.* Et *Ioan. 5.*
consueto iuramento idipsum adfirmans simul & amplificans subijcit: *Amen amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent.* Et rationem subnectit. *Sicut enim Pater vitam habet in semetipso sic dedit & filio vitam habere in semetipso.* MINIST. Magnifica sanè & sanctissima promissa, atque huic disputationi valde accommoda. Etenim si Filius quibus libet vitam impertit, sicut & Pater, potuit eam sibi resumere. Et si ad eius iussionem omnes resurrecturi sunt de monumentis, multo magis sua virtute potuit propriam ex sepulcro viuentem educere carnem. Hæc denique tanta adseueratione iureiurando confirmans, omnium huic doctrinæ aduersantium damnat perfidiam: simulque aperit vnde sua nostraque resurrectio procedat.

DOCT. Hac se verè præditum esse potestate rur- 8.
sum multoque magis sequente capite docet his verbis *Ioan. 6.*
*Omnis qui videt Filium, & credit in eum, habet vitam æternam. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Et mox sequitur. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.* MINIST. Magna certè vis est in repetitione pronominis *Ego*: quoniam sibijpsi declarat inesse hãc potestatem; itemque illius futurum effectum manifestat, repromittens se reipsa mortuos suscitaturum. Quocirca nimis certè aperta & impudens est impietas, dicere illum seipsum nequiuisse suscitare, qui tot hominum myriades tandem aliquando reuocaturus est ad vitam. Illum inquam, qui principem mortis diabolum tam gloriosè vicit, qui inferos ipsos spoliauit, qui mortem ipsam occidit, qui captiuam duxit captiuitatem, qui omnem ac-

cepit potestatem in cælo, in terra, & in omnibus abyssis, adeo infirmũ ac imbecillum fuisse in exiguo Iudeæ angulo, vt à mortuis seipsum non potuerit exsoluere.

9. DOCT. Et vt altius mentibus humanis infigeret se hac munitum esse virtute, qua seipsum excitaret à mortuis, iterum dicit: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego ponam eam à meipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quibus, rogo te, verbis potuisset clarius patefacere se præditum esse potestate seipsum suscitandi à mortuis, quàm dicẽdo, *Iterum sumam animam meam? Potestatem habeo iterum sumendi animam meam?* An non eum ergo mendacij coarguunt vestri antistites, dicentes eum non potuisse?

Ioan. 10.

10. Sed eũdem rursum de hac potestate sua etiam in alijs suscitandis differẽtem exaudias. *Ego sum* (inquit) *resurrectio & vita. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. Et omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.* Huiusque potestatis illustrissimum & clarissimum illicò demonstraturus exemplum, petijt vbi positũ esset Lazari iam computrescentis cadauer: quò cùm venisset, & lapis superpositus monumento sublatus fuisset, voce magna Lazarum mortuum inclamauit, *Lazare, veni foras.* Et statim prodijt viuus & vegetus, qui fuerat mortuus. Vocat ergo quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Vides itaque illos aduersus omnem fidem, aduersus omnem rationem, & aduersus Euangelium manifestè pugnare, qui suscitandi assumptã humanitatem virtutem & gloriam Domino nostro IESV Christo adimunt.

Ioan. 11.

11. MIN. Hęc profectò tam perspicua sunt, vt qui non viderit, à Satana planè sit obcæcatus. Nec enim maior potestas requiritur ad reuocandã in corpus mortuum animam, quàm ad innumeram earum multitudinem quotidie creandam: aut educendum se ex tumulo viuum, quàm ad peccata remittenda, veramq; iustitiam atq; gratiam impartiẽdam. Hæc porrò vel inuiti fatentur omnes perfici à Domino Iesu: necesse est igitur vt & ad corpus proprium è morte & tumulo eruendũ vim ei adesse confiteantur. Sed de his hactenus, alia videamus.

DOMI-

## DOMINVM NOSTRVM IESVM Christum in PROPRIA PERSONA venturum esse ad iudicandum viuos & mortuos: contra hæresim 14. & numero 83.

DOCTOR.

ABerrant etiam fœdissimè vestri aduersus istum symboli fidei Christianę de Christo articulum, *Venturus est iudicare viuos & mortuos;* adfirmantes eum non esse ad id venturum, sed Patrem in persona Filij. MIN. Quis tam nefaria protulit? DOCT. Caluinus incubauit, & minister Petrus Richerus, quem tantopere commendat in Iconibus suis Beza, excusit. Ecce quæ de hoc scripsit Eques V Villagagnonus. *Cùm Richerus in mentionem iudicij futuri incidisset, negauit Iesum Christum mortuos iudicaturum: sed Patrem in eius persona. Neque Filium fore qui apparebit in iudicio, sed Patrem.* L. ad artic. Calu. tradit. cap. 86. MIN. Sint hæc ita, Bezaque authorem celebrarit: sed quid ad Caluinum? Quibus euincis rationibus hunc eum errorem in animo fouisse? DOCT. Primò quòd communi sectæ Catechismo, vos ita Patris personam affari docet; *donec venias in persona Filij iudicare viuos & mortuos.* Deinde, Commentarijs suis in hęc Domini verba, *Ego non iudico quemquam*, diui Augustini, Cyrilli, aliorumq; Patrum interpretationē superbè reiciēdo, ita ex proprio cerebro cōcludit, *IESVS Christus non iudicat, ergo non est iudex.* Præterea, audiuisti quemadmodum Christum existimāt *tantùm ministrum, secretarium, & vicarium Patris*: audies postea eosdē censentes eum *vt nos omnes ignarum, ac futuri iudicij diei insciũm*: quare certissimum est huius hæresis Caluinum esse authorem. Partes huius vtrum tueri velis?

MIN. Absit vt tam sanctis ac disertis fidei nostræ capitibus, quæ in tribus religionis Christianæ symbolis apertè comprehenduntur, aliquando contradicam: imò vsq; ad extremum vitæ spiritum, si Dominus dederit, constanter profitebor, quod vt videntibus hominibus Christus homo ascendit in cælum, ita & cum

Confutatio 1. *Symbol.* *Act. 1. & 10.*

corpore, propriaque persona aspectabilis veniet iudicare viuos & mortuos. Hoc enim & symbola canunt, & Euangelistæ testantur, & Apostoli personant, imò & Angeli de cælo aduentantes magna adseueratione confirmant.

2. Quinetiam Caluinus suo se obstringēs laqueo, alio *In c.8. Ioan.* in loco fatetur, *se agnoscere Iesum Christum gloriæ Regem, totiusque mundi iudicem.* Alibi, *quod tribunal conscendet, & sententiam feret.* Et rursum: *Pater constituit eum iudicem viuorum & mortuorum, quod Apostoli inter præcipuos Euangelij articulos semper reposuerunt.* Ex quibus concludo eum sacrosancto Euāgelio planè resistere, & Apostolicæ doctrinæ nefariè seipsum obijcere, insuper & Christi personam de magnificentissimo solio suo deturbare, quando contrarium asserere non vereatur. DOCT. Ecquænam est Bezæ de hac re sententia?

3. MIN. Nunquam profectò asina Balaam domini *Conf. pāg. 6.* ac sessoris sui amentiam & impietatem apertius coarguit, quàm suum deridet & accusat in spiritu erroris patrem. Scribit enim: *Veniet è cælo Iesus Christus in suo humano & visibili corpore, sed cum Diuina maiestate. Tunc aderunt coram eo cuncti homines, iudicabit hos & illos.* Sed Patris persona nō assumpsit corpus humanum: igitur Pater non est vēturus iudex in ꝑsona Filij: sed ipsemet Filius in persona propria, qua simul Deus & homo est.

4. DOCT. Catholici verbo diuino freti profitentur trium quidem personarum actiones, quæ ad creaturas spectant, nullo modo separari: ac proinde hæ tres simul huic mundo æquè finem imponent, æquè mortuos suscitabunt, æquè improbos sempiternis multabunt supplicijs, electosque sempiterna gloria cumulabunt. MIN. Quid ergo Filius præter Patrem & Spiritum faciet, vt solus iudex vniuersorū sit, & dicatur? DOCT. Quoniam is solus naturam humanā assumpsit, in eademque patiens & moriens nobis peccatorum condonationem, & vitā æternam promeruit; sibi verò ipsi proprij corporis glorificationē, totius mundi imperium, vt caput esset totius Ecclesiæ, Iudexque viuorum & mortuorū tandem glorioſissimè appareret; in eadem denique forma humana, qua sententiam

mortis

mortis ab homine iniquo ſuſcepit, vltimam in omnes proferet æquiſſimam vel æternę mortis vel gloriæ ſententiam. Hæc porrò cùm Patri aut Spiritui ſancto ſcripturæ non tribuant, ſed Filio ſoli, ſolus verè dicitur Iudex, & verè iudicaturus eſt in propria perſona viuos ac mortuos.

Iſtud porrò Scripturarum teſtimonijs communio. 5.
Ait enim idem Filius: *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant & Patrem.* Et protinus adijcit. *Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo: & dedit illi poteſtatem iudicium facere, quia Filius hominis eſt.* An non ergo & Dei Filio in faciem cõtradicit, & Patris decretis ſeſe opponit hæreſiarcha, quando nititur illum de ſolio iudicij ſui poſtremi dejcere? Ioan. 5.

Adhæc, iſtius iudicij forma in Euangelio ſic ad viuum expreſſa eſt; *Cùm venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes. Et ſeparabit eos, &c. Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt, Venite benedicti, &c. Et his qui à ſiniſtris, Ite maledicti, &c.* MIN. Verè omnia tribuuntur Filij ſolius perſonæ, non Patris aut Spiritus, quando dicitur venturus Filius hominis, idemque ſeſſurus ſuper iudiciariam ſedem, congregaturus, ſeparaturus, dicturusque his & illis nouiſſimum æquiſſimumque decretum. Inſuper, cùm is qui iudicaturus aduenict, reipſa habiturus ſit dexteram & ſiniſtram, reipſaque dicturus illis, *Eſuriui & dediſtis mihi manducare*; iſtis è contrario, *Eſuriui & non dediſtis mihi manducare*; hęc porrò ſoli perſonæ Filij conuenire poſſint, non Patri aut Spiritui: ſolus profectò Filius hominis in iudicio apparens, in ſingulos inquiret, & de ſingulis pronunciabit. 6. Matth. 25.

DOCT. Ille rurſum ait: *Veniet Filius hominis in gloria Patris, cum Angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique iuxta opera ſua.* Et quibuſdam ſignis ac portentis quæ iudicium iſtud præcedent expoſitis, ſubnectit: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum poteſtate magna & maieſtate.* Quinetiam beati Angeli monuerũt 7. Matth. 16. & 24.

Act.1. Apostolos intuentes eum in cælos euntem, *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis, sic veniet quemadmodum vidistis eum ascendentem in cælum. Hic Iesus*, inquiunt, non Pater in forma senis, vt visus est Danieli: nō Spiritus in specie columbæ, aut dispertitis linguis igneis, aut flatu vehementi, quemadmodum aliquoties seipsum manifestauit; sed *hic Iesus*, hæc persona, quæ carnem assumpsit, quæ secundum carnem mortua, sepulta, resurrexit, & nunc ascendit in cælos, *hic Iesus*, non alius veniet. Ad quid, nisi vt iudicet viuos & mortuos?

Dan.7. Matth.3. Act.1.

8. Petrus summus Apostolorum propterea constanter prædicat, *Hic constitutus est à Deo Patre Iudex viuorum & mortuorum.* Paulus quoq; adiurat Timotheum, veri pastoris integrum officium diligentissimè exercere, per Christum Iesum qui venturus est iudicare viuos & mortuos. Et Ioannes dilucidè prædicat, *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerūt.* MI. Non est opus pluribus testimonijs tam apertum certumque religionis fundamentum confirmare; cui enim isthæc non sufficerint, nec sexcenta alia satis essent. Aliud ergo caput persequamur.

Act.10. 2.Tim.4. Apoc.1.

## CHRISTVM SECVNDVM DEITATEM non orare pro nobis: sed potius nostras preces exaudire: aduersus 15. huius Dialogi errorem, numero autem 84.

DOCTOR.

ERrant rursum & turpissimè aduersus æternam summamque maiestatem Diuinam Filij, quam ita deprimunt, vt audeant asserere eum pro nobis orare ac intercedere quatenus Deus est. MIN. Quis rerum Theologicarum tam ignarus, vt tam fœdum excogitarit errorem? DOCT. Spectabilis vester Beza, vsus his verbis: *Itaque hoc posito, quod verissimum est, Christum etiam secundum Deitatem, humanæ naturæ coniunctam, pro nobis apud Patrem intercedere, non tamen inde sequitur, quod apud seipsum intercedat.* Si diceret, Iesum Christum qui Deus & homo est, pro nobis apud Patrem

1. quæst. & respons. pag. 33. & opusc. Lat. pag. 675

trem intercedit, rectè vereque diceret; quandoquidem Scriptura docet, eum esse mediatorem nostrum apud Patrem: eum assidere Patri vt interpellet pro nobis: sacerdotium habere sempiternum: semperque viuere ad interpellandum pro nobis: atque hæc est Christiana Catholicaque doctrina. Sed dicere illum *quatenus Deus est, & secundum ipsam Deitatem orare* apud Patrem, non modò falsum, sed & impium & Deitati contumeliosum est. 1. *Ioan.2. Rom.8. Heb.7. 1.Tim.2.*

MIN. Facilè probabo Bezam hac in re Caluini sui præceptis repugnare. Scribit enim *intercessionem Christi esse mortis eius applicationem cõtinuam, sic in salutem nostram exercendo efficacitatem & virtutem sacrificij sui.* Præterea scribit alibi: *Quia apparet ipse assiduè cum morte & resurrectione sua, quæ vice sunt æternæ intercessionis, & viuæ orationis efficaciam habent, vt Patrem nobis concilient, atque exorabilem reddant, meritò dicitur intercedere.* Atqui secundum humanitatem assumptam tantùm & mortuus est, & resurrexit: secũdum humanitatem solùm factus est sacrificium cruentum, atque in cruce immolatum pro peccatis totius mundi: Deitas enim per se non est capax istarum actionum, passionum, & cõmutationum: igitur cùm iuxta Caluinum, intercessio Christi sit tantum mortis ac sacrificij eius oblatio & applicatio, tantùm intercedit secundum humanitatem, & non secundum Deitatem. Confutatio 1. *In 1.epist.Io. cap.2. In c.8. Rom. vers.34.*

Præterea, orare atque intercedere æquè propria sunt sacrificantis officia, atque offerre hostias: & ideo in sacris, orationes nominantur puræ oblationes atque sacrificia: Sed Christus Iesus non sacrificat, non immolat, non immolatur nisi secundum humanitatem, non secundum Deitatem. Igitur tantummodo supplicat, rogat, & interpellat quatenus homo est, non quatenus Deus: vt verò Deus est, oblata sibi sacrificia & porrectas preces pro sua admittit gratia & misericordia. Atque hæc mea contra Bezanam sententiam argumenta. DOCT. Valentissima sanè, & quæ ex authoris sectæ fundamentis apertè demonstrant, Christum nequaquam secundum Deitatem Patri pro nobis supplicare, sed iuxta solam huma- 2. *Calu. in c.8. Heb.*

nitatem : atque ita neceſſe eſt Hugnoſticos pontificem ſuum Bezam aut maximæ accuſare ignorantiæ, aut potius inſignis aduerſus Chriſtum impietatis ac contumeliæ.

3. His autem adijcio, & probo, quod tamen Beza tanquam rem abſurdam negauit, nimirum quod ſi Chriſtus ſecundum Deitatem obſecrat, apud ſeipſum intercedat, atque ſic cupiens euadere Scyllam, incidit in Charybdim. Interceſſio omnis eſt apud aliquem. Ergo Chriſtus ſic intercedens, vel apud Patrem, vel apud Spiritum, vel apud vtrunq; intercedit. MIN. Reſpondebit pro certo quòd apud Patrem intercedit. DOCT. Sed de ſeipſo & Patre dixit, *Ego & Pater vnum ſumus.* Et de tribus dictum eſt; *Hi tres vnum ſunt.* Igitur ſi quatenus Deus eſt intercedat, vt vult Beza, intercedit apud ſeipſum; quod idem Beza negat. MIN. Si dixerit, perſonam Diuinam Filij vt diſtinctam à perſona Patris, apud eum intercedere, quid obijcies? DOCT. Interceſſionem opus eſſe voluntatis: vtriuſque autem perſonæ eſt eadem omnino voluntas, eadem mens, eadem beneuolentia: igitur etiam ſic intercederet apud ſemetipſum: quod iure abſonum iudicat Beza. Sed cùm voluntas humana, quę in Chriſto diſtincta & impermixta ſemper manet, reipſa ſecernatur à voluntate Diuina, rectè per humanā dicitur intercedere apud Diuinam. Atq; ſic ſemper erroris conuictus manet veſter Theodorus, vt nihil commodè iſtis poſſit reſpondere.

*Ioan.* 10.
1. *Ioan.* 5.

4. Adhæc, oportet idoneum interceſſorem ac mediatorem ab his aliqua ex parte diſſitum eſſe, quos in concordiam, amorem, & mutuam conſenſionem nititur reducere, docente Apoſtolo, *Mediatorem non eſſe vnius, Deum verò vnum eſſe.* Dominus autem IESVS ſecundum Deitatem nihil omnino differt à Patre, cui eſt conſubſtantialis, coæternus & coæqualis. Igitur ſecundum Deitatem non poteſt apud eum mediatoris aut interceſſoris fungi officio. At verò ſecundum humanitatem tantum à Patre diſtinguitur, quantum à ſuo Creatore differt creatura: & à nobis omnibus non ſolum conceptione, natali, vitæ ratione, reſurrectione, aſcenſione, ad dexteram Patris conſeſſione plurimum

*Gal.* 3.

mum distat; sed & hypostatica cum Verbo vnitione, ac innumerabilium Spiritus donorum infusione atque participatione. Igitur propriè mediator ac intercessor noster est apud Patrem secundum assumptam humanitatem, non secundum Deitatem. MIN. Hæc collectio tam solida manifestaque mihi videtur, vt omnino solui à quoquam hæretico non valeat.

DOCT. Rursum, sanctissimæ Trinitatis Patris, & Filij & Spiritus sancti opera ita sunt indiuisa & inseparabilia, ratione eiusdem essentiæ, voluntatis, atque potestatis; vt quicquid vna earum erga res conditas efficiat, omnes simul operentur. MIN. Hoc non inuitè confitentur Musculus, Caluinus, Simlerus, Beza, & comministri. DOCT. At nullus vnquam vir pius ausus est dicere, Deum Patrem pro nobis intercedere: consequens est igitur, nec Filium secundum Deitatem alicui supplicem esse. 5.

Insuper, à te & comministris quæro, Num creditis IESV Christi voluntatem diuinam tantæ esse virtutis ac potentiæ, vt in consilijs ac studijs suis præpediri à quoquam non possit. MIN. Credimus & confitemur, docente nos Apostolo, *Voluntati eius quis resistit?* Dicentibusque Prophetis, *Quæcunque voluit, fecit in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui eius, & dicat ei, quare fecisti? DOCT. Voluntas autem quæ supplicat & precatur alterum, nec est omniporens, nec semper quæcunque vult operatur, alioqui studia atque vota sua alteri non explicaret, aut submissè commendaret, tanquam maiori & valentiori, vt ab eo iuuaretur & auxilium acciperet. Certum est igitur & manifestū, quod Christus non precatur secundū Deitatē & voluntatem æternā, sed duntaxat secundum humanam. MI. Credo equidem Bezam duarū in Christo voluntatū distinctionem non animaduertisse aut credidisse, cùm superior ei excidit error. DOCT. Ergo versabatur in erroribus Monothelitarum aut Eutychianorum, confundentiū in Christo duas substantias, duasque voluntates, quæ vnitati tamen personę illius nihil omnino repugnant. 6.

*Psalm.113.* *Psalm.134.* *Rom.9.* *Dan.4.*

MIN. Tu miſerum hominem ſic vndique conſtringis, vt non videam quo pacto vinculis argumentorum tuorum poſſit exſolui.

DOCT. Apoſtolus paucis quidem, ſed lectiſſimis & grauiſſimis verbis Bezanam impietatem refellens ait: *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Addendo, *homo Chriſtus*, apertè indicat eum ſecundum humanitatem officio fungi mediatoris ac interceſſoris, non ſecundum Deitatem. Subnectendo etiam, quod *ſemetipſum dederit redemptionem pro omnibus*, in cruce videlicet, pretium redemptionis humanæ per ſanguinem & mortem exoluendo, identidem clarius explicat atque corroborat.

7. 1. Tim. 2.

Idem rurſum ſcribendo Ieſum eſſe ad dexteră Dei, ac interpellare pro nobis, ne quis cũ Beza aberrans cogitaret id eum facere quatenus Deus eſt, paulò ante prę-miſit; *Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt; imò qui & reſurrexit*: ſignificans dilucidè eam interceſſionem pertinere ad naturam capacem mortis & reſurrectionis, id eſt, humanam, non ad Diuinam, quæ morti non eſt obnoxia.

8. Rom. 8.

Iterumque apertius idem adſerit, ſcribens eundem Chriſtum ſummum Pontificem noſtrum *per proprium ſanguinem introiuiſſe ſemel in ſancta* loca, id eſt, in Patris cęleſtis conſpectum, *æterna redemptione inuenta*. Quod aliquantò poſtea explanat his verbis. *Non enim in manufacta templa Ieſus introijt* (vt Aaron & eius ſortis ſacrifici introibant): *ſed in ipſum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis*. Hîc habes deſcriptum Mediatoris atque patroni noſtri Chriſti IESV officium. Is enim introiuit in cõſpectum Patris, ibi perpetuò ſtat & intercedit pro nobis: ſed per proprium ſanguinem, per paſſionẽ & mortem, quam Patri offert continuò pro nobis interpellans & orans. MIN. Sanguis porrò effuſus, & oblatum corpus in ſacrificium ad humanam ſubſtantiam pertinent, non ad Diuinam. Itaque intercedit ſolummodo ſecundum aſſumptam naturam humanam; non ſecundum Diuinam, quæ illam aſſumpſit.

9. Hebr. 9.

His tantùm addas quædam veterum teſtimonia, & finem

10.

nem huic disputationi imponemus. DO. Cyrillus affirmando Christum (quatenus homo est) esse quidem Episcopum; quatenus verò Deus est, suas excipere oblationes atq; sacrificia, satis declarat eum preces offerre tantùm vt homo, exaudire verò vt Deus. Nam orationes vera sunt mentis sacrificia. *Apolog. cõt. orient.*

MIN. Ante omnia expetebam à te rescire, quid de hac magnus ille Aurelius Augustinus senserit. DOC. II. Non alia fuit illius fides ac doctrina, vt ex eo liquet quod ad Patrem ait: Vera morte carnis Christus mortuus est pro nobis, qui te interpellat pro nobis. Et post lõgam doctamq; de Mediatore disquisitionẽ, tandem colligit: Inquantum enim homo, intantum Mediator: inquantum autem Verbũ, non medius qui æqualis est Deo. Et paulò post: Meritò mihi spes valida in eo est, quod sanabis omnes langores meos per eum qui sedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis, alioquin desperarem, &c. MINIS. Præclarè profectò & piè. Perge adhuc te quæso. DOCT. Scribit rursum: IESVS vt homo mediator est Dei Patris & hominũ: nã vt Deus, est æqualis Patri, hoc est, Deus cum Deo, & vnus cum Patre & Spiritu sancto, non mediator. Iterumq; ait: Iesus Christus secundum formam Dei æqualis est Patri: secundum formam serui mediator est Dei & hominũ. Et rursum. Secundum hominem Christus & Rex, & sacerdos effectus est, vt esset ad interpellãdum pro nobis mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Et ad huc alibi. Non per hoc mediator est, quod æqualis Patri. Per hoc enim quantũ Pater, tantũ & ipse à nobis distat. Et quomodo erit medietas, vbi eadem distãtia est? Ideo Apostolus non ait, Christus Iesus, sed homo Christus Iesus, per hoc mediator quod homo. Alibi rursum in hanc rem nostram scribit: Vnde verus ille Mediator inquantum formam serui accipiens Mediator effectus Dei & hominum homo CHRISTVS IESVS, cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo & vnus Deus est: tamen, in forma serui sacrificium maluit esse quàm sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc & sacerdos est, ipse offerẽs, ipse

*Libr. 9. confess. cap. 4.* *Lib. 10. confess. cap. 43.* *Lib. 1. Trin. cap 7.* *Li. 2. de pec. orig. cap. 28.* *Lib. 10. de ciuit. cap. 20.*

ipse & oblatio. Hactenus ille & sanctissimus & doctissimus Theologus. Officium porrò mediatoris est pro eis intercedere, quorum partes tuetur, vt in gratiam reducat. Igitur secundum humanam naturam tantùm Christus intercedit, non secundum Diuinam. Atque hæc non vnius tantùm Augustini fides atque doctrina: sed & Apostolorum & vniuersæ prorsus Ecclesiæ.

12. MINIS. Cùm hæc recitas, in mentem meam hoc vnum occurrit, quod paucis explicabo, & finem facio. Firmissimè tenēt nostri antistites veram ac legitimam inuocationē speciē esse cultus & adorationis eius quæ Deo debetur: quæ fieri non potest sine fide & spe. Atqui non auderet Beza, vt opinor, dicere Christum secundum Deitatem adorare, quoniam ipse est qui à cunctis Angelis & hominibus adoratur. Neque habere propriè fidem aut spem, cùm ipse sit propter quem hęc dona nobis impertiuntur, eademque tantùm ad hominum viatorum animos pertinent, non ad Christum & Deum, & comprehensorem. Itaque si secundum Diuinitatem intercedit & orat, vt vult Beza; certè non est natura Deus æternus, & summo Patri æqualis. Sicque fictitia, imaginariaque tantùm Deitate præditum cum Beza cum Arrianis confingeret; quod horrendam impietatem resipit.

## *DE AETERNA PERFECTAQVE IESV Filij Dei Diuinitate: aduersus 16. hæresim, ordine verò 85.*

### DOCTOR.

**Maximis coniecturis probatur Caluinianos sentire cum Arrianis.**

MAximis & firmissimis quatuor coniecturis ducor, vt existimem Caluinianos vestros aut æternam IESV Christi Deitatem in corde suo negare, dicentes cum insipiente, *Non est Deus*: aut saltem eis viam latissimam patefacere ac munire, qui tam nefariam impietatem volunt hoc nouissimo seculo instaurare. MINI. Has te quæso, ne reticeas, sed ordine recense, vt singulas expendamus. DOCT. Prima est, quod Caluinus suadeat *illum habere distinctam substantiam à Patre: esse tantùm causam secundam vitæ: secundum tantùm*

**Prima.**

*tùm honoris ac imperij gradum obtinere: tantùm miniſtrum, ſecretarium, ac vicarium Patris eſſe.* Beza quoque prædicet *eundem ſecundum Deitatem precari, eius Deitatem ſine humanitate inutilem: nec potuiſſe à mortuis ſeipſum excitare.* Alijq; iſtorum gregales nunc palam eructent, *eundem* (vt ſuperius audiſti) *perſonaliter nec adorandum nec inuocandum eſſe.* MIN. Equidem certè æqui rerum æſtimatores facilè iudicabunt horrendas hæreſes iſtas aliunde non poſſe emanare, quàm ab animis erga Filij Dei æternam perfectamque Diuinitatem malè affectis: quandoquidem Ebionitæ, Samoſateniani, Arriani, quinetiam Iudæi ac Mahometani eiuſdem Deitatis ex profeſſo aduerſarij, nec his deteriora, nec abſurdiora contra eam effutiuerunt mendacia. DOCT. Ad hæc, ſcripſit Caluinus, *nomen Dei per antonomaſiam acceptum, ad ſolum Patrem pertinere*: igitur Filio detrahit. Rurſum, *Exiſtimat Filiũ etiam ſecundum quod Deus dicitur, poſt iudicium, Patri fore ſubiectum*: negat ergo illius cum Patre coæqualitatem & conſubſtantialitatem. Addit, *Eundem Filium reſpectu perſonæ, Creatorem cæli & terræ non poſſe propriè appellari*: inficiatur ergo eum cum Patre eandem habere voluntatem, poteſtatem, & operationem. Laudat denique Staniſlaum Sarnicium miniſtrum Polonum, *quòd in publica cum nouis Arrianis diſputatione conceſſit, deinde typis euulgauit, Filium ratione officij eſſe minorem Patre etiam in natura diuina*: quæ fuit Arrianorum & aliorum hoſtium Diuinitatis Chriſti vetus inſania, vt eſt apud Athanaſium & Hilarium fortiſſimos & feliciſſimos illius propugnatores. MINIS. Tam fortis ac euidens mihi ſanè videtur hæc prima coniectura, vt conſtantis ac euidentis probationis locum obtinere poſſit.

*Supra, pagg. 219. 223. 242. &c.*

*Li. adu. Val. Gentilem.*

*Inſt. libr. 2. c. 14. §. 3.*

*Li. adu. Val. Gentil.*

*Epiſt. ad Polon.*

DOC. Secunda eſt, quod incredibili fraude & malitia vniuerſos deprauant & corrumpunt Scripturarũ locos, quibus aduerſus Arrianos eandem Chriſti Diuinitatem veteres ſanctiſque Patres adſeruerunt & confirmauerunt. Malunt enim pias germanasque Patrum interpretationes calumniari & reprobare, quàm imitari: Hæreticorum autem impia & falſa gloſſemata laudare, probare, ac inſtaurare, vt his communiti noui Arriani audentius in publicum prodeant, & Chriſto Domino

Secunda coniectura.

mino Deo noſtro bellum inferant. MIN. Exemplis perſpicuis & certis id tibi confirmandum eſt. DOCT. Hic Ioannis locus, *Ego et Pater vnum ſumus*, Catholicis hactenus firmiſſimum propugnaculum fuit ad reprimendam furentem Arrianorum audaciam, ſimulque aſſerendam Domini IESV æternam, ac eandem cum Patre Deitatem. Atque in hanc rem locum illum Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, Epiphanius, Cyrillus Patres Græci; deinde Hilarius, Ambroſius, Prudentius, Victorinus, Leo, Hieronymus, Auguſtin⁹ Eccleſiæ Latinæ proceres; quin etiam trecenti decem & octo illi veteris & Apoſtolicæ fidei fortiſſimi aſſertores, qui ante mille & trecentos annos in Nicenam ſynodum cõuenerunt, & frequenter & piè recteq; vſurparunt. MIN. Quid? Caluinus ne tantæ luci tenebras ſuas offundit? DOC. Ait, *omnes illos magnopere abuſos eſſe huiuſmodi loco, vt probarent Filium Patri conſubſtantialem eſſe, quòd illic non agatur de vnitate ſubſtantiæ, ſed ſolùm de conſenſione voluntatis.* Idem & Beza tantundem iudicat & de hoc eiuſdem Ioannis loco: *Hi tres vnum ſunt*, autumantes, *hæc verba ad eſſentiæ vnitatem non referri, ſed tantùm ad voluntatis conſenſum, veluti ſi multæ chordæ, ſiue diuerſi in organis calami in vnam harmoniam conſentirent.* MIN. Hæc eſt verè diabolica audacia, qua tot antiquis, doctis ſanctisq; paſtoribus fidē detrahunt: inſuper, & nefaria religionis Chriſtianæ proditione, Chriſtianis arma ſurripiunt, vt his Arrianos præmuniant. DO. Rurſum, quando beati Eccleſiæ Doctores huic Arrianorum obiectioni *Pater maior me eſt*, reſponderunt, id verum eſſe quantum ad humanam naturam pertinet; Caluinus eos redarguit, dicens *huiuſmodi ſolutionem eſſe frigidam, ineptam, ac diſſentaneam; cùm in eo loco* (inquit) *humanæ Filij naturæ nulla fiat mentio.* MIN. Impiè profectò à Chriſtianis caſtris ad Arriana deficit. Tot enim importunæ Patrum reprehenſiones, & inſanæ ſuperbiæ ſigna ſunt manifeſta; & argumenta certiſſima quòd Arrianorum magis quàm Catholicorum partibus fauerit.

Ioan. 10.

1. Io. 5.

Ioan. 14.

Tertia coniectura. Pſal. 8.

DOCT. Tertia coniectura eſt, in eo quod Miniſtri veſtri in Bibliis Gallicis, illuſtrem hunc Dauidis de Verbo incarnato locum, *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis*, perpe-

perpetuò ac perperam transferūt, Minuisti eum paulò minus à Deo. Et in cœnis ac cantilenis vestris semper occinitis, *Tu l'as fait tel, que plus il ne lui reste, fors estre Dieu.* Quod Latinè sonat ad verbum: *Talem effinxisti eū, vt nihil ei desit, nisi vt Deꝰ sit.* Vno ergo in loco facitis eū de quo Propheta loquitur, vero Deo minorem: altero autem eundem omni Diuinitate spoliatis. MIN. Istud verum mihi videtur: quoniam Adamum illis verbis designari docent Geneuani ministri. DOCT. Sed Paulus vas electionis, & Apostolus Iesu Christi, è cōtrario docet, eum locum de Domino nostro Iesu Christo intelligendum: quem secundum carnis assumptionem Pater minorē fecit Angelis, sed ille sa, sarta, tectaq; manente sūma illius Deitate. Etenim vocis Elohim homonimiam, vnà cum Septuaginta sanctis interpretibus, ad Angelos, non ad Deū, referendam esse satis docet. Hos sequutus antiquissimus & acutissimus vir Tertullianus, decem operum suorum locis, cæteriq; Patres orthodoxi tam Græci quàm Latini, idem magna consensione probant. Quibus, amabo te, potius adhærebis? Aut quos putas melius Psalmi sensum retinuisse & expressisse? MIN. Nemini dubium, vnicum Paulū decem ministrorum Caluinicorum myriadibus anteponēdum esse: & Septuaginta interpretes linguæ suæ Hebraicæ vim ac proprietatem longè melius intellexisse, quàm noui isti tyrones. Tum etiam pluris facio vnicum Tertullianum, quàm centum Caluinos, Marotos, aut Bezas. Et sanè quidem videtur idem noster Theodorus Beza in hac extrema senecta hunc Arrianicum errorē nostrorum horruisse, ac ideo quodā pacto resipiscere velle, quando in Psalmorum nouissima editione conuertit, *Tu fecisti eum paulisper subsidere infra Angelos.* Et in Paraphrasi, *Fecisti eum aliquantulo inferiorem Angelis.* Fatetur etiam in argumento Psalmi, *quòd de æterno Dei Filio scribatur, qui nostram naturam humanam in vnitatem Diuinæ personæ subuexit.* DOCT. Ex his porrò sequitur, primùm, vestros omnes Comministros Psalmi locū, nequiter peruertisse; & aduersus Spiritus Sancti mentem Paulo & Patribus reuelatam malè conuertisse, *minuisti eum paulo minus à Deo;* cùm dicendum sit, ab Angelis. Heb. 2.

gelis. Deinde, illos etiamnum Domini nostri Iesu Christi æternam negare Diuinitatem, asseuerando eum omnia alia, præter Diuinitatem, possidere: aut si Diuinitate quadam potiatur, ea sit Patris Deitate & maiestate longè inferior. Istud porrò quid aliud est, quàm impia Arrianorum cantio? Quàm tetras Alchoranistarum & Turcarum insanias, contra æternum Dei Filium inuehere?

Quarta coniectura.

MINIS. Istud (heu) nimium verum est, quando multi nostri gregis eiurato Christo ac Euangelio eius, assumpta verò Mahometana circunciſione, quotidie ad Turcas deficiunt: de quibus non ita pridem scripsit Iacobus Andreas Tubingensis Academiæ Cancellarius ac Lutheranus minister: *Minimè mirandum est ex Caluinianis in Polonia, Transiluania, & Hungaria, aliisque in locis, quamplurimos ad Arrianismum; quosdam etiam ad Mahometismum accessisse, quorum impietati hæc Caluiniana doctrina iter parat. Id autem per eos Caluinianos* (addit ille paulò post) *Satanas veluti per sua organa machinatur, vt omnem deleat fidem & cognitionem de Domino Iesu Christo ex animis hominum, sicque tandem adimpleatur, quod ab eodem dictum est: Cùm venerit Filius hominis, putas quòd fidem inueniet super terram?* Adserit quoque Andreas Volanus huius apostasiæ in Polonia testis oculatus, in sua aduersus Ebionitas & nouos Arrianos Parenesi: & Responsione ad obiectiones contra dictam Paræneſim, improbissimos homines istos clara voce testificari, *se in Caluinianis & Bezanis scriptis Arrianismum didicisse: omnium insuper antiquorum Patrum interpretationes audacter aspernari: Dominum Iesum denique non pluris facere, quàm Dei Patris ministrum, secretarium, & in terris aliquando vicarium*: aliasque aduersus Diuinitatem eius ructare blasphemias, quas superius commemorasti. DOCT. Iam ne igitur vides, me vniuersum Caluinismū iure Arrianismi insimulare: & eius professores vt æternæ Christi Diuinitatis aut manifestos, aut certè vt occultos hostes meritò traducere? MIN. Neminem qui superiores coniecturas attentè perpenderit, posse contradicere puto. Sed quænam tantis malis adhibenda remedia? DOCT. Interitum huiusmodi infelicium hominum imprimis deplo-

*Præfat. refutat. Apolog. Dana.*

*Luc. 18.*

deplorare nos decet: deinde, firmissimis rationibus, testimonijs, editis olim miraculis, alijsq; manifestis demonstrationibus hunc errorem refellere: & sanctã, Catholicam, & Apostolicam doctrinam confirmare.

MIN. Sine igitur, vt ab Authorum contradictionibus more meo incipiam. Palam frequenter tam verbo quàm scripto professi sunt Caluinus, Beza, & alij ministri, *sese de mysterio sanctissimæ Trinitatis, et personarũ Diuinitate sentire, credere, atque docere, quod Oecumenica Concilia, quod Patres sancti, quodque vetus Ecclesia docuerunt & decreuerunt.* Insuper, *se omnes tam hæreticos, quàm hæreses eorum damnare, respuere, atque detestari, quos illi damnantes diris deuouerunt: nominatim verò Samosatenianos, Sabellianos, & Arrianos.* Sed Nicenum, Antiochenum, Chalcedonense Constantinop. Ephesinum, aliaque vetera Concilia, cum sanctis Patribus, & prisca Ecclesia, ex sacris literis, Apostolicisque traditionibus docuerunt & statuerunt credendum, Dominum IESVM esse natura Deum verum & viuum; Patri consubstantialem, & in omnibus coæternum & coæqualem: contra sentientes verò cunctis Christianorum sacris extrusos, multis iustisque anathematibus confossos Satanæ manibus t adiderunt. Necesse est igitur, cunctos Hugnosticos supranominatas Caluini Bezæq; contra Filij Deitatem blasphemias coarguere & damnare: aut proprijs etiam ipsorum iudicijs, cum veteribus hæreticis, grauissimis Ecclesiæ Christianæ anathematibus confossos & maledictos in æternum petire. DOCT. Lętor vehementer audiens te piè imprimis ac doctè aduersus tetras fanaticasque hæreses differentem, & proprijs hæreticorum iudicijs Catholica dogmata confirmantem. Perge porrò, & eodem modo,

Confutatio 1.

*Confess. fide.*

MIN. Spectabilis Beza in sua fidei Confessione profitetur, *se credere tres personas Diuinas esse coessentiales & coæternas; tum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum vnum esse Deum inseparabilem.* Rursum: *Iesum Christum quantum ad Diuinam naturam, esse Patris vnicum Filium coæternum, consubstantialem, & æqualem eidem Patri in omnibus & per omnia.* DOCT. Quare ergo in cunctis Hugnosticorum cœtibus canere permittit, *nihil ei deesse, nisi vt Deus sit?*

2. *Punct. 1. art. 2. punct. 2. art. 1. & punct. 3. art. 1.*

Quare Caluini parentis sui non reprobat blasphemias, quibus ei *secundum tantùm imperij & dignitatis gradum, vt vicario & secretario derelinquit*? Quare idem ipse tam impiè ac nefariè confingit, *eum secundum Diuinitatem Patri supplicem esse*? Hęc enim manifestissimè secum pugnant.

3. MINIST. Caluinus in Euangelium Ioannis, *fatetur Euangelistam statim ab initio æternam IESV Christi Diuinitatem proponere, vt intelligamus eum esse Deum in carne manifestatum.* Et ad hunc eiusdem Euangelij versum. Et Deus erat Verbum, ait. *Ne quis de Diuina Christi Essentia scrupulus maneat: clarè asserit esse Deum. Iam quum vnicus sit Deus: Christum eiusdem esse cum Patre essentiæ, & tamen in aliquo differre sequitur. Quòd ad vnitatem essentiæ spectat, nimia fuit Arij improbitas, qui ne æternam Christi Diuinitatem fateri cogeretur, fictitium nescio quem Deum esse garriebat. Nos autem quum audimus Sermonem fuisse Deum, quid est quòd de æterna illius essentia amplius moueamus controuersiam?* Explicans rursum Ioannis caput 14. vers. 10. ait: *Pater in Christo esse dicitur, quia in eo habitat plena Diuinitas, & virtutem suam exerit. Christus vicissim dicitur esse in Patre, quia Diuina virtute se vnum cum illo esse ostendit.* DOCT. Hactenus rectè, & contra superiores suas impietates, quibus eum deprimit in secundum ordinem causæ, subselliaque secretarij, ministri, atque vicarij.

Com. in ca. 1. Ioan.

4. MINIST. Dictum quoque fuit superioribus disputationibus, quemadmodum idem confitetur, *Filium semper extitisse Verbum Dei æternum: quodque habeat à Patre naturam per quam Filius Dei est.* Insuper, *quomodo vocet Arrianos homines impudentissimos, nolentes confiteri æternam Iesu Christi diuinitatem.* Scribit rursum, *antiquos Patres sacris scripturis ostendisse Patris & Filij & Spiritus sancti esse omnino simplicem, singularem, & indiuisam essentiam. Talem nos debere Domino Iesu cultum ac reuerentiam, qualis debetur vnico ac æterno Deo.* DOCT. Etiam hucusque bene ac piè. Huiusmodi enim est, semperque fuit Ecclesiæ Catholicæ fides atque doctrina, quæ expresso Dei verbo, Apostolicisque traditionibus freta, Marotum,

tum;Bezam, & eiuſdem furfuris nebulones damnat, quòd ſuis nugis nugaciſſimis nugantur & cantillant, *Chriſto deeſſe quod Deus ſit.* Caluinum quoque ipſum in hæreticorum ac reproborum numero habet, eo quòd non ſit veritus *Filio Dei aliam à Patre tribuere ſubſtantiam; Patreque minorem ac ſubiectum etiam in natura Diuina,* cum Arrianis confingere.

MINIST. Hæc ſunt quæ ad manum ex Caluino contra Caluinum habebam: dic tu, quæ aduerſus hanc impietatem parauëras. DOCT. Exordiar ab ouo: id eſt, primos Diuinitatis Chriſti hoſtes recenſebo, vt vel ſaltem tam improborum patrum infami origine vitioſior proles iſta erubeſcat, confundatur, & redeat ad cor. Temporibus Apoſtolorum inſurrexerunt aduerſus Chriſti æternam Deitatem Ebion, Cerinthus, Carpocras, & manipulares: ſed Ioannes Filius tonitrui rogatus ab Epiſco. Aſiæ, vt os eis obſtrueret, tam altè clareque ſuum intonuit IN PRINCIPIO ERAT VERBVM, & cæt. Diuinam ac æternam illius adſerens maieſtatem, & cum Patre vnitatem, vt bufones iſti obmuteſcere, & in antra ſua cum venenis ſeſe recipere coacti fuerint. §. *Ireneus. Tertull. Epiph. Euſebius. Niceph. Theodoret.*

Sublatis de terra in cœlum vniuerſis Apoſtolis & diſcipulis, qui Dominum Ieſum, & miracula eius oculis viderant; ſuis rebus non defuit Satanas omnium hæreſeon parens, inuentis alijs ſuæ malitiæ organis, quibus ſuperius venenum effunderet, bellumque aduerſus Filium Dei redintegraret. Suas ergo operas & linguas eidem locarunt Theodotus Bizantius, Artemon, Theodotion, & Paulus Samoſatenus: quibus à ſanctis Martyribus & Patribus fuſis fugatisque; ſuccenturiatæ ſunt frequentes horrendæque copiæ Arrianorum, Macedonianorum, Eunomianorum, & Fotinianorum. Sed & has ſumma vi virtuteque propulſarunt ſanctiſſimi Eccleſiæ Paſtores & Doctores, quando clypeo fidei & gladio verbi Dei muniti, eos de tetris erroribus & blaſphemijs conuictos, damnatosque omni Chriſtianorum communione procul eſſe iuſſerunt. 6.

Tunc verò ſumma fide collecta, & pijs omnibus 7.

propoſita fuerunt præclara illa religionis Chriſtianæ ſymbola, quibus profiterentur omnes ſe *Credere in vnũ Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum. Ex Patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero Genitum, non factum, conſubſtantialem Patri.* Et iterum ſecundũ alterum ſymbolũ docetur: *Patris & Filij vna eſt Diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas.* Igitur sũma Chriſtianæ fidei eſt, quod Chriſtus cũ Patre habet eandem ſubſtantiam & eſſentiam, nõ aliam: æqualem gloriam, non aliquo gradu minorem: & coæternam, non poſteriorem aut nouam. MINI. Equidem huiuſmodi probationes vehementer meam confirmant fidem & ſpem in Dominum IESVM, debentque cunctis pijs animis ſatis eſſe: ſed vt magis ac magis eadem creſcat & accendatur, eas quæſo ex ſcripturis probationes adhibe, quas ſanctiſſimi Patres & Doctores in eandem rem priſcis hæreticis obiecerunt, vt & neoterici eiſdem conuincantur, & reſipiſcant.

8. DOCT. Probauerunt tres Diuinas perſonas omninò eaſdem eſſe in ſubſtantia, poteſtate, ſapientia, & bonitate, ex eo quod initio Bibliorum dicit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Gene. 2. & 3. Itẽ poſt peccatum hominis, *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt.* Vna verò ex his tribus perſonis eſt Dominus noſter IESVS, Dei Patris Filius: is igitur æternus Deus eſt creator & rector huius mundi, de quo etiam Euangeliſtarum Aquila ſcripſit: *Omnia per ipſum facta ſunt.* Ioan. 1. Hos enim vtriuſque Teſtamenti inſignes locos, Tertullianus, Praxææ & Marcioni; Irenæus, veteribus Gnoſticis; Athanaſius, Epiphanius, & Fulgentius Arianis hæreticis conſtanter oppoſuerunt. MIN. Et meritò ſanè, quoniam vis creandi, quæ ei tribuitur, non poteſt non eſſe prorſus diuina Illic autem de Domino IESV mentionem fieri ſatis indicant loci continuò ſubiecti, videlicet in Geneſi, *Semen mulieris conteret caput tuum*, Gen. 3. & 22. quod non niſi de illo intelligi poteſt & debet. Et poſtea, *In ipſo benedicentur omnes gentes*, Galat. 3. quod Paulus docet per illum ſolum factum & adimpletum eſſe. Et in Euangelio, *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti à Patre*: Ioan. 1. quæ omnia ad

IESVM

IESVM coæternum & consubstantialem eius Filium duntaxat pertinent.

DOCT. Beatus Iacob in eodem primo Bibliorum libro, de venturo Messia his verbis vtitur, *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Hebræi illum vocant SILOCH, hoc est, felicitatis auctorem, in quem gentes omnem salutis suæ fiduciam ac spem sunt reposituræ. Ex quo euidenter sequitur, illum verum ac viuum Deum esse: quando quidem diuino ore maledicitur, qui confidit in homine, & ponit brachium suum carnem. 9. *Genes. 49.* *Ierem. 17.*

In secundo etiam Bibliorum libro dicit Deus, *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, & de domo seruitutis. Non habebis Deos alienos coram me.* Sed Iudas ex duodecim Apostolis vnus manifestè prædicat hunc Deum fuisse Dominum nostrum IESVM, qui hanc fecit liberationem. Igitur agnoscit eum verum ac æternum illum Deum esse, qui in veteri Testamento Patribus sese tot portentis ac signis declarauit. 10. *Exod. 20.*

MINIST. Non video quid huic confirmationi obijci valeat, nisi vel Propheta, vel Apostolus mendacij arguatur.

DOC. Idem rursum Deus dixit Moysi: *Vos vidistis quòd de cælo locutus sum vobis. Nō facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis &c.* Quē amabò, putas loqui? MI. Equidem Dominum IESVM, vt testatur Diuus Paulus scribens, *Non accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & cæt. sed ad testamenti noui mediatorem IESVM, & sanguinis aspersionem melius loquentem quàm Abel.* Proinde non est dubium quin Moyses IESVM crediderit, & adorauerit vt verū Deum Abraham Isaac & Iacob, qui venturus est de cælo iudex viuorum & mortuorum. 11. *Hebr. 12.*

DOCT. Rectè planè, quoniam ita etiam senserunt & docuerunt Veteres propemodum vniuersi, nimirum, Dei Filium priscis illis Patribus, multifariè multisque modis apparuisse: vtpotè Iustinus Martyr in Dialogo, & secūda pro Christianis Apologia: Irenæus libro 4. cap. 42. Tertullianus libro aduersus Iudæos, capite 9. & aduersus Marcionem libro secundo, cap. 27. *Clem. lib. 5. const. ca. 21. Euseb. lib. 1. hist. cap. 1.*

*Cyrill. Ier. Cat. 10.* libro secundo, c. 36: & lib. 3. c. 6. & 9. & lib. 5. c. 19. & alij pleriq; tam Græci quàm Latini.

12. MINIST. Hi ex Moyse loci sufficiunt: alios Prophetas Christum Deum esse docentes audire cupio. DOCT. Quoniam prolixum forsan nimis esset cuncta quæ de Messiæ sempiterna Deitate protulerunt, in medium adferre: tibi alijsque satis sit præciputorum summa quædam perbreuis. Dauid eum appellat Regem, quem Deus Pater constituit super Sion, id est, *Psalm. 2.* Ecclesiam, Filium Dei à Patre genitum ex vtero, id est, eadem substantia atque Deitate, terminos terræ possidentem, quique reget impios in virga ferrea, & tanquã vas figuli confringet eos. Et ea propter hortatur Reges terræ, vt seruiant illi cum timore, & exultent cum tremore, ne quando irascatur. Denique eos beatos prædicat, qui sperant in eo. MINISTER. Reuera *Act. 13. Hebr. 1. & 5. Apo. 2. & 9.* Petrus, Paulus, Ioannes summi Apostoli referunt ac docent hunc Psalmum spectare, ad retinendam Christi super omnia creata maximam excellentiam; multaq; sanè continet, quæ ad solum Deum pertinent.

13. DOCT. Idem Psaltes agens de diuina, quam illi *Psalm. 8.* Pater communicauit, potentia & gloria, *Coronasti eum*, inquit, *gloria & honore, & constituisti eum super opera manuum tuarum Omnia subiecisti sub pedibus eius.* MINIST. Equidem Paulus duobus in locis, id Filio Dei accommodat: & certè tanta nunquam Angelis communicata fuit gloria. DO. Postea vocat eundem Regem gloriæ, *Psalm. 23.* Dominum fortem & potentem in prælio, ac Dominum exercituum: qui tituli ad Deum verum Israëlis, totiusq; mundi Creatorẽ propriè pertinent. Idẽ rursum *Psalm. 44.* de eodem Domino nostro exclamat: *Sedes tua Deus in seculum seculi.* Et conuersus ad sponsam eius Ecclesiam, *Et concupiscet Rex* (inquit) *decorem tuum, quoniã ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.* MIN. Certissimum est tam diuina encomia & nomina non esse attribuenda simplici *ministro, secretario, aut vicario Dei*: itaq; Filius Dei talis habendus non est, vt molitur Caluinus; sed velut vnus cum Patre, eidemque æqualis & coæternus adorandus.

14. DOC. Postquam autem consequenter etiam plusquàm

quàm duodecies eundem appellauit Deum, & Deum omnipotentem, Deum æternum, Deum Israelis, addit hæc verba, quæ Paulus docet ad ipsum IESVM Christum pertinere. *Currus Dei decem millia* (Angelorum) *lætantium, Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Recitat denique hoc Dei Patris præceptum datum Angelis de Filio suo, *Adorent eum omnes Angeli. Adorate Dominũ omnes Angeli eius.* Hos enim Psalmorum locos Paulus ad Christũ refert, sicut & istum, in quo creatio rerum omnium ei tribuitur, *Tu fundasti terram, & opera manuum tuarum sunt cæli.* MINIST. Vir ergo pessimus Caluinus, negans Filium propriè vocari posse Creatorem cæli & terræ. Atque hæc satis de Dauide, veniamus ad Euangelicum Prophetam Isaiam. *Psalm. 67. Ephes. 4. Psalm. 96. Heb. 1. Psalm. 101.*

DOCT. Quod is scribit, se vidisse Dominum Deum sedentem super thronum maiestatis, circumseptum Seraphinis, eius sanctitatem & gloriam decantantibus & venerantibus, attribuitur in Euangelio Domino nostro IESV Christo, quem nominauit Emmanuelem. i. nobiscum Deum, & Deũ fortem nostrum, Patrem æternum, ac principem pacis. An hi possunt esse tituli alicuius ministri ac serui Dei, minoris Patre, & cui supereſt vt sit Deus? MIN. Non sanè, sed veri æternique Dei creatoris & rectoris mundi, qualis est hic de quo disserimus Dominus IESVS Christus. DOCT. Postea differens de præclaris illius facinoribus, eos qui turbato sunt animo sic alloquitur. *Confortamini, & nolite timere, ecce Deus vester veniet, dabit retributionem, & saluabit. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus, claudus; & aperta erit lingua mutorum.* MINIST. Genevani ministri in argumento Bibliorum Gallicorum, sponte fatentur, his verbis contineri quandam descriptionem earum mutationum, quæ sub regno Christi debebant contingere. DOCT. etiam si id non fatererentur, satis cuique esse debet, eundem Filium Dei id sibi in Euangelio palam arrogare. Tum etiam Irenæum, Athanasium, Eusebium, Cyrillum, Augustinum, alioſque plurimos veteres sanctosque Theologos illud ipsum *15. Isaiæ 6. Isaiæ 7. Isaiæ 9. Isaiæ 35. Matth. 11. Lib. 3. cap. 22 Lib. de hum. Verbi, Li 5. demõſt. cap. 21. Lib. 4 in Io. cap. 28. Lib. contr. 5. hæreſ.*

de æterna Christi Deitate interpretatos esse.

16. MINIST. Persequere quæso, huius Euangelici Prophetæ de Christo vero Deo nostro testimonia. DOCT. Prænunciato Præcursoris eius aduentu atque ministerio, affirmat eum clamaturum esse ad turbas: *Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri:* quod in Domino IESV perfectum & adimpletum fuisse docent Euangelistæ; sicque docent eum viuum verumque Deum esse à Prophetis annunciatum, & prædicatum ab Apostolis.

*Isai.40.*

17. Commemorans postea Dei Patris ad ipsum Filium suum promissa sub Cyri typo, ita de eo scribit: *Labor AEgypti, negotiatio AEthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt, & post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantum in te est Deus, & non est Deus absque te. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel, Saluator.* Et post pauca idem Filius Dei inquit: *Nunquid non ego Dominus, & non est vltra Deus absque me? Deus iustus & Saluator non est præter me. Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ, quia ego Deus, & non est alius. In memetipso iuraui, egredietur de ore meo iustitiæ verbum, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.* MINIST. Paulus certè omni fiducia profitetur, eum qui tam magnificè de sua Deitate & maiestate loquitur, esse Dominum IESVM, ante cuius tribunal nos omnes aliquando astare oportet, vt recipiat vnusquisque iuxta opera sua: & ita certissimum ac euidentissimum est, & Prophetas & Apostolos eundem pro vno & vero, & viuo Deo cum Patre agnouisse, prædicasse, inuocasse, & adorasse.

*Isaie 45.*

*Philip.2.*
*Rom.14.*

18. Dic nunc de Ieremia, Baruch, alijsque sequentibus Propheris. DOCT. Ieremias vocans eum, Dauidis germen iustum, verum hominem futurum agnoscit: dicens præterea, quod nominaretur IEHOVA, id est, Dominus iustus noster, confitetur eum esse verum, æternum & omnipotentem Deum. Baruch scriba & nepos eius, de illo ait: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris*

*Ierem.23.*

*Baruc. 3.*

*in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* MIN. Certè Bibliorum nostrorum Gallicę annotationes volunt de Domino IESV hæc omnia dicta esse. DOC. Potius dicendum est, Athanasius contra Apollinarem, Basilius contra Eunomium, Nazianzenus libro quarto de Theologia, Eusebius libro sexto de Demonstratione, Cyrillus libro decimo contra Iulianum, Chrysostomus oratione, Quod Christus Deus sit, Theodoretus commentarijs in hũc locum, cuncti Ecclesiæ Orientis sanctissimi pastores & Doctores: ex Latinis verò, Tertullianus libro aduersus Praxeam, Cyprianus libro primo contra Iudæos, Hilarius libro quinto de Trinitate, Ambrosius libro primo de fide, Augustinus libro nono de Ciuitate, cap. 33. Diui Baruch librum inter sacros connumerantes, ex superioribus illius testimonijs, IESV Christi Domini nostri æternam Diuinitatem aduersus Iudæos, hæreticos, & vniuersos illius hostes confidenter adfirmant.

MINIST. Perge ad reliquos sequẽtes Prophetas. 19.

DOCT. Daniel prædixit, regnum Messiæ fore æternum, cæteraque vi superaturum. eum appellat Filium Dei: subijcit eidem omnem populum, tribum, & linguam: vocat eundem peccatorum expiatorem, iustitię sempiternæ authorem, sanctum sanctorum: ex quibus consequitur, quòd sit Deus æternus & verus. Osee commemorando hæc Dei Patris promissa, *Domui Iudæ miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo*, id est in Christo, palam agnoscit & confitetur, eundem esse verum Deum Israëlis, & omnium electorum: quique postea dicit se esse Deum, qui eduxit eos de AEgypto; vnicumque Saluatorem, qui è manu mortis, & morsu inferi mundum esset liberaturus. Quis enim tot tantaque præstare posset, præter vnum omnipotentis Patris omnipotentem & consubstantialem Filium?

*Dã. 2. 4. 7. 9.*
*Osea 1.*
*Osee 12.*
*Osee 13.*

Ioël refert eũndem promisisse, *Ego Dominus Deus vester, & non est amplius. Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabũt filij vestri & filiæ vestræ, &c.* quod D. Lucas apertè declarat Dominum IESVM perfecisse, cùm super Apostolos, primosq; Christianos dona visibilia & inuisibilia immisit, decimo post ascensum su-

20.
*Ioel. 2.*
*Act. 2.*
*Ioan. 7.*

um in cælos die. Michæas vocãdas in Eccleſiam Chriſti gentes prædicens, ait eas dicturas eſſe: *Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos de vijs ſuis, & ibimus in ſemitis eius.* MIN. Profectò diſcipuli Caluini in ſuis Biblijs Gallicis fatentur, Prophetam illic vaticinari de regno IESV ſpirituali. DOCT. Improbant ergo damnantque præceptoris nefarios errores, quibus ei *diſtinctam à Patre ſubſtantiam tribuit, ſecundum tantum honoris ac imperij gradum concedit.* Sed redeo ad eundem Propheram, nominantem eundem Filium Dei, Ducem & Dominatorẽ Iſrael, cuius egreſſus ſit ab initio, & à diebus æternitatis: quod ad eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſpectare confirmat Euangeliſta.

*Mich.4.* *Mich.5.* *Matth.2.*

21. Zacharias ſæpenumerò eundem vocat, Dominum exercituum, qui habitaturus ſit in medio hominum: vultque omnem creaturam ſilere ante faciem eius. Quæ verba Diuus Ambroſius, poſtea Auguſtinus, & ante vtrumque Euſebius Cæſarienſis ad æternam IESV Chriſti Diuinitatem ſanctè ſciteque retulerunt. Idem quoque aſſerit illum eſſe Dominum, qui Satanam increpat, & qui Ieruſalem elegit. MIN. Equidem Geneuani id poſſe intelligi de Chriſto etiam confitentur. DOCT. Sed his omnibus modis potiores Euſebius, Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, diuus quoque Remigius ante plurimos annos de IESV æterna Deitate ſunt interpretati. Malachias item Propheta ſic de Chriſto vero Deo Patrem loquentem inducit. *Statim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator Dominus, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis*: quibus veri Dei veris epithetis & titulis Chriſtum noſtrum iure honorat. Hoc autem teſtimonio vtitur Athanaſius ad confirmandam eius aduerſus Arrianos cum Patre ſubſtantiam, libro de cõmuni eſſentia Diuinitatis: & ante eum hi duo Latini Patres, Cyprianus libro cõtra Iudæos, & Tertullianus lib.4. contra Marcionem, & libro cõtra Iudæos eundem locum ad eandẽ rem comprobandã vſurparunt. Vides itaque quanta confidentia & cõſenſione veteres Patriarchæ & Prophetæ crediderint, ſcripſerint & prædicauerint

*Zach.1.3.4. 9.11.* *L.2. de fide.* *L.20. ciuit. c.vlt.* *Lib.5. dem. c.25.* *L.5. demõſt. c.27.* *In comment.* *Mal.3.* *Matth.11.* *Marc.1.*

hunc

hunc Dei filium Christum esse Deum verum & vnum, Deum æternum, Deum Israelis, & eiusdem cum Patre suo potentiæ, gloriæ, ac prorsus Diuinæ maiestatis. MINISTER. Absit vt de hoc præcipuo religionis Christianæ capite quicquam dubitem; vel vllis vnquam hominum suasionibus, aut etiam tormentis ab hac fide recedam: sed renascentes Ebionitarum & Arrianorum hæreses cupio multis argumentis explosas, ac omnino extinctas esse: ac ideo percupio vt qua breuitate & claritate veteris Testamenti de Deitate Christi testimonia percurristi, eandem quoque ex singulis noui Testamenti libris confirmes.

DOCT. Per me non stabit quominus pio desiderio tuo satis fiat. Igitur in baptismo & transfiguratione Domini nostri IESV, Deus Pater his omnes nos commonuit vocibus. *Hic est Filius meus dilectus, &c.* Itaque qui talem eum non credit, non recipit, non colit, Deo viuenti fidem detrahit. Interrogatus quoque Petrus quid ipse cum socijs de illo existimarent, intrepidè pro se & condiscipulis respondit, *Tu es Christus Filius Dei viui.* Dominus eam confessionem probans ait: *Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.* MIN. Ecce diuina cælestiaque verba, quibus talem nobis Pater declarat esse Filium suum, qualem vult credamus & honoremus. Sed pergè porrò. 22. Matth. 3. 17.

DOCT. Marcus refert Dominum à Pontifice examinatũ & adiuratum, vtrum esset Filius Dei benedicti? liberè & apertè respondisse, *Ego sum.* Qui ergo ita credere noluerit, & Filium mendacij arguet, & in vultum eius cum impijs Iudæis deridendo conspuet. In Luca quoque dicitur angelus Gabriel Virgini confirmasse, quòd Sanctus Domini, & Filius altissimi vocaretur, is qui Spiritu sancto agẽte de ea nasciturus erat. Hæc porrò nomina nõ sunt inania aut vana: significant igitur eum esse verè Deũ Patriq; consubstantialem, coæternũ, & coæqualem, non alterius substãtiæ, aut minoris gradus imperij ac gloriæ, vt impiè garrit Caluinus. 23. Mar. 14.

Præ cæteris autem Ioannes magnificentius intonat. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* 24. Ioan. 1.

Omnia

*Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, &c.* His enim verbis denotat Filium personam æternam esse, sua proprietate à Patre distinctam, eidem tamen Patri consubstantialē & coæternam, quæ eadem cum illo potestate mundum creauit atque moderatur. Ille
*Ioan.8.* rursum coram Iudæis asseruit, *Antequam Abrahā fieret, ego sum*: nimirum secundum Deitatem, qua etiā ipsos cælos & Angelos longè omnium præcedit, quippe qui sit sine vllius temporis aut durationis initio. Rursum
*Ioan.10.* etiam constanter affirmauit, *Se & Patrem vnum esse*, quod prisci Ecclesiæ Patres ad vnum omnes ad vnitatem substantiæ ac naturæ retulerunt; quicquid contrà post Arrianos, & ipse planè arrianizans Caluinus ob-
*Ioan.17.* ganniat. Quando in oratione sua precatur, *Clarifica me Pater, claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te*, paucis quidem, sed grauissimis & sanctissimis verbis Catholicam de sua Diuinitate fidem confirmat, hæreses autem eidem contrarias penitus refellit.

25. Eundem rursum in Catholica Epistola nominat,
*1. Ioan. 1. 2.* *Vitam æternam, quæ in principio erat cum Patre*: censet eos
3.4.5. negare Patrem, qui Filium eius abnegant: docet insuper, Filiū Dei apparuisse in carne, vt dissolueret opera diaboli: adfirmat denique, Patrem, Verbum, & Spiritum sanctum, tres personas vnum esse, nimirum in essentia, Deitate, & omnimoda maiestate. Viden' quàm certa, quàm præclara, quàm aperta sint Euangelistarū de Christi æterna Diuinitate atque maiestate testimonia? MIN. Potiora sanè nemo desiderare posset. Quædam solummodo ex Paulinis Epistolis subnectas, vt disputationem citius claudamus.

26. DOCT. Initio statim Epistolæ suæ ad Romanos
*Rom. 1. 2. 9.* profitetur, Dominum IESVM se verum Deum Deique Filium omnipotentem declarasse per resurrectionem suam ex mortuis. Postea vocat eum *iusti iudicij Deum* Deinde affirmat eum esse *Deum super omnia benedictum in secula.* In Epistola ad Philippenses refert eum
*Phil. 2.* *sine vlla rapina arbitratum esse se æqualem Deo, & in forma Dei esse.* MIN. Magnifica & eximia certè verba, quæ & omnem conscientiam de Christi Deitate erudiunt atque corroborant, cunctam verò hæresim aduersam refellunt & damnant.

DOCT.

DOCT. Accedunt denique miracula, quæ fecit, omnem creatam vim exuperantia, quibus satis superque confirmauit se Diuina omnino substantia & virtute præditum esse. Nam aliquoties solo nutu, aliàs verbo solo aut tactu cæcos illuminauit, leprosos mundauit, claudos sanauit, mutis vocem reddidit, hydropisi aut paralysi affectos in pristinam valetudinem restituit, malignos spiritus profligauit, siccis vestigijs super aquas ambulauit, procellis imperauit, latentes in animis cogitationes hominum declarauit, futura contingentia prædixit, peccata remisit, sacramenta efficacissima instituit, Spiritum sanctum dedit hominibus, mortuos ad vitam reuocauit, & ab Angelis deniq; impensum obsequium & cultum suo iure admisit atque recepit. MIN. Hactenus satis confirmata est Christi Domini æterna, Patriq́ue consubstantialis Diuinitas, æqualis gloria, coæternaq; maiestas. Hanc enim corde credo, oreque confiteor, & coram omnibus viuentibus, eo duce, profitebor, eidemq; supplex procidens cum Apostolo Thoma dicam, *Dominus meus, & Deus meus*: cumque fidelissima Chananæa rogo & obsecro, *Fili Dauid, miserere mei.* Iam si placet, aliam ineamus disputationem. DOCT. Hæc hodie sufficiant. Nam de rebus magni momenti copiosè satis disseruimus, nimirũ de Filij Dei hypostasi, quòd Deitatem à Patre acceptam possideat, cumque eodem sit vna simplexque salutis humanæ caussa, vnica etiam in duplici substantia hypostasis, in qua à cunctis inuocari & adorari debeat; denique quod venturus sit hic Filius Dei & hominis iudicare viuos & mortuos: & verè natura Deus Patri & Spiritui sancto consubstantialis atque coæternus saluator hominum, &c. MIN. Fundas igitur ad Deum preces, reliqua in crastinum diem expectabo.

27.

*Ioan. 20.*

*Matth. 15.*

DOCT. DOMINE IESV CHRISTE, Fili Dei vi- ORATIO.
ui, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, qui in principio eras Verbum apud Patrem, vita & lux hominum, te toto corde, tota anima, totaque mente adoramus, & supplices inuocamus: fac nos in hac fide quotidie proficere, spem quoque confirma, charitatem in mentibus nostris adauge, qua syncero toto-

*Ioan. 1.*

totoque pectore te diligamus propter te, amicos & proximos in te, inimicos propter te. Fac nos Domine, de virtute in virtutē proficere tantisper, donec videamus te Dominum & Deum nostrum in cælesti supernaque Sion ciuitate. Catuli mensæ tuæ adsumus, ne micas gratiæ decidentes ab eadem nobis deneges: opera manuum tuarum sumus, ne nos ergo despicias: familiæ tuæ, id est, Ecclesiæ filij sumus, qui à te petimus panē, lapides ne proijcias: efflagitamus piscem, serpentem ne porrigas: è paterna manu tua ouum cupimus accipere, eius loco non dabis scorpionem. Caput nostrum te fatemur, membra igitur mystici corporis tui ne dissipes. Tu rex clementissimus, gementium ergo subditorum tuorum voces ad te perueniāt. Tu os de ossibus nostris, & caro de carne nostra, abiectos igitur consanguineos & affines tuos ne asperneris ac derelinquas. Nemo enim carnem suam odio habuit, imò eam fouet & nutrit. Tu noster mysticus Ioseph, quem Deus communis parens ad fratres suos visendos immisit. Verum equidē fatemur, quod te pro dignitate nec excepimus, nec coluimus, nec audiuimus, in hisque grauissimè deliquimus: sed cum lacrymis tibi nunc procidentes rogamus & obsecramus, ne sis memor iniuriæ ciuium tuorum, non secundum peccata nostra facias nobis, sed obsecramus vt obliuiscaris sceleris fratrū tuorum, seruis patris tui dimitte omnem iniquitatem. Spiritus quem misisti in corda nostra, iam in his ad te clamat, Abba, Pater: iamque de tua ineffabili miseratione confidentes ad thronum gratiæ tuæ accedimus, vt gratiam inueniamus, & misericordiam consequamur in tempore oportuno.

*Matth.15.* *Matth.11.* *Luc.11.* *Ephes.4.5.* *Gen.37.50.* *Rom.8.* *Gal.4.* *Heb.12.*

Amen.

DIALO-

# DIALOGVS QVARTVS,

# QVO TRIGINTA ET DVO CALVINIANORVM ADVERSVS SANCTISSIMAM DOM. NOSTRI IESV CHRISTI HVMANITATEM errores dissoluuntur: ac primùm de illius vtilitate atque præstantia. Errorum ordine 86.

## MINISTER.

EN vides me, Doctor optime, tanto discendæ veritatis,& profligandarum hæreseon flagrate desiderio, vt omnium aliarum rerum obliuio me rapiat, efficiatq; vt hîc primus adsim: quare iam disputatiões superiores persequere, te quæso: & Caluinianorũ errores aduersus Filiũ Dei, eundemq; filium hominis palàm facito. DOC. Recepi me plus sexaginta eorum errata ventilare: quorum sedecim, quæ magis propriè Diuinitati eius repugnãt, iam expediuimus. Hodie triginta & duos illorum errores, quibus in humanitatem sanctissimã eius sunt palàm iniurioſi ac cõtumelioſi, patefacere atque refellere decreui. In nomine Domini procedamus.

Primum errorem imputo Bezæ, qui sanctissimam Domini IESV humanitatem tam parui facit, vt impudenter affirmet, *illam à Diuinitate separatam nihil omnino profuturam esse.* MIN. Quid eum propterea carpere intendis? An non expediens ac necesse fuit, vt Diuinitas cum humanitate in Christo copularetur, vt sic esset idoneus mediator ac redemptor hominum? DOCT. Oportuit planè, quoniam nec mortem subire nisi homo; nec eam vincere, vitamque cunctis conferre potuisset nisi Deus fuisset. Sed hanc sanctissimam humanitatem eius per se cõsideratam, aut separatam à Verbo, eò vsque aspernari, vt dicatur prorsus inutilis ac infructuosa, prorsus absurdum, & impium esse constanter ad-

*Conf. punct. 3. art. 22.*

ter adfirmo. Quandoquidem nihilo minus aut contemptibilius nihil possit excogitari vel pronunciari.

Cõfutatio. Nam & si tantũ fuisset homo, vt Iudęi sunt opinati,
1. & plurimi postea hæresiarchæ prædicarunt, atq; etiam Turcæ, Persæ, & Tartari perperam sentiunt; saltem tam sanctus ac fructuosus fuisset propheta, quàm Moses, Dauid, Samuel, Elias, Isaias, Ieremias, Daniel, ac beatus Præcursor & Baptista. Atqui, nemini dubium, hos sanctissimos Dei seruos, & toti mũdo vtilissimos, & cunctis mortalibus fructuosissimos fuisse, quippe qui Diuinum cultum constãter promouerint, errores, vitiaque ex cordibus hominum tum verbo, tum innocentissimæ conuersationis suæ exemplo funditus extirparint, pro peccatis aliorum sedulò orauerint & sacrificauerint, iram Dei à contribulibus suis non rarò auerterint, atque omnipotentem Deum tum viuendo tũ moriendo glorificauerint. An non te quæso, perdita esset malitia & extrema cœcitas, asserere innumeros tot sanctorum labores, & hiscollata Spiritus sancti dona penitus fuisse inutilia? Cùm ergo Virginis Filius tantundem saltem quàm vnus eorum profuisset, inutilis esse non potuit.

2. MIN. Miror certè Bezã tanta sui obliuione teneri, vt id ausus sit cogitare. In suis enim personat libris, de se tantũ meritum esse Caluinum, vt cum loco parẽtis habeat, Geneuanæ plurimum profuisse Ecclesiæ, vocans eum fidelem Domini seruum, pastorem peruigilem, prophetam optimum, huius mũdi solem, & omnibus antiquissimis Doctoribus ac Patribus, quamuis maxima floruerint doctrina, & vitę innocentia anteponendum. Eò etiam vsque illum effert, vt ne Apostolis quidem aut Prophetis exceptis, de illius libellis scribat;

In iconibus. *Monumentis Caluini nihil in sacris explicandis, neque iudiciosius, neque enucleatius, neque magnificentius, à quoquam verbi Diuini interprete adhuc scriptum fuit.* Idem excæcatus & superbus Thraso adhuc impudẽtius de eodem occinit: *Caluino nemo docuit doctius.* Quorsum igitur identidem dicere ac scribere noluit de Filio hominis, etiam si à Diuina persona nõ fuisset assumptus? Vult ne homuncionem illum super thronum Dei suis humeris efferre

eo modo quo filius perditionis seſe, vt præsignauit Apostolus, efferet? DOCT. Vides his eius verbis quomodo in eam ceciderit dementiam. 2. Thess. 2.

MIN. Insanus profectò est, ac dignus qui ellebo- 3.
rum epotiat. Nam perspicuum ac certū est, beatæ Mariæ Filium tot saltem incredulos in Iudæa ad veri Dei agnitionem fidemque perducere potuisse trium annorum spatio, quot Niniuitarum Ionas in triduo ad me- Ion. 3. 4.
liorem vitæ frugem reduxit. Et si Ioannes Zachariæ Luc. 3.
filius ab omni Diuinitate secretus, intra breue tempo- Matt. 3.
ris spatium tot publicanos & peccatores, tot Pharisæos Mar. 1.
ac sacerdotes, tot deniq; etiam milites meliora sapere Ioan. 1.
fecit; an non Dominus IESVS Ioanne omnibus modis melior, maiorē quoque fructum regno Dei afferre potuisset? Verba, iterum dico, sunt hominis insani ac planè impij, tam excellentem Prophetam reputare inertem, vanum ac inutilem.

DOCT. Petrus sine vlla sibi hypostaticè coniuncta 4.
Diuinitate, tantum profuit hominibus, vt nunc tria Act. 2. & 4.
hominum millia, mox etiam duo ad cognitionem veræ fidei, & sacri baptismatis regenerationem subeundam perduxit: quisque etiam apud se cogitet, quantos adhuc per triginta & septē annos, quibus Iudæam, Asiam, & Europam peragrauit, veritatis luce perfuderit.

Vnicus etiam Paulus, Deitatis expers, in Arabia, in 5.
Asia, in Cypro, in Creta, in Thracia, in Macedonia, in Rom. 15. 16.
Achaia, in Italia, in Gallia, in Hispania tātum profuit, Gal. 1. & 2.
vt innumeris hominibus causam salutis æternæ attulerit. Cæteri duodecim Apostoli, septuaginta duo di- Luc. 9. 10.
scipuli, quingenti fratres illi qui Dominū rediuiuum 1 Cor. 15.
in Galilæa viderunt, & Spiritus sancti præclaris donis Act. 2.
perfusi sunt; per totum orbem ad prædicandum Euangelium dispersi, quot veritatis luce collustrauerunt? Quot à peccatis soluerunt? Quot baptizarunt? Quot suis prædicationibus, suis miraculis, suis exemplis, velut ab Orco in viam salutis ac sempiternæ vitæ rationem perduxerunt? Est igitur prorsus incredibile, *Dominum, & si homo duntaxat fuisset, nihil*, vt Beza garrit, *mundo omnino profuturum fuisse*. MINIST.

Certè tam craſſus ac impius eſt hic error, vt maiore confutatione non indigeat: aliũ potius expendamus.

## *DE SANCTA MIRABILIQVE NATIVITATE Chriſti Domini noſtri ex Maria Virgine: contra ſecundum Caluinianorum errorem, & ordine 87.*

DOCTOR.

NItuntur in ſecunda hæreſi ſuſtinere, eandem Domini noſtri humanitatem non tam miraculosè ex vtero beatiſſimæ Virginis Deiparæ exiuiſſe, quàm in eo concepta fuerat: ſed cum fractionibus, doloribus, ac immunditijs, quibus matrũ omnium ſubiecta ſolet eſſe natura: quæque ex hominibus peccatoribus naturaliter concipiunt, & infantes peccatores naturaliter pariunt. MIN. Ecqui tam furioſæ ac præpoſteræ ſententię ſunt authores? DOCT. Martinus Bucerus ex Dominicano nũc Caluinianus, mox Lutheranus, tertiò quartoque maritus, deniq; Iudæus factus, primus hac ætate ſcripſit: *Maria lege communi peperit.* Noſti verò quàm fœda violentaque ſit hæc communis lex, qua dictum eſt, *Multiplicabo ærumnas tuas, in dolore paries filios. Mulier cùm parit triſtitiam habet, &c.* Eum ſequutus Petrus Vermilius, & fidei Catholicæ, & profeſſionis monaſticæ deſertor ait: *Quòd Virgo perpetuò manſerit Maria, cùm id ſacræ literæ diſertè non affirmẽt, non recipiendum eſt inter ea quæ neceſſariò credi debeant.* Poſtquam hi duo apparitores, & latratu trifauci Cerberi hanc impietatis ianuam patefecerunt; Beza multò audacius & impudentius aduerſus beatiſſ. Deiparæ integritatem irruit, iurando & acclamando, *quòd partes vteri Mariæ, quo tempore peperit, fuerunt diuulſæ.* Carolus Molinæus de foro rabula, ſuam quoque huic negotio miſcuit garrulitatem, dum ſcripſit, *Maria aperta fuit in Filij natiuitate. Filius naturaliter ruptis obicibus, & locis apertis exiuit.* Vides ergo qua impudentia ſanctiſſimum & adorandum natiuitatis Dominicæ myſterium profani homines iſti commaculare & impugnare nituntur; nihilo plus miraculi in eo admittentes, quàm in natali

*Lib. de omni præſent. Domini.*
*Gen. 3.*
*Ioan. 16.*
*Comment. in c. 4. ad Rom.*
*L. adu. Iaco. Andr.*
*In Harmon.*

natali Caini, Pharaonis, Herodis, Iudæ, aut cuiuſcunque alterius miſeri ac reprobi nebulonis.

MIN. Ah! quid dicam, neſcio: nam mihi vox faucibus hæret. Tu igitur dic quæ aduerſus hunc errorem paraſti. DOCT. Nituntur imprimis errorem veterum hæreticorum Auxentij, Iouiniani, Eluidij & Photini ex obliuionis tenebris in lucem reuocare. Hi etenim ob eandem hæreſim à communione Chriſtianorum fuerunt reſecati, diſiecti, & in manus Sataną traditi à ſanctiſſimis & antiquiſſimis Eccleſiæ paſtoribus Doctoribus Ambroſio, Hieron. Auguſt. Damaſc. & Hildephonſo. Illi ergo qui ſordes huiuſmodi ſceleratorum hominum reſorbent, vt eas iterum in concionibus ſuis euomant, debent cum iſtis eodē anathemate damnari, & maledictis omnibus ſubiacere.

Confutatio 1.

*Epiſt. 81. lib. aduer. Iouin. L. de hæreſ.*

MIN. Sed quid tibi de Vermilio negante, *id in ſacris literis adfirmari*, videtur? Hoc enim non parum me mouet. DOCT. Immeritò ſanè, primò quoniam ratiocinatio huiuſmodi, quæ puris negationibus cōſtat, nihil omninò efficit. Deinde, etiam ſi apertæ ſcripturæ ad id affirmandum deeſſent, cuiuis pio & Chriſtiano viro ſatis eſſe debent cōſtantiſſimę Apoſtolorum Traditiones, quas non minus q̄ ſcriptas eorum Epiſt. tenere atque ſeruare iubemur. Inſuper, ſacrorū Conciliorum, Petri ſucceſſorum, ac ſanctorū Patrum conſona firmaque decreta: quibus de perpetua Virginis integritate, atque intemerata in partu & poſt partum virginitate credēda, retinēda, atq; prædicanda ſanctiſſimè conſtitutū & traditum eſt: contrariū verò vel opinari, vel docere, tanquam nefariam hæreſim damnatū & prohibitum.

2.

*2. Theſſ. 2. 3.*

MIN. Rectè quidē: interea tamen ſi id Scripturis quibuſdā fulciretur, longè rectius ac firmius eſſet. DOC. Nec id à nobis vltra deſiderabis. Nam diſertè conſtanterq; de virginali conceptu ac partu Iſaias ſcripſit: *Ecce, Virgo cōcipiet, & pariet filiū, & vocabitur nomen eius Emmanuel*: quæ verba ne veteres quidē Iudæorū Rabbini, (vt eſt apud Galatinū) nec recentes hęreſiarchæ inficiātur ad Domini noſtri Ieſu ex vtero beatiſſ. Marię natiuit. pertinere: prout etiā in Euangelio manifeſtè cōprobatur. MIN. Equidē verbis Propheticis palam declaratur,

3.

*Iſa. 7. Matth. 1.*

tam conceptum quàm natale Messiæ fore planè miraculosum, & matrem eius semper Virginem, etiam in partu & post partum inuiolatam esse futuram. Ille igitur Spiritui sancto, qui locutus est per Prophetas, resistit atque contradicit, quicunque affirmat Matrem illius effractis Dominum IESVM peperisse visceribus.

4. DOCT. Eodem ferè tempore, Daniel designauit hanc miram nariuitatem *per lapidem abscissum de monte sine manibus*, vti hunc locum interpretati sunt Iustinus, Irenæus, Cyprianus, Hypolitus omnes fortissimi & doctissimi martyres: insuper beatissimi confessores & pastores Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, Cyrillus. MIN. Certè etiam Lutherus interpretationem probat eorum, qui per montem volunt significatam fuisse Mariam Virginem, à qua Christus citra viri adminiculum natus est.

*Dan.2.*
*Dialog. l.3. c.28.*
*Com.in Dan.*

5. DOCT. Rursum, mirandum ex Virgine inuiolata partum Christi affirmauerunt Patres ex eo, quod per Ezechielem dixerit Dominus: *Porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transiet per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, & erit clausa.* Ait enim de hac Virgine Hieronymus. Hæc est porta Orientalis, semper clausa & lucida, operiens in se, vel ex se proferens sancta sanctorum. MIN. Equidem cùm toties confirmet Dominus hanc virginalem portam clausam remanere, omnibus modis increpandi sunt Molinæus & Beza, qui in ea fracturam effingunt ad extrahendum violēter æternum Dei Filium in ea conceptum.

*Ezech.44.*
*Epist.ad Pāmachium.*

6. Aberrant enim plurimum, cùm viam vi sibi patefacere coactum esse arbitrantur eum, qui ex nihilo Angelos condidit, qui è limo terræ corpus Adæ conformauit, ex costa Euam nullo labore composuit: quique sua virtute adfuit Mosi, vt virgam in serpentem, aquas in sanguinem, & lucem in densissimas tenebras conuerteret. Qui potuit tot populi Israelitici turmas per medios fluctus siccis vestigijs perducere, non potuit clauso Matris vtero in hunc mundum exire? Qui Danielem ex faucibus leonum eripuit, tres cognatos eius è flammis illæsos extraxit: qui Ionam in ventre

*Gen.2.*
*Exod.3. 4. &c.*
*Dan.3.6. 14.*

ceti

ceti incolumem seruauit, & alia absque numero mira- *Ion.1.2.3.*
cula mundo edidit, planè valuit singulari miraculo ex Matris vtero erumpere.

DOCT. His addere potes, quod in eodem corpo- 7.
re super aquas ambulauit, quadraginta dies & noctes *Matth.4.14.*
sine vllo cibo aut potu traduxit, veluti sol in monte re- 17. & 27.
fulsit, tumuli sui lapidem penetrauit, ianuis clausis in- *Ioan.20.*
trauit ad discipulos suos, & super omnes cælos liber ascendit: in quibus omnibus miraculis maior non exigitur potestas, quàm in exeundo ex integro clausoque Virginis matris vtero. Proinde eadem constantia debemus mirabilem Domini nostri ex Matre natiuitatem credere, qua reliqua confitemur vera & certa esse miracula.

Præterea, non est difficilius Deo efficere, vt Virgo 8.
integra pariat, quàm vt eadem intacta concipiat. Hoc igitur cùm beatissimæ Mariæ Deiparæ concesserit, & illud procul omni dubio non negauit. Ad hæc, partus matrum nostrarum dolores, sordes, & inquinamenta, supplicia sunt peccatorū, & immundorū complexuū. Non fuisset ergo rationi cōsentaneum tam Diuinam, cælestem, puramque Filij Dei in Maria conceptionem subiectam esse impuris ac communibus parientium mulierum contumelijs.

Accedit, fidei Christianæ in symbolo Apostolorum 9.
traditę apertus iste articulus, in quo Christi planè mirabilis ortus his verbis credendus traditur: *Conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine*: quo non tantū profiteri iubemur hanc puram inuiolatamq; fuisse Virginem dum concepit, verùm etiam dum feliciter peperit.

MIN. Antiquorum Patrum adde tantùm fidem & 10.
iudicium, vt finem huic negotio imponamus. DOC. *Tom.6. hæ.*
Augustin. & Damasc. in catalogum hæreticorum referūt *res 84.*
Heluidium, quòd (vt de Vermilio audisti) diceret, Mariam Deiparam non perpetuò virginem permansisse. Ambrosius quoque aduersus Iouinianum constanter *L.2 de nupt.*
defendit, etiā post partum, permanētem sanctæ Mariæ *& concupis.*
virginitatem. Idem rursum Ambrosius omni cōstan- *c.5: & lib.1.*
tia docet Mariam inter omnes virgines solam peperis- *cont.2. epist.*
se; ex eoque istud confirmat; quod minus fuit Christū *Pelag.c.2.*

hominem resurgere, quàm Virginem parturire. At
*L.inst.virg. cap.5.* nemo dubitat Christum à mortuis resurrexisse: constat igitur Mariam salua virginitate peperisse. Postmodum etiam hoc ipsum ex prophetia Ezechielis corroborans, scribit: Bona porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur. Transiuit per eam Christus, sed non
*Cap.8.* aperuit. Est porta ventris, sed non omnis clausa semper: verùm vna sola potuit manere clausa, per quam sine dispendio claustrorum genitalium, Virginis par-
*Cant.4.* tus exiuit, &c. Porta ergo clausa virginitas est, & hortus clausus virginitas, & fons signatus virginitas. Hie-
*L.1. cont. Iouin.c.17.* ronymus autem in eandem sententiam scribit: Hortus conclusus, fons signatus. Quod clausum est atque signatum, similitudinem habet Matris Domini, Matris & Virginis. Vnde & in sepulchro Saluatoris nouo, nec ante, nec postea quisquam positus est, & tamen hæc Virgo perpetua multarū est mater virginum. Et idem
*In c. 44. Ezechielis.* rursum: Pulchrè quidam portam clausam, per quam solus Dominus ingreditur, Mariam virginem intelligunt, quæ ante partū & post partum Virgo permansit.

11. Sed & huic disputationi aptum atque conueniens
*Cateches.12.* erit, quod Cyrillus Ierosolymitanus Ethnicis atque Iudæis, longè ante Caluinianos, Virginem illæsam parere impossibile esse garrientibus, constanter obiecit. Ac Ethnicis primùm ex receptis apud eos opponit: Qui dicitis proiectos lapides in homines mutari, quomodo Virginem parere posse negatis? Qui ex Iouis cerebro natam filiam fabulamini, quomodo ex vtero virginali nasci aliquem impossibile dicitis esse? Qui de femore Iouis prognatum falsò esse dicitis Bacchum, cur nostram veritatem reijcitis? Vt opportunè Græcos redarguas, hæc attulimus ex eorum fabulis.

12. Illis verò qui sunt de Circuncisione sic occurrens,
*Gen.18. Rom.9.* perquire. Vtrum est difficilius, senem & sterilem, muliebribus iam deficientibus parere, aut iuuenem Virginem generare? Sterilis erat Sara, & præter naturam peperit. Igitur cùm & sterilem, & virginem parere sit præter naturam; aut vtrumque nega, aut vtrumque
*Exod.3.* concede. Quomodo Moysi manus sicut nix alba apparuit, & rursus statim albedine illa destituta est? O Iudæi,

Iudæi, vtrum difficilius eſt virginem parere, aut virgam in animal mutari? De virga oculi pullularunt, & de vtero Virginis puer non naſcetur, Deo volente? Qui Aaronis virgæ, propter typicum ſummum ſacerdotem, præter naturam fructum tulit, nunquid Virgini vt verum ſacerdotem ſummum pareret, hoc non conferret? Eua ab initio de quo nata eſt? Accipiamus aliud longè maius. Puluerem terræ hominem fieri, hoc multo mirabilius. Nónne Deus accepit puluerem de terra, & creauit Adam, creaturam admirandam? Quid igitur? lutum quidem in oculum mutatur, & Virgo non generabit? MIN. Hæc pluſquam ſatis ſunt: ad aliud properemus. *Exod. 4. 7. Num. 17. Gen. 1. & 2.*

## *DE MIRABILI VIRTVTE, POteſtate, ac efficacia homini Chriſto à Deo conceſſa & tradita: contra tertium Errorem: & ordine octogeſimum octauum.*

DOCTOR.

ERrant etiam Veſtri in eo, quod ſacram Domini noſtri humanitatem omni virtute ac poteſtate exuunt, nihilóque plus energiæ, virtutis ac efficaciæ eidem, etiam cum Diuinitate coniunctę relinquũt, quàm alicui meatui, per quem aqua in hortum defluereret; aut fiſtulæ, per quam ventus euadit. MIN. Quis tam abſurda & periculoſa ſimilia connectit? DOCT. Caluinus ita ſcribens: *Et ſi ſalus noſtra apud Deum ſemper abſcondita fuit, Chriſtus tamen canalis eſt, per quem ad nos defluit.* MIN. Certè non ſimplex eſt error, quia & Chriſtum à Deitate alienum fingit; & inepta ſimulque impia comparatione canalis, nihil virtutis aut potentiæ eidem tribuit. DOCT. Eoſdem errores longius perſequendo ait: *Pater in eum contulit, quod tanquam per canalem ad nos manaret.* Et rurſum: *Sicut æternus Dei Sermo fons vitæ eſt, ita caro eius veluti canalis, vitam, quæ intrinſeca in Diuinitate reſidet, ad nos diffundit.* Quid cenſes de tam ingenioſo canalium & meatuum fabricatore. *In c. 11. Matth. verſ. 27. In c. 1. Ioan. v. 16: in cap. 6. v. 51.*

Cõfutatio. MIN. Præcipuum Christianæ religionis caput de-
1. rideudũ & exsibilandũ proponit Iudæis, Maometanis, Ebionitis & Samosatenianis, qui Dominũ Iesum solũ hominem existimantes, eundẽ pernegant esse verum iustitiæ, sanctificationis, vitæque spiritalis ac cælestis fontem atque authorem. Nam Caluinus nihilo plus ei tribuẽdo quàm canali, per quem aqua influit, in eandem incidit amentiam: cùm canalis nec sit fons, nec scaturigo vnde fluat aqua, nec vllum irrigandi ac fœcundandi agros effectum habeat: sed tãtum sinat otiosissimè per se effluere, quod aliunde procedit, & aliò transmittitur.

2. Tum sibi repugnando scribit, *Primùm omnium è scri-*
L. 4. inst. c. *pturis docemur, Christum ab initio viuificum illud Patris Ver-*
17. §. 8. *bum fuisse, vitæ fontem & originem, vnde omnia vt viuerent*
Ioan. 1. *semper acceperunt. Quare Ioannes nunc Sermonem vitæ nuncupat, nunc in ipso vitam fuisse scribit, significans illum etiam tum in creaturas omnes influentem, vim spirandi ac viuendi eis instillasse.* Et ne de sola eius Deitate dictum putes, subijcit: *Quin & ipsam in qua residet carnem viuificam nobis reddit, vt eius participatione ad immortalitatem pascamur. Ego sum* (inquit) *panis vitæ, qui de cælo descendi.* Et,
Ioan. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Quibus verbis docet nos, non modò se vitam esse quatenus Sermo Dei est æternus, qui è cælo ad nos descendit, sed descendendo vim istam in carnem, quam induit, diffudisse: vt inde ad nos vitæ communicatio promanaret.* DOCT. Profectò Caluinus Christum hominem vt canalem vitæ tantùm confingens, scripturis turpissimè repugnat, si hæ illum viuificum Patris Verbum, vitæ fontem, & originem, & Sermonem vitæ rectè (vt nullatenus ambigendum est) definiunt. Et si eius caro adeò viuifica est, vt huius participatione ad immortalitatem pascamur, imò & ipsa sit vita nostra, vt hîc confitetur: certè cum tubo, meatu, aut quodam canali, per quem solummodo vita effluat, ineptè simulque impiè ab eodem hæretico alibi comparatur.

3. MIN. Rursum idem subijcit: *Caro Christi iure viuifica*
5. 9. *dicitur, quæ vitæ plenitudine perfusa est, quam ad nos transmitteret. In quem sensum illud Christi dictũ cum Cyrillo interpre-*

*tor,*

*tor, Sicut Pater vitã habet in ſemetipſo, ita & Filio dedit vitã habere in ſemetipſo. Illic enim propriè de ſuis dotib. diſſerit, non quas ab initio apud Patrẽ poſſidebat, ſed quibus ornatus fuit in ea ipſa carne, in qua apparuit; proinde in ſua quoq; humanitate vitæ plenitudinem habitare oſtendit, & cæt.* Et paulo poſt: *Chriſti caro inſtar fontis eſt diuitis & inexhauſti, quæ vitam à Diuinitate in ſeipſam ſcaturientem ad nos transfundit.* DOCTOR. Verè ſeipſum damnat & expugnat his ſententijs ſuis Geneuanus hæreſiarcha: quoniam ſi caro Chriſti eſt inſtar fontis inexhauſti, iam non eſt inſtar canalis. Si vitæ noſtræ ſcaturigo eſt, ſi caro eius viuifica, ſi plenitudo vitæ in eius habitat humanitate, profectò non per eam vt per canalem aut fiſtulam defluit: imò verò & in ea intimè reſidet, & ex eadem omnino haurienda eſt.

Sed iam accedo ad ſcripturas ſuperiori errori contrarias. Euãgeliſta pleno ore decantat, hunc incarnatũ Dei Filium eſſe, *Per quem omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Tam magnifica ac Diuina poſſunt ne de ſimplici canali aut fiſtula prædicari? MINIST. Minimè certè: hincque cogitur canalium ille bellus architectus ſcribere: *Sermonem Dei non modò fontem vitæ fuiſſe creaturis omnibus, vt eſſe inciperent quæ nondum erant: ſed viuifica eius virtute fieri vt in ſtatu ſuo maneant. Niſi enim continua eius inſpiratio mundum vegetet, neceſſe erit quæcunq; vigent protinus decidere, aut in nihilum redigi.* Quibus ſanè apertiſſimè ſibi repugnat, & inſulſas canalium ſuorum ſimilitudines refellit. Nam ſi fons eſt vitæ, non eſt tantùm fiſtula, per quam in nos tranſeat. Et ſi viuifica eius virtute cuncta in ſtatu ſuo etiam nunc permaneant, certè longè excellentior eſt canali, qui nihil ex ſe præbet ad emanandum.

4. *Ioan. 1.*

*In cap. 1. Io. ver. 4.*

DOCT. Scribit rurſum de Verbo incarnato Ioannes; *Poteſtatem dedit filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Et ſequitur: *Vidimus gloriam eius quaſi gloriam vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Num hoc eſt, amabò, aliquid præter ſtillicidium, aut impotentem canalem eſſe, à quo ſolus mutuò accipiendus eſt tranſi-

5.

tus? MINIST. Ita sanè agnoscere & fateri compellitur Ianus noster, & comparationum fistularum suarum reprobare ineptiás, scribendo: *Christum hìc declarari inexhaustum gratiæ & veritatis fontem reipsa esse*. Et continuò: *Plenitudo gratiæ in Christo fons ille est, vnde nos omnes haurire oportet*: quibus verbis fistulæ Caluinicæ planè confringuntur, & canales in fumos euanescunt.

*In cap. 1. Io. vers. 14.*

6. DOCT. Dum promittit Samaritanæ daturum se aquam viuam, quæ non modò sitim extingueret, sed & fons esset, prosiliens in vitam æternam: num aliud se esse docet, quàm stillicidium? Deinde, Deo Patri sese æqualem prædicans, *Pater meus vsq; modò operatur, & ego operor*: addensq;, *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, & maiora his demonstrabit opera, vt & vos miremini? Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat, &c.* nunquid non se authorem & originem omnium bonorum esse palã affirmat? MIN. Fatetur etiam in hunc locum Caluinus, *Christum sese authorem vitæ prædicare*. Deinde, *quod ipse sit fons vitæ, & eam in homines effundat. Neque enim nobis ex eius ore proflueret vita, nisi penes ipsum esset eius causa et origo. Vitã in sua carne positam esse docet, vt inde hauriatur.*

*Ioan. 4.*

*In cap. 5. Io. ver. 21. 26. & 51.*

7. DOCT. Sed ne tandem effugiat, respondens hæc omnia debere intelligi de sola Domini Diuinitate, nota diligenter vim, pondusque verborum eius, cùm carnem suam opponit Mannæ Hebræorum. *Patres vestri* (inquit) *manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est autem panis qui de cœlo descendit, vt si quis ex ipso mãducet non moriatur, sed habeat vitam æternam. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* MIN. Promissa dulcissima, plenaque ingentis piorum consolationis. Iudęi in suo manna non inuenerunt nisi ventris pabulũ, quo se ad breuissimum tempus resarcire potuerunt: sed in carne Christi fideles vitam, resurrectionem, & vitam immortalem æternamque reperiunt: ac proinde verè dicitur, & reipsa est, panis viuus, pãnis vitæ, panis viuificans in æternum. DOC. Ecquid ad hæc vester nouus Apostolus? MIN. Omnes suos canales, meatus, tubos, ac fistulas

*Ioan. 6.*

fistulas oblitus, dicit: *Quia vis illa arcana cōferendæ vitæ ad diuinam eius essentiam referri poterat, descendit ad secundum gradum, ac vitam illam in sua carne positam esse docet, vt inde hauriatur. Mirificum sanè Dei consilium, quod in ea carne, vbi sola prius mortis materia erat, vitam nobis proposuerit* DOC. Ergo caro Christi non est simplex canalis, sed fons vitæ, cùm hæc vita in ipsa resident, ex eademq; sit exhaurienda. Atq; sic ex hoste veritatis veritas ipsa prorumpens, de falsitate triumphat. *In cap. 6. Ioan. vers. 51.*

Sed ijsdem Scripturis eũ adhuc vrgeo. Audiens Dominus Iudæos de doctrina sua murmurantes, alta voce, sacroq; iureiurando affirmauit eos morti esse adiudicandos, qui vitam æternã in sua carne quærere recusarent. *Amen, amen dico vobis, Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, inquiens, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitã in vobis.* Et postmodum ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Quid igitur Caluinianis superesse potest, qui hãc carnem vitæ fontem, & tam procul à Cœna sua submouent, quàm est summũ cœlum à centro terræ: & præsentem nihilo plus faciunt, quàm tubum, aut vilem inanemque canalem; quàm mors prima & secunda? MIN. Equidem si ægri oblata sibi à medicis remedia fuerint longè aspernati, digni sunt animas exhalare; tantundem existimandum est de improbis, & perditis, qui pro viribus oblatam sibi in carne Dominica vitam procul à se conãtur repellere. Quod & idem Ianus tandem agnoscit, & se suosq; damnans ait: *Christus æternum exitium denuntiat omnibus, qui vitam à carne sua petere recusauerint. Ac si diceret; Si caro mea vobis contemptui est, scitote non aliam vobis spem vitæ restare. Contemnite me, vt libet, propter humilem & abiectum carnis meæ conspectum: tamen inclusa est in contemptibili hac carne vita: qua si vos priuatis, non alibi reperietis quod vos viuificet.* Et post pauca. *Cõfirmat carne sua et sanguine animas pasci nõ aliter quã corpus potu & cibo sustinetur. Ergo sicut testatus est omnib. qui vitã alibi quàm in carne sua quærũt, nihil residuum esse præter mortẽ: ita nunc pios ad bonã spem animat, dum vitã illis in eadem carne promittit.* DO. Desinat ergo deinceps auditoribus suis fumos vendere: & discipulos suos vento, fistulis, canalibus, stillicidijs. *In cap 6. Ioan. vers. 53. Vers. 54.*

diis,& meatibus refarcire. Sed & ipsi à tã improbo plano deluſi,ceſſent inſanire:& ad cõmunionem Eccleſiæ Catholicæ redeant, vbi verè conſecratur, offertur,diſtribuitur, & ſub accidentibus (vt fides locum habeat, ratioque conſtet veri Sacramenti) panis & vini,verè ſumitur vera viuaque caro Domini noſtri Ieſu Chriſti,totius vitæ ac ſalutis noſtræ fons & ſcaturigo.

9. Quod & rurſum confirmans Dominus ait: *Caro mea* *Ioan. 6.* *verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem,& bibit meum ſanguinem,in me manet, & ego in eo Qui manducat me,viuet propter me. Qui manducat hunc panem,viuet in æternum.* MINIST. Hic certè victum ſe ſuperatumque ſentiens Caluinus herbam dexteramq; victrici veritati porrigit, ſcribens: *Tunc vitam in Chriſto* *In cap. 6. Io. v. 55.* *inuenies,ſi vitæ materiam quæras in eius carne. Præpoſteri ſunt interpretes, qui animas à Chriſti carne abducunt.* Et poſtea: *Pluſquam abſurdum eſt, carnem Chriſti mortuam, & ſpiritu* *verſ. 56.* *vacuam imaginari.* DOCT. His enim manifeſtè declaratur, carnem Chriſti non eſſe inſtar canalis aut tubi emortuam, ſed verè cibum in vitam æternam viuificantem: neque cum ſtillicidio aut fiſtula prorſus inani & abſona comparandam, ſed è contrario plenam Diuinitatis,virtutis,& gratiæ:quam his diſtribuit,qui dignè eandem recipiunt. Et vt animæ noſtræ in his Diuinis promiſſis,tanquam in tranquillo portu omninò quieſcerent, ſtatim declarat ſe à Deo Patre omnem recepiſſe vitæ conferendæ poteſtatem, dicens. *Sicut miſit me viuens Pater, ita viuo propter Patrem. Et qui manducat me,& ipſe viuet propter me.*

10. MINIST. Equidem mihi ſatis eſt hoc vnum Ieſu Chriſti verbum, quod auidè complector, & vnicè retineo. DOCT. Non ergo perſequar vlterius, quo pacto ſolo tactu viuificantis carnis ſuæ cæcos illuminauit,leproſos mundauit, mortuos ſuſcitauit, his oſtendẽdo humanitatem ſuam plenam eſſe vitæ ac virtutis, imò & ipſam eſſe ſalutis humanæ cauſam efficaciſſimam:proindeq; non niſi impiè poſſe cum fiſtulis & canalibus conferri. MIN. De alio capite dicamus.

ANI-

## *ANIMAM DOMINI NOSTRI Iesu Christi perfectè BEATAM ET GLORIOSAM fuisse à primo instanti creationis & infusionis suæ: ac proinde nec FIDEM, nec SPEM habuisse: aduersus tres Caluinianorum errores, ordine autem 89 90. & 91.*

DOCTOR.

IPsa sanctarum rerum connexio me cogit Caluinianos de tribus simul accusare erroribus: qui licet inter se distincti sint, ita tamen à seipsis dependent, vt difficillimum esset eosdem diuisim singillatimq; discutere. MINIS. Primum ergo deprome, tum statim iudicabo quinam alij ab eo dependeant. DOCT. Volunt animam Domini nostri Iesu Christi parem nobiscum habuisse Fidem virtutem Theologicã, qua in in hac mortali vita electi omnes in Dei rerumque æternarum (quæ nondum videntur) cognitionem feruntur.

MINIST. Id sanè multis in locis & docet & inculcat noster Caluinus, vtpotè cùm de tentationibus Christi differens ait: *Colligimus Satanam rectà aggressum fuisse Christi fidem, vt ea extincta, ad illicita impelleret.* Et de eodem Christo patiente ait: *Sic tactum fuisse eius carnis sensum, vt fides illæsa & incolumnis maneret.* Et postea rursum: *Quamquam sensus carnis exitium apprehenderet, fixam tamen stetisse fidem in eius corde* Et mox subijcit: *Simul fide retinuit Deum sibi esse propitium.* Et illicò: *Clypeo fidei repellit illam, quæ se ex opposito ingerebat derelictionis speciem. Denique in hoc diro cruciatu, illæsa fuit eius fides:* Et post pauca rursum scribit: *Quamuis duriter concussus esset violentis tentationibus, fidem tamen suam minimè fuisse concussam testatus est.* His enim manifestum est Caluinum talem fidem animo Christi tribuere, qualem alij sancti viri in tormentis pro Dei gloria susceptis habuerunt.

*In 4 c Matt. vers. 3.*
*In 26. cap. vers. 39.*
*In 27. ver. 46.*
*Vers. 50.*

DOCT. Num etiam conspicis ex his consequi, illum Spem quoque eidem affingi? MINIST. Idipsum manifestè præstat, non ita multò postea scribens: *Christus dolores suos & curas in Dei sinum exoneras, & in spe pro-*

*In cap. 27.*

*Mat. ver. 50.* *promissionum quiescit.* Deinde, alibi etiam Fidem cum ipsa Spe confundens ait: *Fidem Dei habere tantundem valet, atque certò sibi promittere, & expectare à Deo quicquid opus fuerit.* Et paulo post: *Fides*, inquit, *est certitudo in Dei bonitatem recumbens, quæ dubitationem non admittit.* His omninò succinit Beza, Confessionis suæ puncto quarto, art. 5. & 20. DOCT. Tametsi in his sententijs tot ferè sint errata quot verba: ex ijsdem tantùm nunc obseruo, Caluinianos non solùm Fidem, sed & Spem, vt virtutes sunt Theologicæ viatoribus necessariæ, planè adscribere Domini nostri IESV CHRISTI felicissimæ animæ.

*In c. 21. Mat. ver. 21.*

MINIST. Quid tum? DOCT. Euidentissima consecutione ex his dependet, *Animam Christi nequaquam dilucida visione & fruitione Essentiæ Diuinæ beatam fuisse ab instāti creationis ac infusionis suæ in corpus*: qui error impius, ac scripturis, diuinisque Theologis contrarius est, vt facilè commonstrabo. MINIST. Quomodo id efficis? DOCT. Quòd fides & spes iuxta Apostolum, sint de his rebus Diuinis, quæ nondum videantur aut possideantur: ergo si anima Christi fidem & spem habuit ab initio, nec Deum clarè vidit, nec eo frui potuit: quapropter nec beata fuit. MINIST. Iam intelligo, mihique videtur consecutio ista confirmari posse ex his Apostoli verbis, *Prophetiæ euacuabuntur, linguæ cessabunt, scientia destruetur, & omnia quæ sunt ex parte, cùm id venerit quod est perfectum*: At fides & spes sunt ex parte. Igitur nec istæ stare possunt cum aperta Dei visione ac fruitione; nec Dei perfecta & beatifica visio cum illis. Referentem quoq; quendam audiui ex Augustino; In vita beata, fides quare sit necessaria, cùm iam animus videat? Spes, quia iam tenet?

*1. Cor. 13.*

*Tom. 1. li. 1. Soliloq. c. 7.*

**Confutatio 1.**

Mihi autem videtur has tres sententias Caluinicas per verba eiusdem facilè coargui atque damnari posse. Ait enim de Christo: *Deum semper præsentem intuitus est.* Igitur nec fide eum velut absentem apprehendebat, nec spe veluti futurum præstolabatur: sed ipso præsente, animo fruebatur. Nam & ipse alibi fatetur, *Nos sperare quæ non apparent.* Deinde ait: *Spem futuri esse boni, non præsentis; & hanc cum certa possessione nunquam esse coniunctam.*

*Com. in cap. 27. Matth.*

*In cap. 8. ad Rom.*

*tam.* Deniq;: *Proprium ſpei eſt, futuris & abſentibus bonis intentam eſſe.* Cùm ergo Chriſtus Deum præſentem intueretur atq; poſſideret, nihil ei cum fide aut ſpe commune fuit, cùm beatus foret.

DOCT. His adde, Filium Dei vnigenitum tam arctè intimeque ſibi hominem ex corpore & anima conſtantem copulaſſe, vt nulla ſtrictior, nulla maior dici poſſit coniunctio. MIN. Ita enim docet Ioannes dicēs, *Verbum caro factum eſt.* Et Paulus: *Miſit Deus Filium ſuum natum ex muliere.* Angelus quoque Deiparæ nunciauit, *Concipies & paries filium Altiſſimi.* Certum quoq; eſt hanc eſſe ſummam & arctiſſimam vnionem, quando ex varia dupliciq; natura conſtat vnica perſona, vnicus Dei ac Virginis Filius, vnicus Dominus redemptor & iudex viuorum & mortuorum; quemadmodum ſuperius diſputatum fuit aduerſus veteres & nouos Neſtorianos. DOCT. Conſtat inſuper hanc Filij Dei cum homine coniunctionem longè arctiorem atq; perfectiorem ea, qua beatorum animæ, aut Spiritus Angelici cū Diuina Eſſentia in glorię cæleſti copulantur. Nam iſta vnitio fit tantū per gratiæ & glorię cōmunicationem, idq; inter res in infinitum diſtantes: illa verò quæ inter Filium Dei & hominem aſſumptum intercedit copula, ſeu vnio hypoſtatica, fit per realem vtriusq; naturæ, ac proprietatum communicationem in ſummam perſonæ vnitionem atq; coniunctionem. Cùm ergo anima Chriſti à principio conditionis ſuę & deinceps, ſemper ita coniuncta fuerit Diuinitati; neceſſe eſt agnoſcere, credere, atq; profiteri eam præſenti Dei viſione atque fruitione perpetuò gauiſam atq; lętatam eſſe. Enimuerò ſi Michael, Gabriel, Raphael, & reliqui Angeli dum hîc verſantur nobiſcum in terris, ſine vlla cum Deo perſonali coniunctione ſemper vident faciem Patris qui in cęlis eſt; multo magis ſentiendum ac credendum eſt Chriſti animam cum eius Diuinitate perſonaliter compulatam, eam continuò beatificè vidiſſe. MIN. Animus meus ſic eſt hac probatione conuictus, vt eos pro Iudæis, Turcis, Neſtorianis, alijſque incarnationis Dominicæ hoſtib. infeſtiſſimis deinceps habiturus ſim, qui contra ſenſerint vel dixerint.

2.

*Ioan. 1.* *Galat. 4.* *Luc. 1.*

*Matth. 18.*

DOCT.

3. DOCT. Sunt adhuc multa in primo Diui Ioannis capite, quæ hæreſes Caluinianas conuellant, dogmata verò Catholica corroborent, vt cùm ſcribit: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Nam bis repetitum *gloriæ* verbum ſignificat gloriam omnino plenam atque perfectam. Quomodo autem fuiſſet plena & perfecta, niſi clarè perſpicueq; Diuinam maieſtatem conſpexiſſet, eademque ſecundum animam fruitus eſſet? Aut quo pacto digna aptaque Vnigenito Patris, ſi obſcuritate fidei manſiſſet inuoluta? MIN. Perſpicuum ſanè eſt, Chriſti animam omnem ab initio gratiæ & veritatis, ac proinde etiam gloriæ plenitudinem accepiſſe, non obſcuritatem fidei, nō longanimitatem ſpei inſtar aliorum viatorum, cùm id tam expreſſum Apoſtoli teſtimonium doceat. Quod & Caluinus videtur etiam agnouiſſe, cùm ſcribit: *Sequitur Dei maieſtatem non fuiſſe (in Chriſto) exinanitam, quanuis carne circundata eſſet. Latuit quidem ſub carnis humilitate, ſed ita tamen vt fulgorem ſuum emitteret.* Quis autem præcipuus iſte fulgor, aut in quos emiſſus, niſi præſertim in animam humanam, quam ſibi tam intimè copulauerat?

Ioan. 1.

In ca. 1. Ioan. verſ. 14.

4. DOCT. Additur continuò: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* MIN. Gentuani profectò hac ſententia ſuperati fatentur, *Omnem gratiarum abundantiam Chriſto datam fuiſſe, & ita omnibus modis perfectam, vt non poſſit exhauriri.* Atqui non eſſet ita perfecta, niſi clara Dei viſione & ſecura fruitione donata fuiſſet beatiſſima illius anima. DOCT. Scribitur adhuc paulò poſt. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus Filius qui eſt ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Quomodo perfectè pleneq; Diuinam nobis gloriam & maieſtatem Chriſtus enarrare potuit, ſi non perfectè pleneque conſpexit? An non teſtis oculatus decem auritis præfertur? Aut quo pacto Diuinitas per hominem Chriſtum nobis patefacta eſt, ſi non ab eodem prius perfectè agnita & contemplata fuit? Aut quomodo hic Vnigenitus fuit, eſt, & erit perpetuò in ſinu Patris, ſi non clarè ab eo cernitur? MIN. Certè cùm alibi dicatur Chriſtus venuſſe, vt teſtimonium perhiberet veritati: veritas autem iſta ſit

Ioan. 1.

Gloſ. Gall. in hunc locum.

Ioan. 1.

Ista sit perfecta Dei Patris agnitio: dicatque idem de seipso, *Pater, manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi*: consequens est, vt secundum animam, Diuinam maiestatem prius viderit, vt & perpetuò eandem clarè intuetur Et qui aliter senserit, eidem vnigenito Filio Dei in faciem contradicat necesse est. *Ioan.17.*

DOCT. Rursum ait idem Euangelista: *Patrem non vidit quisquam, nisi is qui est à Deo: hic vidit Patrem.* MIN. Certè nemo Christianus negabit Christum longè excellentiore ac puriore modo vidisse Deum, quàm vel Iacob, vel Moses, vel Elias, vel Paulus, vel quisquã mortalium conspexerit: vidit igitur illum non per enigma fidei, sed facie ad faciem sicuti est. 5. *Ioan. 6.*

Hoc postmodum toties confirmat, quoties de Patris consortio gloriatur, dicens: *Solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater. Qui me misit, mecum est & non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. Filius manet in domo in æternum. Ego quod vidi apud Patrem, loquor. Est Pater qui glorificat me: quem vos dicitis, quia Deus noster est.* Addit rursum: *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Credite quia ego in Patre, & Pater in me est. Parabo vobis locum, vt vbi ego sum, & vos sitis.* Et ad Philippum: *Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Pater in me manens, ipse facit opera. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est?* Et ad ipsum Patrem conuersus ait: *Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.* MINIST. Enimuerò tam arcta coniunctio, tam sancta consuetudo, tamque Diuina cum Patre familiaritas, totiesque confirmata & prædicata necessitudo, sine eiusdem perspicua visione ac fruitione stare non potest. Illa verò omnia ad Christi humanitatem referenda esse, vel illud satis indicat, quod ait, *Animam meam pono pro ouibus meis.* Denique, etiam Caluinus in Comment. superiora testimonia ad hominem assumptum refert: quo se suosque errores multo magis coarguit. 6. *Ioan.8.* *Ioan.10.* *Ioan.14.* *Ioan.17.*

DOCT. Sunt quoque dilucida & certa hæc verba Christi de animę suæ beatitudine atq; gloria, *Nemo ascẽdit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo.* Hæc enim ad humanitatem suam omnino per- 7. *Ioan. 3.*

tinere docet particula ista, *Filius hominis*. Quomodo verò dicit se esse tùm in cœlo, cùm in terra conuersaretur & loqueretur; nisi quòd animo ita Deitatem contueretur, ac eadem frueretur, ac si cælos iamiam incoleret? MIN. Caluinus sanè fatetur hæc à Christo *non dicit respectu Diuinitatis suæ*, ergo humanitatis. Deinde, hîc nomine cæli, *non fieri loci mentionem, sed conditione tantùm discerni Christum à reliquis hominibus, quia hæres sit regni Dei, à quo totum genus humanum exulat.* DOCT. Ex ore suo sese iudicat seruus nequam. Etenim si conditio ista, qua discernit Christus seipsum à reliquis, in eo cõsistit, quòd ipse esset in cælo, & tanquam hæres regni Dei esset in cælo; profectò illic erat secũdum animam tantùm, non secundum corpus: eratque hæres regni Dei beatissima illius visione atque fruitione; ad quam cæteri vt exules adhuc per fidem, spem, & charitatem suspirant & anhelant.

*In c. 3. Ioan. ver. 13.*

8. Insuper, si ea qua decet attentione ac fide expendere voluerimus, quàm Diuino ac planè infinito amore Pater sanctissimam Christi animam semper fuerit prosequutus, haud difficilè credemus illãm à primo momento creationis & infusionis suæ in corpus, beatissimam atque glorioſissimam fuisse. MINIST. Nemini dubium Patrem complecti eam beneuolentia incredibili ac ineffabili: alioqui toties è cælo demissum in his terris non resonuisset istud oraculum: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: Sed & Filius hunc Patris in spiritum suum ineffabilem amorem frequenter exposuit, dicens: *Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manus. Pater diligit Filium, & demonstrat ei quæcunque facit. Propterea diligit me Pater, quòd animam meam pono pro ouibus meis. Pater dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater iuste mundus te non cognouit, ego autem te cognoui.* Atqui summus amor non potest sine summo effectu consistere, cùm charitas nunquam sit otiosa. Summus autem effectus infinitè amantis est seipsum clarè exhibere ad videndum & fruendum ei, quem amore complectitur. Igitur certum ac indubitatum est, Deum Patrem animę Christi, quam tantopere charam habuit, tametsi adhuc corpore mortali concluſam, Diuinam maie-

*Matt. 3. et 17.*

*Ioan. 3.*
*Ioan. 5.*
*Ioan. 10.*
*Ioan. 17.*

*1. Cor. 13.*

ieſtatem & gloriam communicaſſe, etiam à primo cõditionis eius momento.

MINIST. Hæc ratiocinatio firmiſſimis ac euidentiſſimis verbi Diuini teſtimonijs nixa, ad aliam quoque contemplandam me prouocat & impellit. Ea eſt, quod hanc Chriſti animam corporis ſociam & formam Deus ita dilexit, vt iam ab initio ſuper eam requieſcere fecerit Spiritum ſapientiæ & intellectus, Spiritum conſilij & fortitudinis, Spiritum ſcientiæ & timoris: vnxeritque eandem oleo lætitiæ præ omnibus conſortibus ſuis: voluerit in illa omnem plenitudinem Diuinitatis inhabitare: in ea denique abſconditi tenerentur omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Diuinæ. Rurſum, dederit illi Spiritum ſanctum, non in menſura (vt Paulus docet ſingulis alijs electis diſtribui) ſed in tanta copia, vt ex eiuſdem plenitudine cuncti hauriamus. Quare concludo non eſſe veriſimile, Patrem animam Filij ſui tandiu priuaſſe gloria beatorum Angelorum ſemper videntium faciem ſuam tam in cælis, quàm vbique terrarum degant: alioqui membra feliciora eſſent ſuo capite, oues ſuo paſtore, diſcipuli præceptore, & milites ſuo Rege & Imperatore. 9.

*Iſaiæ 11.* *Hebr. 1.* *Pſalm. 44.* *Colo. 1. & 2.* *Ioan. 3.* *1. Cor. 12.* *Ephe 4.* *Matth. 18.*

DOCT. Sed quæſo te, vndenam proceſſerunt tot dotes ſubtilitatis, agilitatis, & claritatis in corpus Dominicum, quando ipſe ſicco veſtigio ſuper vndas ambulauit, in nubes lucidas elatus ſicut Sol reluxit, & hoſtibus ſe impalpabilem, inuiſibilem, & incomprehenſibilem præbuit? Vnde (inquam) tot in corpore adhuc mortali & patibili perfectiones ac dotes, niſi à perfecta beatæ animæ in eodem adhuc manentis gloria? MINIST. Ita ſanè credo, nec aliter Deo duce, ſentiam aut prædicabo. Sed conſenſum Theologorum in hanc quæſtionis ſolutionem, ac definitionem requiro. 10.

*Matth. 14. & 17.* *Luc. 4.* *Ioan. 8.*

DOCT. Si de Scholaſticis agatur, nemo eorum eſt, qui non ita credat, doceat, & quantis poteſt argumentorum momentis idipſum aſſeueret; cùm tertium Sententiarum librum ſuis diſputationibus excutiunt ac explicant. Sin de mediæ ætatis Patribus mentio fiat, certè vnus eorum ante multa ſecu- 11.

*Rich. à S. Vict. li. 2. de Emma. c. 22* la de Christo homine scripsit: Quod nos expectamus in consummatione, illi datum est in sua conceptione. Damascen. quoq; scribit; Christum à primo suæ carnis ortu omnibus prorsus sapientiæ gratiæque opibus affluxisse. *Lib. 3 orth. fidei, ca. 22.* MINIS. Hæc quidem confirmant animum meum, vt qui sciam hos Theologos non nouum dogma effinxisse: sed quod à Patribus didicerunt retinuisse ac corroborasse. Verùm, illorum præsertim testimonium & consensum à te requiro, qui proximos à Christo quadringentos annos in Ecclesia floruerunt.

12. DOCT. Græcorum ne fidem postulas, an Latinorum? MINIST. Vtrorumque: nam eandem doctrinam eos coluisse non dubito. DOCT. Augustinus igitur definitè ait: Hominem, cuius susceptione Verbum caro factum est, hac maximè proprietate à cæteris distasse, qua in lucem liquidissimam sublimiter animus fertur, vbi Trinitatis æqualitas & incommutabilitas videri potest. Et idem alibi: Animam renatam videre quidem Dominum, sed per speculum & in ænigmate: hominem verò quem Sapientia Diuina gestabat, nihil ignorasse, nec linteis implicatum fuisse, vt eum aliquid lateret. Et rursum exponens hunc Psalmistæ versum, *Beatum quem elegisti & assumpsisti, & cæt.* Fortiter contendit, hunc beatum non esse alium, quàm hominem assumptum à Verbo, qui consortio Diuinitatis verè beatus effectus sit. Et qui Augustinum Christo peperit Ambrosius, scribit: Christus erat humiliatus in forma serui, sed idem in gloria Dei Patris. Erat opprobrium hominum, sed idem maiestas Domini. Non habebat speciem neque decorem, sed habebat plenitudinem Diuinitatis, & cæt. Cùm esset in forma serui humiliatus, erat tamen in Dei gloria. Nec aliter sentit Hieronymus scribens, Nos per hæc Isaiæ verba, *Vt sciat reprobare malum, &c.* nosse debere, infantiam humani corporis Christi, nihil præiudicasse Diuinæ eiusdem sapientiæ, & cæt.

*Li. 4. de con. Euang. c. 10.* *Li. 83. quæst. quæst. 65.* *Com. in Psal. 64.* *Ep. 46. quæ. ad Irenæ.* *Philip. 2.* *Psal. 21.* *Isaiæ 53.* *Com. in ca 7. Isaiæ.*

13. MINIST. Totidem mihi ex Græcia testes aduoca, & mihi factum satis putabo. DOCT. Chrysostomus ergo in primis prodeat, huiusmodi ferens testimoniũ: Domi-

*Hom. 14. in Ioan.*

Dominus & Rex, & regis Filius, nobis longè maiora (quàm Moſes & Prophetæ) contulit, qui cum Patre ſemper eſt, & ſemper cum intuetur. Nazianzenus conſtanter ait: Dominus ab initio, gratia, ſapientiaque abſolutus erat. Euſebius denique explicans hunc locum Pſalmi: *Quoniam tu es, qui extraxiſti me de ventre*, adfirmat Chriſti animam, in vtero Virginis adhuc quidem latentem, Deum tamen ſemper vidiſſe. MINIST. Quæ iam à principio tibi ſanctè pollicitus ſum, conſtanter ſeruabo, nimirum, eodem cum Sanctis Patribus ſenſu ſacras ſcripturas intelligens, ſimul eadem de fide Chriſtiana dogmata, quæ aduerſus hæreticos docuerint, docebo, & toto pectore amplexabor. Cùm itaque illos audiam Chriſti animæ omnem ſcientiam, omnem gratiam, omnemq; gloriam etiam ab initio ortus ſui vno conſenſu tribuere, idem perpetuò & ipſe credam, & alios docebo. Superest, vt oſtendas eandem Chriſti animam Fide ac Spe non indiguiſſe, aduerſus. Caluinum, id multoties (vt audiſti) aſſerentem.

*Orat. in S. Baſilium.*

*Lib. 10. demonſt. Euan. ca. vlt.*

## *CHRISTVM FIDEM AC SPEM non habuiſſe: ſed apertam Dei viſionem & fruitionem.*

DOCTOR.

VT his, qui in clariſſima Solis luce verſantur, non eſt opus lucerna; & qui vberrimo fonte potiuntur, non egent conſectatione riuulorum; ita & animæ beatæ, quæ ſine vllo impedimento faciem Dei contemplantur, eademque ſecura poſſeſſione fruuntur, obſcuritate fidei non egent, vt eam agnoſcant: nec Spei longa expectatione, vt poſſideant. Fides enim authore Apoſtolo, eſt rerum non apparentium; & Spes, rerum futurarum, quæ nondum habentur, ſed per patientiam expectantur. Sequitur ergo in anima Domini noſtri IESV nec Fidem extitiſſe, ſed apertam Diuinitatis contemplationem: neque Spem, ſed beatam perpetuamq; rerum Diuinarum poſſeſſionem atque fruitionem. Confutatio 1.

*Hebr. 11. Rom. 8. 1. Tim. 5. 1. Petr. 1. Philip. 3. Tit 2. Hebr. 10. & 11.*

Tum etiam hæ virtutes Theologicæ Fides & Spes non poſſunt magis conſiſtere aut manere abſque obiectis ſuis, quàm aliæ virtutes quæ morales aut Philoſo- 2.

phicæ nuncupantur. Atqui præcipuum Fidei noſtræ obiectum eſt Deus nõdum clarè viſus; Spei verò idem, nondum in hęreditate & poſſeſſione acceptus aut exhibitus. Cùm itaq; (vti ſuperius docuimus) beata Chriſti anima Deum perſpicuè viderit & poſſederit à primo creationis & infuſionis ſuæ momento; Fidem & Spem
1. Cor. 13. nõn habuit, quæ ex parte (id eſt, multum imperfectę & & obſcuræ) ſunt: ſed perfectam Dei viſionem atq; fruitionem, quæ præſtantiſſima eſt Sanctorum felicitas.

3. MIN. Auerem magnum illum Auguſt. de his audire
Serm. 27. de verb. Apoſt. Li. 4 de con. Euan. ca. 10. dicentem. DOC. Ait ille: Eſt autem Fides, credere quod nõdum vides: cuius Fidei merces eſt illud videre quod credis. Atqui ſuperius eum audiſti aſſerentem, Hominem à Verbo aſſumptum in hoc ab alijs diſtaſſe, quòd in lucem eam liquidiſſimam, vbi Trinitas videtur, ſub limiter animo ferretur: igitur Fidei obſcuritatem non habuit, ſed perſpicuam Dei contemplationem.

4. Idem rurſum ait: Tunc eſt fides, quando expectatur
Lib. 13 ciuit. ca. 4. & lib. 22. ca. 29. 1. Ioan. 3. in ſpe, quod in re nondum videtur. Et paulo poſt: Præmium Fidei nobis viſio ſeruatur, de qua Ioannes: *Cùm apparuerit* (inquit) *ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Idem verò, vt ſupra dictum eſt, adfirmat, hominem aſſumptum nihil ignoraſſe, nec vllis Fidei linteis implicatum fuiſſe, vt eum aliquid lateret: imò beatum effectum in ſua per Verbum aſſumptione. Igitur nulla Fidei vmbra contectus, nullaque Spei rerum Diuinarum operoſa moleſtave expectatione ſecundum animam implicitus fuit.

5. Idem iterum Auguſtinus ſcribit: Modo non videntes
Lib. 14. de Trin. ca. 2. tamen quia credimus, videre merebimur, atq; ad ſpeciem nos per fidem deductos eſſe gaudebimus. Neque enim iam Fides erit, qua credantur quę non videntur: ſed ſpecies qua videantur, quæ credebantur. Hæc ille, quibus vides Fidem à beatis & comprehenſoribus longè remoueri, per ſuperuenientem apertam Dei viſionem, quam Chriſtum habuiſſe iam aſſeruimus.

6. Idem denique (ſi tamen tibi factum ſatis exiſtimas)
Lib. 1. Soliloq. c. 7. to. 1. perſpicuè ſcribit: Cùm animæ Deum intelligere contigerit, fides, ſpes, charitas neceſſaria ſunt. In vita autem beata, Fides quare ſit neceſſaria, cùm iam animus videat?

videat? Spes, quia iam tenet? Charitati verò non ſolum nihil detrahitur, ſed additur etiam plurimum, &c. Chriſti verò animus, vt probauimus, vitam ſemper beatam & felicem in mortali & patibili carne perpetuò vixit: igitur nec fide ad videndum Deum, nec Spe ad expectandum indiguit, cùm eundem perſpicuè videret atq; teneret. Hæccine tibi ſatis ſunt?

MINIST. Equidem, dum admonitus ab Auguſtino, altius mecum recogito Apoſtolum ſcribere, *Per fidem ambulamus, non per ſpeciem*: video illum Fidem abſolutè viſioni Diuinæ veluti omnino contrariam opponere. Dicendo præterea, *Cùm venerit quod perfectum eſt*, id eſt, cùm Diuina viſione fruemur, *quod ex parte eſt*, nimirum ſpeculum Fidei, *euacuabitur*: ſatis profectò manifeſtatum eſt, omnem animam videntem Deum Fide amplius non indigere. 7. 2. Cor. 5. 1. Cor. 13.

DOCT. Eadem prorſus eſt apud eum de Spe doctrina, quando ſcribit, *Spes autem quæ videtur, nō eſt Spes. Nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus.* Copioſè verò demonſtrauimus animam Chriſti Deum ſibi preſentiſſimum perfectè continuoque vidiſſe: conſequutio igitur certa & patens eſt, quod Fide & Spe omnino carere debuerit. Sicque tres aſſumpti à Caluino errores ſatis refutati & conuulſi manent. 8. Rom. 8.

Si quas habes his probationibus obiectiones proponendas, ne reticeas quæſo. MINIST. Tres ſunt quæ mihi negotium faceſſunt. Prima, quonam pacto anima Chriſti potuerit eſſe capax triſtitiæ, ægritudinum, & dolorum quos reuera pertulit, ſi clara Dei viſione frueretur? Conſtat enim ſummam lętitiam, quæ ex Dei aperta viſione atque fruitione oritur, ſummæ triſtitiæ omninò eſſe contrariam: contraria verò in eodem ſubiecto non poſſe ſimul & ſemel remanere. 9. Obiectiones ſoluuntur.

DOCT. Licet in eiuſmodi myſterijs debeamus omni fide & reuerentia potius Diuinam potentiam adorare, quàm vanas & futiles ſenſuum noſtrorum imagines; attamen etiam ipſa natura docente, nouimus illas paſſiones non ſibi penitus fuiſſe contrarias aut repugnantes, tum quia non eandem ſubiecti, id eſt, animæ par-

tem afficiebant; tum quia ex diuersis obiectis, causisq; procedebant, variosque respectus habebant. MINIS. Id tibi apertius latiusq; explicandum est. DO. Theologi ac Philosophi eximio consensu duas portiones, seu mauis, partes animæ spirituales considerant; supremam, quæ in rebus Diuinis & cælestibus tota occupatur: & secundum istam adfirmant animam Redemptoris perfectè beatam & glorioſam fuisse. Secundam verò seu inferiorem animæ portionem docent eam esse, quæ circa corpus & passiones eius regendas, moderandasque tota versatur; atque secundum hanc partem eandem numero animam Christi omnes ægritudines & angustias toleraſſe, quæ à sanctis Apostolis & Euangelistis referuntur. MINIS. Satis scitè hoc quidem. Sed quomodo summam tristitiam summamque lætitiam ex diuersis obiectis causisque profectas esse dicas, non satis intelligo. DOCT. Summa animę Christi lætitia, ex perspicua Dei visione ac permanente fruitione ortum habebat: ægritudo autem & tristitia summa, de qua palam conqueſtus est; ex tormentis & vulneribus afflicti corporis, cui intimè copulata erat, proficiscebatur. Quocirca hæ duæ passiones cùm eam inter se non haberent repugnantiam, quam inter verè contraria Philosophi constituunt, potuerunt sanè in eandem animam concurrere.

10. MINIS. Secunda obiectio mea est de Fide, quam Scriptura videtur passim Domino IESV tribuere. Dicit enim Isaias, *Erit fides cinctorium renum eius.* DOCT. Grata ne tibi erit Beatorum Hieronymi ac Cyrilli interpretatio? MINIST. Quare non? Meliorem enim non possem efflagitare. DOCT. Per fidem renes Messiæ præcingentem, fideles ille intelligit, quales fuerunt imprimis Apostoli ac discipuli, qui eum feruenter & constanter velut ouiculæ pastorem suum, & dilecti liberi parentem humanissimum circumplexi sunt. Iste verò, non πίστιν, id est, fidem: sed ἀλήθειαν, hoc est, veritatem, nimirum doctrinæ Euangelicæ, Christi cingulum interpretatur. Quod si tertiam cupis interpretationem & responsionem, cum Scholasticis aio, Fidem illic non sumi pro assensu intellectus, sed pro fidelita-

*Isaiæ 11.*

fidelitate, id est, constantia & veritate promissorum ob seruanda, quæ in Christo fuit maxima & perfectissima.

MIN. Tertia obiectio est de Spe, quæ multis in locis Christo apertè tribuitur: veluti cùm de eo in Psalmis canitur, *Caro mea requiescet in spe. Tu es spes mea, ab vberibus matris meæ. In te Domine, speraui.* Iudæi quoque improperauerunt ei: *Sperauit in Deo, liberet eum nunc de manibus nostris, &c.* DOC. Si tibi respondero post Bucerum & Caluinum hos psalmorum locos intelligendos esse de Dauide, non autem de Domino nostro IESV Christo, quid contra obijcies? MIN. Hoc esse nimium Iudaizare, & Spiritum sanctum, qui per antiquos & Sanctos Patres hæc ad Christum pertinere docuit, graui afficere contumelia. DOCT. Rectè sanè. Sed Patres per verbum *sperandi*, intellexerunt non gloriæ essentialis, quæ ad animam spectat: sed corporis Christi glorificationis, & nominis eiusdem exaltationis firmam & constantem expectationem, quæ tantùm ad spem moralem seu confidentiam pertinet; vt illa ad Spem, quæ verè Theologica virtus est & appellatur. Nam hæc ad Deum resque diuinas tendit duntaxat, vt illa ad res corporeas & accidentariam gloriam. *Psal.15. Psal.21. Psal.30. Matth.27.*

MIN. Summo Dei beneficio, de propositis articulis quid tenere debeam nunc certò scio: alia si libet, aggrediamur.

## *CHRISTVM HOMINEM TANTA ab initio repletum fuisse gratia Diuina abundantia & plenitudine, vt in hac crescere per illius augmentum non potuerit: aduersus septimum errorem Hugnosticum; ordine autem 92.*

DOCTOR.

MIrum quantis modis Satanas Christi Domini dignitatem & præstantiam per Caluinum vestrum imminuere conatus sit. De his superius iam plura, nunc porrò audies, quomodo summam gratiam illam, quam donante Spiritu sancto, ab

initio conceptionis ſuæ conſequutus eſt, adeo extenuare atque deprimere nitatur, vt dicat eam temporis progreſſu maiorem & auctiorem factam. Verba illius ſunt: *Vnà cùm ætate creuerunt etiam (in Chriſto) animi dotes.* Et poſt pauca: *Pro ætatis ratione, & modo Chriſtus ſecundum humanam naturam gratuitis Spiritus donis auctus eſt:* quaſi verò non omnibus etiam ab initio donatus fuiſſet. Attingens rurſum baptiſmum Chriſti, & Spiritus ſancti in eo deſcenſum, addit: *Chriſtum quatenus hominem, tunc redditum fuiſſe ſuæ vocationis certiorem, ob idque noua Spiritus virtute indutum extitiſſe*: ac ſi antea nec omni virtute præditus, nec de ſua vocatione ſatis certus atque ſecurus fuiſſet. Nec his contentus iterum dicit, eum cùm egreſſus eſt è Iordane, *tunc vberiore Spiritus gratia & virtute fuiſſe inſtructum, vt fortior ad pugnas obeundas foret*: velut antea minus fortis ac potens, præ Spiritus gratiæ defectu extitiſſet. Quid tu ad hæc?

*In c. 2. Luc. v. 40.*

*In c. 3. Matt. v. 16.*

*In c. 4. Luc. v. 1.*

Cõfutatio. 1.

MIN. Non credo vera eſſe, quæ aduerſus plenitudinem gratiæ Mediatoris noſtri in citatis à te locis effutit: quandoquidem alibi contraria docet & ſuſtinet, nimirum, *Chriſtum* etiam ante baptiſmum, *Spiritum ſanctum (qui nunquam ſuis donis ſpoliatur) in ſe reſidentem habuiſſe, & ſingulari eius gratia vſque ad miraculum excelluiſſe.* Itaque & ſumma, quæque adaugeri tempore non poſſet, gratia Spiritus ſancti inſtructus & munitus eſt. Iterumque alibi ſuperiores ſuos errores coarguens ſcribit: *Chriſtus Spiritus plenitudine ſolus donatus eſt, vt teſtis ac legatus eſſet noſtræ cum Deo reconciliationis.* Cùm itaque tam apertè ſecum pugnet, & ſupra dictos errores manifeſtè condemnet; cur non & ego damnabo?

*In c. 3. Matt. v. 16.*

*In c. 4. Luc. v. 17.*

2.

DOCT. Optimo ſanè iure id facis, cùm etiam huiuſmodi imminutio gratiæ Chriſto collatæ paſſim damnetur à Prophetis & Apoſtolis aſſerentibus è contrario, illum fuiſſe vnctum oleo lætitiæ, id eſt, cunctis diuini Spiritus donis, præ omnibus participibus ſuis. Hinc enim magnus Athanaſius Sermone ſecundo aduerſus Arrianos, fortiſſimè contendit, oleum illud ſanctificationem eam deſignare, qua Verbum homo

*Pſal. 44. Heb. 1. Athanaſ.*

homo factum seipsum abundantissimè sanctificauit; quoniam ipse est qui dat & accipit Spiritum: dat vt Verbum, accipit vt homo. Bernardus quoque rectè iudicat, oleo lætitiæ significari septem Spiritus sancti dona, quibus Messiam complendum esse Isaias etiam prædixit. *Serm. 16. in Cant.*

MIN. Manifestissima profectò est ista Prophetæ Euangelici prædictio de Christo: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus sapientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Nam vbi tanta plenitudo & abundantia gratiarum semper resedit, non potuit defectus earum per varios nouosque accessus instaurari. DOCT. Certè Irenæus martyr, & Tertullianus ante mille & trecentos annos, præclarum istud vaticinium de vniuersitate spiritualiũ charismatum, quæ in solum Christum competebant; & vberrima spiritualis gratiæ pulchritudine, qua semper ornatus fuit, piè ac eleganter sunt interpretati. 3. *Isa. 11.* *Lib. 3. c. 19. L. adu. Iud. & lib. 3 adu. Marcionem.*

His addendum & hoc Ioannis illustrissimum testimonium. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Quod grauiter expendens Augustinus ait, Dominus DEVS non solum Spiritum sanctum dedit vt Deus, sed etiam accepit vt homo, & propterea est plenus gratia, quia vnxit eum Deus Spiritu sancto, id est, dono gratiæ. MINIST. Caluinus profectò tam dilucido & firmo argumento quasi se victum fatetur, cùm ibidem scribit: *Inexhaustum gratiæ & veritatis fontem Christus reipsa se esse testatur. Plenitudo enim gratiæ in Christo, fons ille est vnde nos omnes haurire oportet. Complementum omnium quæ ad spirituale Dei regnum pertinent in se habuit.* DOCTOR. Vnde ergo crescere potuerunt in eo animi dotes? Vbi gratuitorum donorum Spiritus augmenta? Vnde noua virtus, aut vberior gratia? Etenim si gratia animo eius collata est, quæ verè Filio Dei vnigenito congruebat, si plenus omnino gratia & veritate, imò & si gratiæ inexhaustum est pelagus, non potuit certè aliquibus nouis accessionibus adaugeri. 4. *Ioan. 1. In c. 1. Ioan. v. 14.*

Nec

5. Nec prætermittenda est beatissimi Præcursoris ista
Ioan.1. de gratia Christo homini collata testificatio. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* His enim cunctos homines velut bonorum spiritualium inopes, ad diuinarum gratiarum inexhaustum thesaurum inuitat, vt inde quicquid defuerit affatim desumamus. MIN. Caluinus certè hîc iterum sese damnat atque iugulat, dum scribit: *Bonorum omnium affluentiam (Christus) in se continet. Horum omnium copia nobis in eo exposita fuit. Quicquid est bonorum, Deus in ipso solo residere voluit. Christi plenitudo sic numeris omnibus perfecta est, vt sensuri simus verè inexhaustum esse fontem.* DOCT. Certè si vera omnium bonorum abundantia, si copia exposita cunctis, si quicquid est bonorum spiritalium, si gratiæ plenitudo numeris omnibus absoluta in ipso
Isa.11. fuit, idque ab initio, vt testificãtur Prophetæ cum Euan-
Luc.1. gelistis; nulla accessione noua potuerunt hæc dona eius crescere aut cumulari.

6. Hoc idem Euangelista confirmat luculentissimis
Ioan.3. his verbis. *Quem misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Hoc autem ad solum Christum pertinere satis colligitur ex eo, quod Paulus
2.Cor.12. doceat Gratiam singulis nostrum distribui secundum
Ephes.4. donationis mensuram, ita vt nemo vnus ad plenum abundet, sed alij alijs semper indigeamus: in Christum autem vniuersam Spiritus sui copiam diuinus Pater effudit. MINIST. Et hoc etiam loco Caluinus superiores suos errores refellens adfirmat, *Christum Spiritu donatum fuisse ad summam vsque perfectionem. Eidem non esse ex mensura datum spiritum, quasi gratiæ qua pollet, facultas ad aliquem modum finita sit.* DOCT. Etenim verè summo non datur maius, & infinito non potest fieri accessio: itaque gratia in animum Christi effusa tanta fuit, vt auctior ac vberior fieri non posset: atque sic & diuinis, & proprijs armis prostratus deiectusque iacet hîc Caluinismus.

7. MIN. Supereſt tantùm mihi obiecta dubitatio ex
Luc.2. his Euangelistæ verbis: *Puer IESVS proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Ergo gratia eius augeri potuit. DOCT. Paucis, sed grauissimis verbis

ante

ante aliquot ſecula diſſoluit hoc argumentum D. Thomas, reſpondens eum profeciſſe gratia, non ſecundum ipſos ſciētiæ aut gratiæ infuſos habitus: verùm ſecundum effectus, quando proceſſu ætatis perfectiora opera faciebat, vt ſe verum hominem demonſtraret, & in his quæ ſunt ad Deum, & in his quæ ſunt ad homines. Quæ ne tibi leuis ſolutio videatur, certò ſcias hanc deſumptam eſſe ex antiquiſſimis Eccleſiæ proceribus Athanaſio Ser. 4. aduerſus Arrianos, Hilario libro 9. de Trinit. Baſilio contra Eunomium, Nazianzeno Orat. in laudem Baſilij, Cyrillo libro 10. Theſauri, cap. 7. Hieronymo in cap. 7. Iſaiæ, alijſque diuinis Patribus.

MIN. Ergo de alio capite iam dicamus.

## *ANIMAM DOMINI NOSTRI IESV Chriſti omni ſapientia & ſcientia donatam fuiſſe ab initio ſuæ creationis ac infuſionis: nullamq; vel cum Angelis, vel cum hominibus ignorantiam communem aſſumpſiſſe: aduerſus tres hæreſes Caluinianorum, quæ ordine ſunt 93. 94. & 95.*

DOCTOR.

POSTEA quàm Picardus hæreſiarcha ſeſe oppoſuit beatitudini animæ Chriſti, aduerſus mirabilem infinitamq; eiuſdem ſapientiam & ſcientiam furioſè inſurgit, pernegans ſecundum eam fuiſſe omniſcium ab initio: quin & ignorantiæ nunc cum Angelis, mox cum vniuerſis hominibus communis eundem inſimulans. Eius verba ſunt: *Ter & quater inſanus foret, qui ſe grauatim ignorantiæ ſubijceret, quā ne ipſe quidem Dei Filius noſtri cauſa ſubire abnuit.* Et poſt pauca: *Cùm palā ſit Chriſto communem cum Angelis ignorantiam tribui.* MIN. Quid portò Angeli aliquando ignorauerint, non ſatis intelligo: iſtud ergo antequam vlterius pergas edicito. Inc. 24. Matth. verſ. 36.

DOCT. Antiquiſſimi & ſapientiſſimi Græci Theologi Dionyſius, Origenes, Niſſenus, Chryſoſtomus, Theodoretus; & ex Latinis Hieronymus, Primaſius, Sedulius, alijque plurimi, explicantes hæc Pauli verba,

Mihi

Ephes.3. *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc in gentibus Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui omnia creauit in Christo IESV, vt sapientia Dei multiformis Principibus & Potestatibus in cælestibus per Ecclesiam innotesceret, &c.* ex postremis verbis colligunt, multos Angelos (quos hîc Apostolus vocat Principes & Potestates cælestes) ignorasse vocationem Gentium per Euangelium ad communionem Ecclesiæ, & consortium sacrorum Christianorum, vsque ad prædicationem Pauli & coapostolorum eius, quorum opera tum demum perceperunt eas vocari, & humanissimè recipi. MIN. Hæc verissima esse nihil diffitetur noster Ianus, scribendo in eadem Apostoli verba, quod in prædicatione Euangelij gratia Dei variè declaratur, *quæ non semper cognita fuit etiam ab ipsis Angelis*: & quod Ecclesia tam ex Iudæis quàm ex Gentibus collecta, est veluti speculum, in quo Angeli contemplantur Dei sapientiam, quam ante ignorabant. DOCT. Manifestum est igitur eum existimare, *ANIMAM Domini nostri IESV Christi diu ignorasse multiplicem gratiam Dei, ignorasse Ecclesiam colligendam esse ex Iudæis & Gentibus, ignorasse denique Iudæorum reprobationem, Gentium vocationem, & ineffabilem prædicationis Euangelicæ fructum*: quæ omnia falsa, impia, & hæretica esse firmissimis argumentis volo comprobare, postquam alteram eiusdem hæresim recitauero, vt ambæ simul refellantur, & Christi Domini nostri omniscientia & sapientia confirmetur.

Cal. cõment. in 3.c. Ephes.

Proficiens ergo in pcius Author vester, & furorem suum aduersus Filium Dei adaugens, sanctissimam illius Animam grauat cunctis nobiscum communibus ignorantiæ tenebris ac sordibus, cùm ait: *Eius Anima subiecta fuit ignorantiæ. Hoc solum discrimen est inter nos & illum, quòd infirmitates quæ nos necessitate constringunt, sponte & voluntate sua susceperit.* Tum etiam Nicolaus Gallasius Caluini discipulus, mentem præceptoris adhuc latius aperiens, de eodem Domino nostro ait: *Ita ignorauit, vt disceret ipse, atquè eruditetur more hominum.* Buccrus, Beza, Zuinglius, Molinæus, Gualtherus, Sacramen-

Com. in c. 2. Luc. v. 40.

Annot. in li. 2. Iren. c. 49.

tamentarij omnes in eandem impietatem conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius.

Ex his autem cõsequitur, eosdem pernegare, omnium rerum scientiam, adeoque infinitam sapientiam beatæ animæ Christi à Spiritu sancto infusam cõmunicatamque ab initio cõditionis & assumptionis suæ: quæ omnia ex diuinis Scripturis Patribusq; enitar refellere. Dicito autem in primis tu, quid de his sentias.

MIN. Si aliquam tantùm rerum partem Christum ignorasse dicerent; aut de ea notione, quæ per humanos sensus, id est, experientia acquiritur, facerent mentionem; plurima de his prius mecum meditari cuperem, quàm de his ferre sententiam. Verùm, omnem prorsus nostrã ignorationem illi impingere, impium sanè existimo. Est enim eũ accusare, quòd nec Patrem nec matrem, nec bonum nec malum, nec Deum nec Angelos, nec cælum nec terram, nec seipsum quoque agnouerit quis aut qualis esset: quod de Christo hominum omnium Doctore, Seruatore, ac Iudice, vel tantùm cogitasse abhorret omnis pius animus. Certum namque ac manifestum est, Animam eius longè feliciorem fuisse, vel Adami primi parentis, vel Ioannis Præcursoris sui anima. Illi autem ab initio indita atque concreata fuit rerum omnium naturalium saltem, certa cognitio, vt ex Scriptura facilè colligitur: huic verò adhuc tenebroso vteri materni carcere concluso, datum est Christum recenter conceptum, & agnoscere & colere: multòmagis ergo Animæ Seruatoris & Iudicis mundi cælitus inspirata & data fuit ab initio multiplex rerum tam diuinarum quàm humanarum sapientia.

Cõfutatio. 1.

*Gen.2.* *Eccles.7.* *Eccli.17.* *Luc.2.*

Deinde, veteres Prophetæ cecinerunt quidem Filium Dei assumpturum corpus ex semine Abrahæ, patibile, mortale, & in quo dolores nostros portans, crucem & acerbissimam mortem subiret; sed nunquam prædixerunt eum assumpturum esse animam stupidam, insciam, ac communi hominum ignorationi subiectam. Nec vllo modo verisimile est rem tanti momenti, aut Spiritum Propheticum latuisse, aut

2.

*Gen.3.15.22.* *Isa.53.* *Ierem.11.* *Psal.21.30.68.*

aut ipsos Prophetas reticere voluisse, si id facturus fuisset, cùm minimè celauerint quid ori, quid genis, quid faciei, quid dorso, quid pedibus & manibus, quidque vestimentis eius contingere deberet in passione. Dauid recte cecinit, *Deum non esse dereliqturum animam eius in inferno, nec daturũ corpus eiusdem corruptioni*: sed nunquam cogitauit, nunquã credidit, nũquam prædixit animam eius futuram insciam ac ignorantem more ceterorum hominum. Quare concludo eos sese superbissimè & arrogantissimè supra Spiritum, qui locutus est per Prophetas, erigere; qui tam felici Animę communem omnium nostrum ignorantiam atq; stupiditatem affingere non erubescunt.

*Psalm.* 21. & 68. *Psal.* 15. *Act.* 2. & 13

3. DOCT. Equidem ab Anima Messiæ omnem ignorantiam siue Angelicam siue humanam longè remouens Dauid, canit: *Patrem eandem vnxisse oleo lætitiæ præ consortibus suis*: quod Paulus per omnium Spiritus sancti donorum & gratiarum amplissimam in ipsum effusionem factum interpretatur. Ignorantia verò communis cum huiusmodi perfectionibus non potest certè in eodem subiecto consistere.

*Psalm.* 44. *Hebr.* 1.

4. Isaias quoque tantum abest vt communem hominum in scitiam Christo tribuat, vt è contrario, palam prædicet, *Requiescet super eum Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Sub his, inquit Diuus Thomas, comprehenduntur omnia cognoscibilia: nam ad sapientiam pertinet cognitio omnium immaterialium: ad scientiam autem pertinet cognitio omnium conclusionum: ad consilium autem cognitio omnium agibilium. Ergo videtur quod Christus secundum scientiam inditam sibi per Spiritum sanctum, habuerit omnium cognitionem. Cùm itaque ab eo tempore, quo in vtero Virginis conceptus, factus est Emmanuel, & flos de radice Iesse, Spiritus sanctus cum vniuersis donis suis super eum requieuerit, & omnem sapientiam, omnem scientiam, omnem intellectum eidem impertiuerit; grauis fit ei iniuria quotiescunque ignarus aut insciius a Caluinianis appellatur. MIN. Iudæi profectò multis & frequentibus iniurijs eum affecerunt,

*Isaiæ* 11.

*Parte* 3. *q.* 11. *artic.* 1.

ffecerunt, ſed nunquam imperitum, nunquam indoctum, nunquam rudem aut aſinum eum more Hugnoſtico, reputauerunt.

Adhæc, Paulus velut his calumnijs & probris ſeſe opponens conteſtatur, *omnes theſauros ſapientiæ & ſcientiæ in eo eſſe reconditas*: vtpotè in quo *complacuit Patri omnem quoque plenitudinem Diuinitatis inhabitare, etiam corporaliter*, id eſt, quatenus homo eſt. Omnes dicens theſauros, tantam abundantiam ſapientiæ, tantamque copiam omnis ſcientiæ comprehendit, aſſeritque in eius animum effuſam eſſe; vt cuncta & diuina & humana, & cæleſtia & terreſtria, atque etiam ipſa infernа eidem omninò pateſcerent. 5. *Coloſ.1.& 2.*

Cùm etiam conſtitutus ſit omnium tam hominum quàm Angelorum, adeoque totius huius mūdi caput, rector, & iudex, nihil certè eorum quæ ad tantam dignitatem adminiſtrandam pertinent ignorare debuit: alioqui ad tantum munus prorſus ineptus videretur. Quiſquis ergo ignorantiam ſeu angelicam ſeu humanam illi tribuit, eūdem gloria moderatoris & iudicis vniuerſorum ſpoliat, & ſummam eius præripit authoritatem. 6. *Dan.7. Ioan.5. Act 10. Epheſ.1.*

His adde, Euangeliſtas referre illum cognouiſſe, damnaſſe & improbaſſe altiores & ſecretiores cordiū humanorum cogitationes: quod nemini Angelorum aut hominum datum eſt. Proinde non erat hominum communi excæcatus ignorātia: & angelicam omnem ſuperauit intelligentiam. 7. *Matth.9.12. 22. Luc. 5.9 11. Ioan.1.11.12.*

Præterea, abſens corpore, animo probè nouerat mortem Lazari, Apoſtolorum in mari periculum, Nathanaëlem eſſe ſub ficu, aſinam in ſuburbijs Ieroſolymorū eſſe alligatam, ſtaterem in ore piſcis, hominem hydriam aqua plenam ferentem Apoſtolis obuium futurum, magnum cœnaculum ſtratum ſuis eſſe demonſtrandum: nec vnquam latuerunt eum Iudæ perfidia, Iudæorum pertinax odium, aut quæcūque euentura erant ſuper eum. MIN. Hæc ſatis oſtendunt eius animam nequaquam ſubiectam fuiſſe communi hominum ignorantiæ: & contrarium ſentientes manifeſtos reipſa hoſtes eſſe cùm Euāgelij, tum gloriæ Chriſti, 8. *Ioan.11. Mar.6. Ioan.1. Matth.21. Mar.14. Ioā.6.13.19. Luc.18.22.*

sti, quantumcunque id verbis negauerint.

9. Ego quoque memini beatum Euangelistam vocare eum, *Lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et ipsummet de seipso dicere, *Ego sum lux mundi. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Quandiu sum in mundo, lux sum mundi, &c.* Sed notum est ignorantiæ humanæ tenebras, non magis posse cum tanta luce conuenire, quàm clarissima dies cum obscurissima nocte: sequitur ergo felicissimam mentem Christi nullis vnquam ignorantiæ tenebris offusam fuisse.

Ioan.1. Ioan.8. Ioan.12. Ioan.3. Ioan.9.

10. DOCT. Adde quod & idem ait: *Vidimus gloriã eius quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Et, *De plenitudine eius omnes nos accepimus.* Si plenus fuit gratiæ, nullum in eo habitauit peccatum: ergo si plenus veritatis, nullum mẽdacium, nulla fraus, nulla insciti a aut ignorantia in eius animo locum inuenit. Si omnes electi ex eius plenitudine hauriunt, omniũ scientiarum fons est vberrimus: quapropter nimis sunt iniurioſi, qui crassissimę ignorantiæ suæ conantur reddere eum participem. Et cùm postea subijcit idem Euangelista:

Ioan.1.

*Iesus nouerat omnes, nec opus ei erat, vt quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine:* omnem prorsus ignorantiam procul ab illo repellit.

Ioan.2.

MIN. Certè hîc se victum ferè Caluinus fatetur, scribens: *Perspectum fuisse Christo quicquid in hominibus nos latet, vt posset iure suo inter homines discernere. Christus ergo qui cordium est cognitor, monitore opus non habuit, vt sciret quales essent isti, &c. Nostra autem ratio longè diuersa est: quia Christus ipsas arborum radices notas habebat: nos verò non nisi ex fructibus qui palam apparent, cognoscimus qualis sit vnaquaque arbor.* Nam cùm ei perspectum fuerit quicquid nos latet, profectò cõmunem nobiscum ignorantiam non assumpsit: & si monitore non indiguit, impiè scripsit Gallasius, eum eruditũ fuisse more hominum.

Com. in c. 2. Ioan. v. 24. & 25.

11. DOCT. Subijcit rursum Euangelista: *Quem misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dedit Deus Spiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.*

Ioan.3.

Quibus

Quibus docet Christum immenso interuallo non modò Prophetas, ac mundi Sapientes, verùm & Angelos omnes superasse: quando illis gratia quidem Spiritus sancti multiplex concessa est, sed pro cuiusque modulo atque definita mensura, IESVS autem ab instanti conceptionis suæ omnem omnium gratiarum abundantiam susceperit. Ac ideo multa Patres, multa Prophetæ, multa Angeli potuerũt ignorare, Christus verò non potuit. MIN. Et hîc rursum Caluinus secum pugnans, se suosq; erroris coarguit, cùm scribit: *Tametsi Spiritu donatus fuit ad summam vsque perfectionem, tamen à Patre accipere dicitur, &c. In hoc à nobis differt Christus, quòd Pater immensam Spiritus sui copiam in eum effudit.* DOC. Vbi ergo communis illa hominum, quam in eo confingit, ignorantia? Sũma perfectio sapientiæ & gratiæ, immensáue Spiritus copia in eum effusa, consistere poterit, cum summa rerum omnium ignoratione? Aut quod summũ & immensum in eo fuit, potuit aliquando adaugeri? Facessat procul tanta stupiditas & amentia. *Com. in c. 3. Ioan. v. 34.*

DOCT. Quando iterum apud eundem Euangelistam exclamant Apostoli: *Nunc scimus quia scis omnia, & non est opus, vt quis te interroget*: nolunt planè eum ignorantiæ nostræ subiectum esse. Et alibi dicens, *Sciebat ab initio Iesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eũ.* Item, *Sciens omnia quæ ventura erant super eum*: Discipulis quoque suis longè antea reuelans, quod tradendus esset Gentibus ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum, his profectò satis indicabat se communem hominum ignorantiam non assumpsisse: imò rerum futurarum, & contingentium perspicuam certamque se habere notitiam. 12. *Ioan. 16. Ioan. 6. Ioan. 18. Matth. 20. Luc. 18. Mar. 10.*

Quinetiam tanta in eo erat diuinæ sapientiæ & scientiæ vbertas, vt Iudæi obstupescentes dicerent, *Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit?* Et hanc sibi per Spiritum S. ab initio infusam fuisse docens respondebat eis: *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.* MIN. Hîc, hîc profectò impietatis in Christũ se suosq; conuictos sentiens tandem Caluinus ait: *Erat hoc mirabile gratiæ & virtutis Dei specimen, quòd Christus à nullo magistro edo-* 13. *Ioan. 7. Ioan. 7. v. 15. & 16.*

*ctus, eximia tamen scripturæ intelligẽtia pollebat: imò qui nunquam fuerat discipulus, præstantissimus erat doctor & magister,* &c. *Nam ideo Filium ex mechanica potius officina prodire voluit cælestis Pater, quàm ex Scribarum scholis, quo magis conspicua esset Euangelij origo, ne quis in terra fabricatum putaret, vel hominem quempiam fingeret esse eius authorem.* DOCTOR. Vbi ergo illa communis hominibus ignorantia? Vbi discendi necessitas, quam Filio Dei affingit Gallasius? In quibus quęso, gymnasijs, aut in qua Academia fuit artibus instructus? Quos habuit literarũ præceptores? Qua in classe inuenerunt eum Geneuani ministri? An non ergo Iani magistri sui testimonio, insignis gratiæ & virtutis Dei, quæ in Christo apparebat, hostes remanent infestissimi? Si nunquam discipulus fuit, an non palam contumeliosus est in Christum Gallasius, scribens eum, *ita ignorasse vt disceret, & hominum in morem erudiretur*?

14. MIN. Hæc vera & certa sunt: interea tamen ex te scire cupio, vnde tanta homini Christo contigerit omnium rerum cognitio. DOCT. Non me, sed ipsum Dominũ tibi respondentem exaudi. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Pater diligit Filiũ, & omnia dedit in manu eius. Pater diligit Filium, & ostendit ei quæcunque facit. Mea doctrina est eius qui misit me. Omnia quæ Pater habet, mea sunt. Sicut docuit me Pater, hæc loquor. Ego quod vidi apud Patrem, loquor.* Has porrò sentẽtias nec Ianus vester diffitetur ad hominem à Verbo assumptum referẽdas esse: clarum est igitur illum omni sapientia & doctrina à Deo Patre edoctum & donatũ fuisse. Et iccirco etiam atque etiã in eum contumelioſi sunt Caluiniani, quando Filiũ eius ignorantiam nostrã fingunt assumpsisse.

*Ioan.3.* *Ioan.5.* *Matth.11.* *Ioan.7.* *Ioan.8.*

15. Præterea, ex intima perfectaque vnitione hypostatica, quæ à primo suæ creationis & infusionis instanti inter æternũ Dei Filium & hominem assumptum intercessit, factum est, vt diuinæ perfectiones, quibus humana Christi mens capax fuit, eidem planè cõmunicarentur: sicq; homo ille non modò omnipotens, sed & omniscius verè sit & dicatur. Proindeq; nullis ignorantiæ tenebris Animam illam, quæ verè sua fuit, irretiri permisit: sed omnium rerum clarissimo scientiæ &

notionis eam ſplendore colluſtrauit. Ex his enim efficitur, vt Damaſcenus conſtanter ſuſtineat eos myſterium incarnationis Verbi negare, qui IESV Chriſti Domini noſtri humanam Animam diuina infinitaque ſpoliant ſapientia. Et Cyrillus ſcribat, Eos quantum in ſe eſt, furari & præripere Filio Dei ius hæreditatis paternæ, quod eſt, omnia ſcire & poſſe; qui Chriſto ignorantiam tribuunt. Et ſecundū Auguſtinum, cum nec verè agnoſcant, nec fateātur eſſe caput hominum, quorum primus ſapientiſſimus conditus eſt. *L. 3. de fide orthod. c. 22.* *L. 1. in Ioan. c. 17.*

Denique, tam ex Scripturis quàm ex doctrina Patrū ſuperius euicimus, ANIMAM Chriſti, clara Dei viſione, eiuſdemque perfecta fruitione etiam ab ortu ſuo beatiſſimam fuiſſe. Atqui certiſſimum eſt ineptias & tenebras humanas non poſſe cum tali lumine & ſplendore beatifico miſceri. Eſt igitur prodigioſa ſimulque furioſa inſenſatorum hominum rabies, humanam inſipientiā huic Animæ tribuere; ſapientiam cæleſtem in ſcholam mortalium hominum remittere: atque hunc Solem, veramque mundi lucem, è tenebris & cineribus noſtris dicere ſplendorem ſuum emendicaſſe. Ac proinde Chriſti Domini noſtri gloriam longè atrociore contumelia afficit, ac imminuit error iſte, quam ſecum reputent homines miſeri, qui Miniſtrorum conciones ſectantur. 16.

MIN. Lubens reſcirem à te, an Caluiniani ſint huius erroris primi Authores, an verò ab alijs quondam inuentum, nunc ipſi tantùm reparent? DOCT. Vir Apoſtolicorum temporum, & Martyr Irenæus, refert Carpocratianos, Valentinianos, Marcioniſtas, Cerinthianos, Ebionitas, quos vno nomine Gnoſticos appellat, huius aduerſus Chriſtum contumeliæ primos fuiſſe authores. Hos autem ſecuti ſunt Arriani, Neſtoriani, & Fotiniani, quemadmodum aduerſus eos ſcribētes docent Athanaſius, Hilarius, & Vigilius Martyr. MIN. Certè & ſi nihil alud mali aut abſurdi in ſe contineret hic error, quàm talium monſtrorum ingratam memoriam, & ſanctiſſimæ antiquitatis in ſe grauiſſimam cenſuram, hoc ſaltem Caluinum & diſcipulos eius reuocare debuiſſet. 17. *Iren. l. 1. c. 17. Atha ſer. 4. cont. Arrian. Hilar. l. 9. de Trinit. Vigil. diſput. Atha. & Ar.*

Sed quid respondendum ad ea, quæ ex Paulo proponunt, *Debuit Christus per omnia fratribus similari, vt misericors fieret?* DOCT. Assumpsit reuera Filius Dei verum perfectumque hominem, corpore mortali & anima rationali, instar cunctorum fratrum, id est, aliorum hominum constantem: & cum his illas duntaxat imperfectiones ac infirmitates nostras, quæ ad patiendum pro peccatis nostris, Patremque cælestem placandum visæ sunt necessariæ, vtpote, necessitatem esuriendi, sitiendi, dormiendi, laborandi, calescendi, frigescendi, fatigandi, contristandi, angendi, capiendi, ligandi, flagellandi, conspuendi, crucifigendi, moriendi, sepeliendi &c. suitque in his similis fratribus, ac eiusdem speciei secum consortibus nobis hominibus. Alias autem quæ ad saluandum hominem minus erant necessariæ imbecillitates non assumpsit, nimirum, ab homine gigni, à corrupta muliere nasci, infici peccato originis, rebellione carnis aduersus spiritum affligi, ignorantem prodire, aut febribus, paralysi, hydropisi, lepra, aliisque plurimis hominum infirmitatibus subditum esse.

*Heb. 2.* Obiectiões soluuntur.

19. MINIST. Est & aliud quod animum meum non parum fatigat. Scribitur enim: *IESVS proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines*. Si proficiebat sapientia, non omnem adeptus fuerat ab initio. DOCT. Soluit hunc nodum ante plurima secula magnus Cyrillus concilij Ephesini Præses, dicens: Proficiebat Iesus ætate corporis & robore: sapientia quoq; animæ quotidie magis ac magis elegãti quodam ordine elucebat & latius se effundebat, disputando modo cum Doctoribus legis, aliás cum Nathanaële, nũc cum Nicodemo, mox cum Apostolis, deinde in synagogis Galileæ, tandemq; in maximo Ierosolymorũ templo cotã omni populo, &c. Quã verò habes de D. Bernardo opinionẽ? MIN. Eam profectò quę Patri sanctissimo & doctissimo debetur. DOCT. Hanc quoq; obiectionem ita cum Cyrillo soluit: Proficiebat IESVS sapientia, non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat. Atque vt paucis contraham, ita hunc Euangelij locum intelligendũ esse docuerunt, Athanasius sermone

*Luc. 2.*

*Cyril. lib. de recta fide: l. 10. thesauri. c. 7: & l. 1. in Ioan. c. 17.*

*Bern. homil. 2. super Missus est.*

4. con-

4.contra Arrianos: Nazianzenus orat. in laudem Basilij: Hieronymus commentarijs in cap. 7. Isaiæ, & 31. Ieremiæ: Damascenus libro 3 orthod. fidei, cap. 22. Patres omnes, adeò vt nullus vnquam eorum ex hac sententia contenderit beatissimam Christi Animam nostris ineptijs ac ignorantijs cum Caluinianis deformare. Ac si vno verbo à Scholasticis responsum tibi velis, Profecit non secundum habitus scientiæ & gratiæ, sed secundum effectus; quando secundum profectum ætatis perfectiora edebat opera, quibus coram hominibus innotescebat.

## DIEM ET HORAM FVTVRI iudicij postremi Christum non simpliciter & absolutè ignorasse: contra vndecimum errorem, ordine verò 96.

### DOCTOR.

NON contenti Sectarij Christum omni hominum ignorantia in generali deturpasse, & diuinam sapientiam ad hominum scholam ablegasse; ad priuatas postea plurimas accusationes descendunt, & inter has, quòd postremi ac vniuersi iudicij tempus, diem, & horam penitus ignorauerit. Ecce verba hæresiarchæ: *Secundum hominem Christum diem vltimum nescisse.* *In cap. 24. Matth. v. 36.*

Cõfutatio. 1.

MINIST. Memini me sæpius istud apud eum non modò legisse, sed etiam pluries in concionibus meis sustinuisse, existimans hoc verum ac Euangelicum: nesciens porrò huiusmodi errorem esse Gnosticorum, Arrianorum & Nestorianorum; eundemque à sanctissimis Patribus improbatum & damnatum, quemadmodum nunc à te didici. Cùm itaque nolim illis reprobis hæreticis adhærere, sed potius cum pijs & à Deo inspiratis Doctoribus Ecclesiæ sentire: simulque cùm ab omni aduersus Seruatorem & Iudicem meum contumelia animus meus abhorreat, & hunc

& similes errores, quibus Christus alicuius ignorantię insimulatur, damno & reprobo.

2. DOCT. Piè & scitè profectò. Sed vltra etiam scire te velim beatissimum Papam Gregorium, ac optimum discipulum eius Isidorum Hispalensem, superioribus hæreticis copulasse alios, quos & Agnoïtas & Ignoïtas appellauerunt; propterea quòd in hoc eodem errore sunt volutati, quem vestri Censores nunc conantur redintegrare. Nec modò istos cum superioribus seductoribus tam in Italia quàm in Hispania profligarunt; verùm etiam referunt sanctum Eulogium Patriarcham Alexandrinum, cum Cleri sui auxilio, eosdem confutasse, excommunicasse, & vniuerso patriarchatu suo constanter expulisse: relicto posteris exemplo, quo pacto in eorum successores & discipulos (Caluinianos intelligo) sese gerere oporteat, Episcopos atque Magistratus Christianos.

*Greg. l. 8 epi. 42.*

*Isid. 8. ethymol.*

3. Insuper, author est Nicephorus, quendam Themistium, temporibus Valentis Imperatoris, in eundem errorem impegisse: sed tum à sanctis Patribus silentium ei inditum fuit. Verùm, quibusdam discipulis eius sub Iustinis & Iustiniano renascentibus; atque Seuero Antiocheno, Theodosio Alexandrino, & quodam Philopono (qui impios Tritheitas introduxerunt) impensius eis fauentibus; hunc errorem ex inferis extractum, rursus seminatum, & propagatum fuisse. MINIST. Ergo Caluinus, Beza, Molinæus, & assęclæ omnem diuini numinis metum posuerunt, qui è teterrimis sentinis veterum hæreticorum eiusmodi putidas sordes retraxerunt: quas tot locupletissima conuincunt testimonia, & tam sancta grauia & antiqua improbant iudicia: atque hoc mihi satis esse videtur, vt ab optimis quibusque Christianis reijciantur.

*Niceph. l. 18. c. 49. & 50.*

4. DOCT. Verùm id quidem: sed propter contentiosos, præstat vt & firmissimis argumentis, tam ex Scripturis q̃ ex Patribus assumptis, idipsum confirmemus. Quod sic facio. Necesse est idoneũ ac verũ Iudicẽ perfectè nosse & modum, & circunstãtias litis, quam velit dirimere: alioqui nec suo officio faciet satis, nec rectè omnia

omnia dijudicans æquam ferat sententiam. Atqui sacrę literę passim astruũt Dominum nostrum IESVM, etiam vt filius hominis est, constitutum esse Iudicem viuorum, mortuorum, Angelorum, ac totius huius mundi. Nemini ergo hominum ambigere licet, eum perfectè clareque nosse & seculum, & annum, & diem, & horam, & modum, quibus vniuersum exercebit iudicium suum. Aliâs enim non iudicaret orbem terræ in iustitia, & populos in æquitate: & ab eius tribunali iusta videretur remanere ad aljud prouocatio. *Ioan. 5. Actor. 10. 2. Tim. 4. Matth. 25.*

5. Deinde, si diuina Verbi persona tam intimè sibi assumptum hominem coniunxit, vt ei suam communicarit Deitatem, omnipotentiam, misericordiam, bonitatem, iustitiam, & omniscientiam; idque tam vera strictaque communicatione, vt propter vnitatem personæ verè dicatur, Homo est Deus, homo est omnipotens: num & eodem iure credere ac profiteri debemus Christum, quatenus etiam homo est, perfectè nosse, scientia sibi à Verbo collata & indita, quando & quomodo hunc mundum est iudicaturus?

6. Quomodo etiam huiusce mundi finem ac postremum diem ignoraret, quando tunc maximè regni sui gloriam capesset, cùm verus Deus & mũdi Redemptor ac Iudex omnibus manifestus apparebit, ponet inimicos suos scabellum pedum suorum, ac sibi videbit curuari omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum? Scilicet, diem gloriæ suæ ignoraret, & tempus triumphi sui absconditum esset ab ipso? Hoc sanè gloriam maiestatis suæ nimium imminueret: quare quo tempore ac die id fieri debeat, habet pro certo perspectum & exploratum. *Matth. 25. Matth 26. Philip. 2.*

7. MINIST. Hæ quidem rationes euidentes, certæ, & ex ipso S. Theologiæ fundo rectè petitæ sunt: sed si quas habes scripturas velim in aciem educeres. DOC. Christus homo sibi à Patre communicatam omnium rerum scientiam, atque sic etiam postremi iudicij omnem notitiam satis adfirmat his Euangelicis verbis: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Omnia tua, mea sunt. Pater dedit ei omnia in manu, &c.* Cùm ergo Pater probè norit diem iudicij, ac finem huius seculi, hoc ipsum quo- *Matth. 11. Ioan. 13. 16. & 17.*

que & Christo suo pro certo reuelauit & tradidit. MI. Certè nihil dubito eidem concessum & datum esse id quod minoris momenti est, si res grauioris & maioris ponderis liberaliter est concessa. At verò Pater dedit illi potestatem iudicij faciendi, quod maximi est momenti: igitur & notitiam temporis, quo idipsum præstare oporteat, quod minoris est.

*Ioan.5.*

8. Præterea, Paulus constanter prædicat, *Omnia per ipsum, in ipso, & cum ipso esse: in ipso thesauros omnes sapientiæ & scientiæ reconditos: In ipso nos omnes viuere, moueri, ac esse: per ipsum omnia condita: Ipsius pedibus Patrem omnia subiecisse.* Nō pertinet igitur ad Geneuanos Catones istos finem huius sæculi, ætates huius mundi, aut alia multa pro suo arbitratu tam temerè quàm nefariè excipere.

*Ioan. 1. Rom. 9. Rom. 11. Colos. 1. & 2.*

9. Scribit quoque Ioannes, *Traditas ei esse claues mortis & inferni*: & Paulus rursum testatur, *In eo habitare omnem plenitudinem Diuinitatis etiam corporaliter*, id est, vt homo est: cur non ergo vnà & plenitudo sapientiæ iudicij futuri? Itaque in Paulum, & dilectum Christi discipulum Ioannem contumaciter insurgunt, & summo omnium nostrum Iudici maximam gloriæ suæ partem detrahunt, qui obstinato animo contendunt, eum postremi iudicij tempus aut circumstantias ignorare, &c. Quid autem Veteres de hoc senserint dogmate, nunc explana.

*Apoc. 1. 3. 9. 20. Colos. 1. & 2.*

10. DOCTOR. Ante mille & trecentos annos Irenæus Martyr censuit, eos esse insensatos homines, ac Scripturarum diuinarum tortores atque deprauatores, qui Christum hominem à quoquam mortali aliquid didicisse, aut quidpiam ignorasse autumarent. Eodemque tempore Author responsionum ad orthodoxorum quæstiones apud Iustinum martyrem, constanter pronunciauit, Impium esse Christo ignorantiam tribuere. Et paulò eis inferior Clemens Alexandrinus, iudicauit absurdissimum opinari, Opus fuisse CHRISTO vt aliquid disceret, cùm Deus esset.

*Lib. 1. ca. 17. Quæst. 58. Lib. 1. Pædag. c. 6. et 11.*

11. Sed quoniam omnium acutissimè & copiosissimè de hac re aduersus Arrianos, (quos in hoc errore, vt & alijs multis imitantur Caluiniani) disseruit beatus Hilarius,

Hilarius, cum ita ex sacris scripturis ratiocinantem & concludentem exaudias. Ait enim. An credibile vt aliquid (Christus) ex omnibus nesciat, qui omnibus ad id quod sunt, atque erunt, author est? Si omnia per Christum, & in Christo, & ita per ipsum, vt omnia in ipso sint; id quod neque extra eum, neque non per eum est, quomodo non etiam in scientia eius sit? Cogitationes humanas, non tantùm præsenti motu incitatas, sed etiam instinctu futuræ voluntatis agitandas Christus non ignorat, Euangelista testante, *Sciebat IESVS ab initio qui essent non credentes, & qui esset traditurus eum*. De eo scriptum meminerimus: *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes*. Et illud: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & omnia in ipso reconciliari.* Christus aderit, & aduentus sui diem ignorat? Dies suus est, secundum Apostolum, & ignoratione eius detineri intelligendus est? Humanæ naturæ quod agere diffiniunt præsciunt, & sequitur gerendorum conditio voluntatem agendi: Deus verò natus, quod in se, & per se est, nescit? Non patitur in nobis doctor Gentium Paulus, hanc impij erroris professionem, vt ignorasse aliquid vnigenitus Deus existimetur. Ait enim: *In eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi:* Hæc ille, quibus apertè cernis non tam Arrianos profligari, quàm Caluinianos cum eis ignorantiam diēi postremi, qui gloriæ eius deputatus est, Christo impiè tribuentes. 12.

*Lib. 9. de Trinit.*

*Ioan. 6.*

*Coloss. 1.*

*Coloss. 2.*

MINIST. Et hanc impietatem nunc tecum abominor & excetor, à Domino veniam supplex postulans, quod eam aliquando tenuerim & docuerim. Interim autem mihi exponas rogo, difficultatem huic doctrinæ contrariam, quæ ex his verbis oritur: *De die autem illa vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius nisi Pater.* In his enim verbis, *neque Filius*, præcipua nituntur Caluini & suorum fundamenta.

*Marc. 13.*

DOCT. Infirma sanè & caduca, quoniam Ambrosius & Hieronymus in primis Patres antiquissimi & grauissimi scripserunt eadem verba, *neque Filius*, in probatis Origenis & Pierij Alexandrinorum exemplari-

plaribus Græcis, multisque Latinis non inueniri: indeque plurimos suspicari ea ab Arrianis addita fuisse, qui admodum importunè eadem vbique in suæ perfidiæ patrocinium Catholicis obijciebant. Verùm, ne huic suspicioni inhæreamus: sed demus ita Euangelistam sensisse ac scripsisse: per hæc intelligamus cum Diuo Petro, Christum omne quod erat, quod habebat, quod faciebat, quodque sapiebat, ad ipsum Patrem suum referre, veluti ad omnium horum fontem & authorem: proindeque dixit, solum Patrem diem illam nosse, nimirum à se, & per seipsum, Filium autem non eo modo. Hoc enim sensu & alibi dixit: *Doctrina mea, non est mea: sed eius qui misit me Patris*. Et rursum: *Non potest Filius à seipso facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Non possum ego à meipso facere quicquam. Non est meum dare vobis, &c.* Aut certè, quæ est magni Basilij, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Chrysostomi, Gregorijque magis vulgata interpretatio, Filius nescire diem illam dicitur, quòd hanc reuelare hominibus nec decuit nec debuit: sed omninò celare, veluti rem ad eos, nosque omnes in officio continendos maximè idoneam & necessariam. MIN. De alio igitur capite nunc dicamus.

*Clem. li. 10. recognit.*

*Ioan. 7.*

*Ioan. 5.*

*Lib. 4. cont. Eunom.*

*Lib. 5. de fide cap. 8.*

*Com. in Mat.*

*Li. 1. de Gen. cap. 22.*

*Epi. ad Eulo.*

## *CHRISTVM NON IGNORASSE fidem ac pietatem eorum, qui obtulerunt ei paralyticum: contra 12. errorem, ordine autem 97.*

### DOCTOR.

ALIAM adhuc sapientissimo Redemptori inferunt vestri iniuriam, adfirmando, eundem ignorasse ardentem eorum fidem, qui sanandum intulerunt Paralyticum. Ait enim Caluinus: *Nam quòd quidam existimant Christum Diuinitus conscium fuisse ipsorum fidei, quæ occulta intus latebat, mihi coactum videtur.* Totam verò Sectariorum turbam hac inquinari macula ostendit Marloratus, quando eadem verba retulit in

*Com. in c. 9. Matt. ver. 2.*

lit in sua Rhapsodia, quam appellat, *Expositionem vniuersalem Ecclesiæ vestræ*. Tu quid censes? Vis ne tam cæcos imitari magistros?

MINIS. Auertat Dominus: nam in horrendam impietatis voraginem me secum præcipitarent. Ab hac itaque Caluini sententia planè dissideo, quoniam & ille secum manifestè dissidet, scribens in eodem loco de baiulis Paralytici: *Fidei specimen edebant in illo tam laborioso conatu: quia nunquam tantum subijssent molestiæ, nec cum tantis obstaculis luctati essent, nisi animos fecisset certa successus fiducia: ita fides eorum in eo fructu apparuit, quòd præcluso vndique aditu fatigati non fuerint.* DOCT. Homo igitur in Christum maleuolus & maledicus fuit Caluinus, eum reputans tam hebetem & rudem, vt ex illorum tam laborioso molimine deprehendere non potuerit insignem eorum fidem. Aut certè Caluinus Christo longè acutior & subtilior est, qui post mille & quingentos annos, absensq; videat, quod ille præsens non viderit. Apagete tantam hæresiarchæ amentiam atque maledicentiam. Confutatio 1. Matth. 9.

MINIST. Rursum sibi ipsi contradicens scribit alibi: *Christum, qui omnium præscius erat, minimè latuit quid futurum esset, &c cæt.* Certè si cuncta præsciebat etiam antequam essent, præsentium supplicum manifestam fructibus fidem atque pietatem apertè cognouit. Itaq; cùm antequam illi accederent, præsciebat venturos; cùm accesserunt, perfossoque tecto demisserunt grabbatum, in quo iacebat Paralyticus ante Christum, non potuit profectò ignorare illos credere & sperare, quod hunc curare posset & vellet. 2. In cap. 14. Mat. ver. 18.

DOCT. Optima certè & firma ad hominem argumenta. Atqui mihi videtur non esse procul recedendum à contextu Euangelistarum, vt Hugnostica in Christum maledicentia refellatur. Scribit enim Matthæus: *Videns Iesus fidem illorum dixit paralytico; Confide Fili, remittuntur tibi peccata tua.* Marcus autem: *Cùm vidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico, Fili dimittuntur tibi peccata tua.* Et Lucas: *Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua.* Tres Euāgelistæ eadem mente & voce docent confirmantque Christum vidisse fidem 3. Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5.

fidem illorum: Caluinus autem negat; rem coactam & duram arbitratur & pronunciat: quibus, quæso te, fides potius est adhibenda?

4. MINIST. Pudet me profectò audire hunc terræ vermiculum, & canem mortuum, tam præfractè Spiritui sancto qui in Euangelistis locutus est, sese opponere, atque contradicere: nec possum iudicare tam insanam & effrenatam audaciam aliunde promanasse, quàm à Satana, qui eum ad id scribendum & prædicandum impulerit. Certè non fuit Christo difficilius internam hominum piorum fidem ex operibus eorum externis colligere, quàm vel ægrum insanabili naturæ morbo tunc sanare, vel peccata eidem misericorditer remittere. Vtrumque autem magnificentissimè potestate sibi Diuinitus tradita præstitit: igitur & sapientia sibi quoque Diuinitus concessa, fidem & spem offerentium perfectè cognouit.

Matth. 9.

5. DOCT. Attende etiam quæ mox ibidem subijciuntur de obmurmurantibus Pharisæis: *Cùm vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata tua: An dicere, Surge & ambula?* MIN. Certè saltem æquè facilè fuit Christo nosse fidem & pietatē piorum offerentium, quàm malitiam & infidelitatem Pharisæorum obmurmurantium in cordibus suis. Ob idque Caluini malitia non minor esse apparet, quàm eorum Iudæorum, qui velatis Christo oculis, in eundem conspuebant, & alapis eum cædentes dicebant: Propheriza: quasi nihil nisi apertis corporeis luminibus posset aspicere aut nosse.

Matth. 9.

Matth. 26.

6. DOCT. Eadem certè potestate & sapientia, qua nouit laudauitque Centurionis pro seruo deprecantis fidem: Chananææque mulieris animo conceptam de sua potentia fiduciam: denique mulieris fluxu sanguinis laborantis insignem piamque de sua clementia persuasionem: eadem constanter credo, & agnouit & plurimum fecit fidem bonorum virorum offerentium illi paralyticum. Videlicet, author & consummator fidei omnium nostrum IESVS, hanc ignoraret?

Mat. 8. 9. 15.

Heb. 12.

ret? MINIS. Non eget ampliore refutatione tam manifesta improbitas: cætera persequamur.

## QVOD DOMINVS FICVLNEAM aggressus, speciem huius arboris probè noscebat: contra 13. errorem, ordine 98.

### DOCTOR.

IMpium scientiæ & sapientiæ Christi detrahendi studium persequens Caluinus, addit, Ipsum formam speciemque arboris ignorasse, cùm accessit ad Ficulneam, vt fructus ab illa decerperet. Hæresiarchæ verba sunt ista: *Nihil absurdi est si dicamus, secundum hominem speciem arboris fuisse illi incognitam.* In cap. 21. Mat. ver. 18.

MINIST. Vidi, legique frequenter hæc eius verba, sed nunquam probaui. Nam & ipse sequenti mox capitulo sibijpsi contradicit, scribens, *Spiritus Christi cordium erat cognitor*. Quid ergo prohibuit, ne diuersas arborum formas speciesq; perspectas haberet? Nunquid priore posterius longè facilius est? Confutatio 1.

DOCT. Adde, ipsum Euangelistæ Fici historiam enarrantis contextum Caluinianam calumniam & iniuriam planè refellere. Ait enim: *Manè reuertens in ciuitatem esurijt. Et videns fici arborem secus viam, venit ad eam, & cæt.* Eaque maledictione arefacta, dixit Apostolis: *Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solùm de ficulnea facietis* (quod factum est) *sed & si monti huic dixeritis, Tolle te, & iacta te in mare, fiet.* Audis nomen arboris Fici semel & iterum expressum, Christumque dicentem, *Facietis de ficulnea, &c.* igitur Ficum arborem esse ad quam accesserat, quam maledixerat, quæq; aruerat, certè distinctèque idem cognoscebat, cùm ad eam accessit. 2. Matth. 21.

MINIST. Certissimum quoque est, eum qui omnia & præterita, & præsentia, & futura nouerat; eademque Discipulis & turbis quantum oportebat, annunciabat; species arborum quas obuias in via habebat, non ignorasse: eundemque nescijsse præsentia, & præscijsse 3.

scijsse futura. Igitur grauem Christo iniuriam irrogat Caluinus, dicens eum obuiam sibi vnam ficulneam nescisse.

4. Sed si Patrum iudicio standum esset, qualis hic iudicaretur? DOCT. Iustinus Philosophus & Martyr, eum pro impio haberet, qui ignorantiam Christo tribuit: Clemens Alexand. eundem diceret atheum, aut saltem Ebionitam, existimando eos qui Christum de nouo aliquid didicisse volunt, eundem negare verum Deum: cùm si Deus esset, inquit, nihil eum didicisse oportuit. Hilarius inter Arrianos eum relegaret, lata in eos sententia in pari negotio. Docet enim incredibile esse, aliquam creaturarum speciem Domino nostro Iesu Christo incognitam fuisse, cùm ipse sit omnium creator & moderator. Gregorius responderet Caluinum esse Nestorianum, quòd Spiritus Domini Christi nulla possit accusari ignorantia, nisi à natura Diuina penitus seiungatur. Augustinus nunquam in suam communionem illum admitteret, quippe qui constanter semper docuerit, Ignorantiam nullo modo fuisse in infante illo, in quo Verbum caro factum est, & cæt. Damascenus renuntiaret eum hostem adorationis debitæ vnicæ hypostasi Filij Dei, scribens: Qui proficere dicunt Christum in sapientia, non secundum hypostasim adorant vnionem. Athanasius eundem referret in numerum Samosatenianorum: hoc quippe donat titulo eos, qui huiusmodi errorem tutandum suscipiunt. Ambrosius statim pronunciaret Caluinum nulla religione teneri: sic enim appellat eos, qui huius erroris authores extiterunt. Et vt paucis absoluam, vniuersa Ecclesia Christiana iamdudum damnauit, & anathematibus percussit eiusmodi erroris authores & propugnatores, quando veteres Gnosticos, Arrianos, Nestorianos, Agnoitas, & similes sua reprobauit censura, & damnauit authoritate.

*Quæst. 58. ad orthod.*

*Li. 1. pædag. cap. 6. & 11.*

*Lib. 9. de Trinit.*

*Lib. 8. ep. 42.*

*Li 2. de pec. merit. & rē. cap. 29.*

*Li. 3. fid. ort. cap. 22.*

*Ser. 4. cont. Arrian.*

*Lib. 5. de fid. cap. 8.*

(*_*)

## *DOMINVM NOSTRVM IESVM docendo non esse impropriè, aut sine ratione locutum: aduersus 14 errorem, ordine autem 99.*

DOCTOR.

NOVO rursum errore contendunt Hugnostici *Dominum esse frequenter impropriè, impurè, ac sine ratione locutum*, cùm inter homines conuersatus, eos de regno Dei palam erudiret. MINIST. Eo adduci non possum, vt credam hominem seriò Christianum ita fuisse improbum, vt id solum de Domino cogitarit: tantum abest vt de Domino Caluino minima tantùm mihi remaneat suspitio. DOCT. Irascéris? MINIST. Sic irascor ad tam putidas calumnias. Esto enim in superioribus errauerit: non tamen credam vt tam impiè de Domino IESV senserit vnquam. DOCT. Discedo ergo, ni patienter audieris. MINIS. Audiam, modò nulla Domino Caluino fiat calumnia. DOCT. Video sanè, Veritatem odium parere. Sed fero patienter, quandoquidem nec solus es quem absurdę & portentosę Caluini blasphemiæ in admirationem rapiunt. Existimabis itaque nos calumniatores & mendaces quousq; tali errore eundem conuictum relinquamus. Vt tibi ergo & similibus consulam, nunc fusius tibi commemorabo locos & sententias, vbi Caluinus eam infert sapientissimo ac potentissimo Redemptori nostro iniuriam. In Matthæi caput sextum versibus 16. 17. 18. scribit: *Quod ieiunijs mercedem à Deo promittit Christus, impropria est locutio, sicut paulo ante de precibus dictum est*. In caput duodecimum, versu quinto: *Quod dicit Christus, Sabbatum profanari à Sacerdotibus, impropria est locutio*. Et versu vicesimo sexto, *Quod sequitur, Filios ipsorum fore iudices, impropriè dictum est*. Versu trigesimo tertio, *facite arborem bonam, impropria locutio est*. In caput quintum decimum, versu 19. *Ex corde exeunt malæ cogitationes, &c. impropria est loquendi forma*. In caput vicesimum versu 26. *Quicunque voluerit inter vos maior fieri, &c. impropriè loquitur*. Atque hæc ille Harmo-

nia in tres Euangelistas: audi nunc quoties eadem culpa Dominum in Ioanne loquentem, accusarit. In caput primum, versu 32. *Vidi spiritum descendentem, &c. impropria est locutio.* In caput tertium, versu 21. *qui autem facit veritatem, & cæt. hoc videtur impropriè & absurdè dici,* Gallicè, *sans raison.* In caput sextum versu 29. *Hoc est opus Dei, & cæt. Satis constat Christum impropriè loqui.* Et versu 35. *Ego sum panis vitæ, & cæt. impropria est ex parte similitudo.* In caput decimum septimum, versu 12. *Quos dedisti mihi & cæt. Est quo ad grammaticam attinet, impropria exceptio.* Nec vobis Hugnosticis satis fuit Dei genitam Sapientiam in carne manifestatam toties impuræ orationis, incongruitatis, ac improprietatis damnasse, nisi ex omnium sententia cædem iniuriæ describerentur in Chirographis ac libellis Clypei vestrę fidei Geneuanę, vbi scribitur, *quod Dominus de pane dicens, Hoc est corpus meum, & cæt. impropria locutione sit vsus.*

**Confutatio 1.**

MINIST. Ah, nimium est. Amplius nihil addas rogo. Non existimo Rhapsacem, Holofernem, Sennacheribum, Nicanorem, Iulianum, aliosque Dei viuentis hostes, frequentiores aduersus eius potestatem eructasse contumelias, quàm iste aduersus illius Sapientiam genitam euomit. Quid? Non semel aut tertiò, sed duodecies scribere hanc Dei incarnatam Sapientiam, locutam esse impropriè? Authorem omnis eloquentiæ, expolita non habuisse verba? Infinitam Dei Prudentiam & scientiam genitam, absque ratione disseruisse? Impropria vti similitudine? Omnium Doctorum & magistrorum summum magistrum, leges grammaticorum nescijsse? Totus hæsito stupefactus, mirorque quibus artificijs baptizatos homines ita Satanas potuerit illudere, vt huiusmodi blasphemias sibi persuaserint, scripserint, docuerint. Iudæi nanque aduersus Mosen, aut Turcæ aduersus Maometē, aut ethnici aduersus suum Iouem aut Mercurium, eiusmodi factas iniurias nunquam tolerarent. Et Christiani principes atque magistratus, hæc palam scribi, docerique in suis prouincijs æquis animis patiuntur! Proh Dei & hominum fidem! O mores! O pectora cæca! Ezechias ad vnam vel alteram Rhapsacis blasphemiam suas ve-

*4. Reg. 18. & 19. Iudith.*

*4. Reg. 18. & 19.*

stes

ſtes regias lacerauit: Dauid optimus Regum exclamat. *Opprobria improperantium tibi, ceciderunt ſuper me*: & nemo Christianorum principum aduerſus huius Rhapſacis ſedem inſurgit? Summis precibus te rogo & obſecro, Deus vltionum Domine, exaltare, libere age, redde retributionem iſtis Filij tui ſuperbis contemptoribus. Vſquequo peccatores Domine, vſquequo gloriabuntur? Effabuntur, & loquentur huiuſmodi nefariam iniquitatem? In has igitur contumelias quantum voles agas Doctor amiciſſime, ego aliud nihil nunc quàm eas deteſtari & deprecari poſſum. *Iſaiæ 30. Pſalm. 68. Pſalm. 93.*

DOCT. Vniuerſa, quæ ſuperius aduerſus quatuor poſtremos Genevanorum errores, præſentem quoque ſatis refellunt & improbant. Cùm enim etiam quatenus Filius hominis rerum omnium diuinitus ſibi conceſſam ac infuſam habuerit ſapientiam, nullam ignorauit venuſtam elocutionem, nullam aptiſſimorum verborum elegantiam. Et cùm in eo eſſent omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi, tum quoque *in eodem habitaret omnis plenitudo diuinitatis etiam* (vt Apoſtolus loquitur) *corporaliter*, pro certo nulla defuit verbis eius copia, nulla ſententijs concinnitas, nulla comparationibus aut aſſumptis ſimilitudinibus condecentia, nulla pura propriaq; elocutio. Quomodo enim ille locutus eſſet impropriè, qui ſuis & promiſit, & contulit os & ſapientiam, cui omnes aduerſarij, id eſt, totius mundi ſapientes, ac tyranni, non potuerunt reſiſtere? Qui olim ex ruſticis ac rudibus homunculis, fecit maximos & ſapientiſſimos Prophetas? Qui ex paſtoribus ouiũ, fecit excellentiſſimos Paſtores populorũ? Qui parvulorum linguas fecit diſertas? Qui ex elinguib. & balbis, facundiſſimos & diſertiſſimos efformauit oratores? Non eſt profectò, non eſt verum, ſed neque veriſimile Dominum noſtrum, qui pauculos idiotas, piſcatores, omnium diſciplinarum ignares, & vix Patriæ linguæ proprietatem callentes, fecit Apoſtolos, id eſt, magni Dei per totum orbem legatos, myſteriorum diuinorum diſpenſatores, omnium hominum linguarum ſcientiſſimos; aut inconcinnis verbis, aut impuris loquendi *Iſaiæ 7. Coloſ. 1. & 2. Luc. 21. Actor. 2.*

quendi formulis vsum esse, tantùm abest vt grammaticę regulas minimè tenuerit.

3. Nam qui talem de eo post Ianum Caluinum concipiunt opinionẽ, eius sapientiæ ac facundiæ minus tribuunt, quàm profani milites illi, quos miserunt Iudæi vt caperent IESVM in sermone. Nam eloquentia eius deiecti, & sententiarum grauitate confracti, ad dominos suos inanes redierunt, dicentes, *Nunquam sic locutus est homo, vt hic loquitur.* Siquidem tantam in eo dicendi vim venustatemque experti fuerant, vt ad intima sermo dilapsus præcordia, illos dociles redderet qui antea rudes fuerant: cordaque eorum emolliret atque mansuefaceret, qui prius aut lapidei aut efferati extitissent. MINIST. Ergo non impropriè, non insulsè, non absurdè, non impurè loquebatur, vt iste Filius perditionis Caluinus eidem imponit. Enimuerò, fuit iste Filius Dei homo factus Cicerone copiosior, Pericle vehementior, Seneca grauior, Demosthene facundior, Isocrate dulcior, subtilior Aristotele, sapientior Socrate, Platone diuinior; & vt paucis dicam, fuit nitidis verbis nitidior, omni eloquẽtia eloquentior, & omni facundia facundior. Omnium enim horum donorum ipse fons est & largitor liberalissimus. Omnes Philosophi, Oratores, Poëtæ ex eius thesauris & arculis hauserunt. DOCT. Reuera, omnem intelligendi celeritatem, omne discendi ingenium, omnemque dicendi ac differendi facultatem, donum Dei esse non semel contendit Augustinus.

*Ioan. 7.*

*Lib. 4. conf. cap. 16.*

4. MINIST. Græci miris laudibus efferunt Orphæi, Arionis, & Amphionis versus, quodque horum virtute feras demulcere; montes, saxa, arbores mouere potuerint. Alij scribunt Herculem Gallicum linguæ suæ eloquentia velut aureis catenulis, aures hominum ad se pertraxisse. Referunt & Timotheum musicum vario concentu suo Alexandrum Magnum nunc ad arma capescenda, mox ad ea ponenda impulisse. Scribunt etiam sacri Authores Dauidem cytharæ suæ pulsu Satanæ furores in Saule repressisse. Quanto ergo suauius, quanto purius, quanto efficacius Fi-

*Basil. orat. ad Nepotes.*

*1. Reg. 16.*

lius

lius Dei & hominis in Euangelicis orationibus ſuis perſonuit?

DOCT. De hac re teſtatur beatus Euangeliſta. 5. *Admirabantur turbæ ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum & Phariſæi.* Matth. 7. Ac ſanè neceſſe eſt illos in verbis eius maximam ſenſiſſe & voluptatem & vtilitatem, quando relictis ciuitatibus, domibus, & familijs ſuis eundem frequentes ſequebantur per caſtella, per montes, per mare, & per deſerta: id nunquam facturi, ſi barbarus, rudis, & ad dicendum ineptus extitiſſet, velut Hugnoſtici commiſcuntur.

Scribit etiam Lucas de eius concionum præſtantia: 6. *Omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum. Et omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius, & cæt. Ipſe docebat in ſynagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.* Luc. 4. Iterumq; ait: *Et ſtupebant in doctrina eius, quia in poteſtate erat ſermo ipſius. Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.* Et alibi: *Mirabantur omnes de his quæ procedebant de ore eius.* Obſecro, vnde tantus auditorum ſtupor, vnde admiratio, ſi iuxta Propheram Geneuanum, tam impropriè & abſurdè loquebatur, vt nec puerulis notas grammaticæ regulas obſeruaret? Aut quæ verba gratiæ ex eius ore procedentia ad eum magnificandum, ſi impropria ſimilia vſurpabat?

Adhæc de eiuſdem Domini noſtri ſapientiſſima pueritia idem ſcripſit: 7. *Parentes inuenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, ſuper intelligentia & reſponſis eius.* Luc. 2. MINIST. Profectò ad tam lucidum veritatis teſtimonium videtur Caluinus tanquam de tenebroſo errorum ſuorum ſomno expergefieri, & aliquam veri ſcintillam perſpicere, cùm ibidem fatetur, radios Diuini fulgoris palam in puero IESV enituiſſe, alias ſuperbi homines ſedem publicam ſacramque in medio eorum capere nunquam ſiuiſſent. Et paulò poſt ait: *miratos fuiſſe omnes, quia prodigij loco habebant, puerum tam aptè & concinnè texere ſuas interrogationes.* In ca. 2. Luc. verſ. 46.

DOCT. Ergo manifestè impius est in Christum, postea scribens, eum iam virum factum toties ineptè & inconcinnè de Sanctissimo Euangelio disseruisse: quasi superiorem concinnitatem & proprietatem verborum omnino fuisset oblitus, sicque aptior ad dicendum puerulus, quàm vir perfectus.

8. MINIST. Mihi quoque in mentem occurrit de eloquentia & facundia Dominica præclarum istud Dauidis vaticinium. Ait enim de eo, *Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis, &c.* Vbi nostra Geneuensis glossa tradit, *Christi regnum hoc Psalmo pro certo describi, ipsumque Regem omni lepore dicendi ornatum fore prædici.* Quin etiam Lutherus in hunc locum scribit: *Labia quidem Mosis fuisse profunda, infacunda, impedita, irata: Christi verò plena gratiæ, & verbum eius suaue, plenum consolatione & fiducia. Sensumque huius Dauidici versus hunc esse: Noster rex habet sapientiam, quam nullus hominum habet, nempe sapientiam dulcissimam & suauissimam, quia fouet contritos, consolatur afflictos, reuocat desperatos, erigit lapsos & humiliatos, iustificat peccatores, viuificat morientes, & quicquid præterea est quod verbum salutis efficit, hoc facit copiosè. Est igitur suauis & iucunda sapientia, digna tanto præconio. Hinc in Isaia dicit, Deus dedit mihi linguam doctam, Dominus dedit mihi linguam disertam, &c.* Huic etiam addere liceat Iacobum Andream, his verbis Christi Omniscientiam aduersus putidas Bezæ inficiationes vindicantem: *Nos Christo homini Omniscientiam realiter communicatam asserimus: Cuicunque enim datus est Spiritus sine mensura, huic Omniscientia data est. Sed Christo homini datus est Spiritus non ad mensuram. Ergo data est illi etiam Omniscientia. Probatio minoris, Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu eius.* Ad hoc argumentum, Bezanorum vidisses mutum forum, elinguem curiã. Ergo ter quaterque miseri, qui Christo homini tantam inscitiam, tamque impura labia confingunt, vt nec propriè loqui potuerit.

*Psal. 44.*

*Lutherus in Psalm. 44.*

*Isaiæ 15.*

*Colloq. Mompelg. pa. 301.*

*Ioan. 3.*

## DE DIVINA RVRSVM CHRISTI *sapientia & doctrina in disseminanda & confirmanda sacrosancti Euangelij sui doctrina: aduersus septem Hugnosticorum errores, ordine 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106.*

### DOCTOR.

NEque reformidant Authores vestri etiam plurimis modis suspectam reddere vniuersam doctrinam Euangelicam, quasi probabilibus tantùm coniecturis, durioribus metaphoris, & minus propriè quadrantibus similitudinibus duntaxat innixa esset; non autem satis solidè per Christum eius Authorem confirmata. MINIST. Non solùm commoueor animo tantam impietatem audiens, sed etiam toto corpore perhorresco: & ni te veridicum hominem in cunctis hactenus probassem, isthæc nunquam eos sensisse mihi persuaderem. Itaq; singula accusationum istarũ capita ordine recense. DOCT. Clarissimam in primis Domini nostri ratiocinationem istam, Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & cæt. huiusmodi notat Caluinus censura: *Memoria tenendum est, vulgò receptis prouerbijs ita vsum esse Christum, vt tantùm essent probabiles coniecturæ, non autem solidè probarent.* *In cap. 12. Matt. v. 25. & Luc. ver. 17. ca. 11.*

Iactis huiusmodi impietatum suarum principijs, alibi sæpe verba Domini audacissimè reprehendit, pronuncians responsa eius ad interrogationes sibi factas, non fuisse satis idoneas. MINIS. Est ne possibile eum tam nefaria protulisse verba? DOCT. Ita mihi crede, idq; sub finem primi capitis D Ioannis, scribendo: *Cæterùm, Christi responsio (ad Nathanaëlem) videtur parum apposita.* Et in hæc Christi ad Nicodemum verba, Amen, Amen dico tibi, Nisi quis renatus fuerit, &c. eundem Christum hac notat censura: *Longè petitus, & prope intempestiuus videtur hic sermo.* MINIS. Hominibus quorum oculos excæcauit malitia, videntur parum apposita & intempestiua Christi verba, pijs autem ac credentibus conuenientissima sunt. *In 1. c. Ioan. vers. 48.*

DOCT. Proficiens in peius hæresiarcha, scribit rursum, Christum docendo vsum esse durioribus metaphoris, & similibus æquò longius petitis. Huius verba sunt. *Paulò quidem durior est metaphora, dum salem nominat quicquid salsum est.* Et idem alibi: *Dura, & longè petita videtur similitudo.* Et rursum postea: *Similitudo cribrandi non omni ex parte quadrat.* MINIST. Vt video, Momus iste nihil non carpit, sed omnia Christi dicta factaque intolerabili arrogantia reprehendit.

*In c. 9. Mar. vers. 49.*

*In ca. 16. & in c. 22. Luc.*

DOCT. Responsionibus etiam eiusdem Christi obtrectans, de hac ad Pharisæorum interrogata, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo, in hunc modum censet: *Videtur quidem non quadrare partitio, quia propriè loquendo, dum officio defungimur erga homines, obsequium hoc Deo impendimus.* Ex quibus apud Hugnosticos sequitur, & Christū non fuisse propriè locutum, nec appositè suis hostibus respondisse.

*In c. 22. Mat. vers. 21.*

Quinetiam conclusiones ex multis antecedentibus per Christum sapientissimè & conuenientissimè illatas reprehendens, de ista, Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis, ait rigidus iste Cato: *Superuacua est illatio, quemadmodum sæpe in concisis sententijs particulæ istæ abundant.*

*In c. 7. Matt. ver. 23.*

Nec eiusdem Aristarchi iudicio, satis firmiter diluebat, quæ sibi obijciebantur ab hostibus doctrinæ suæ. Scribit enim in hanc Christi responsionem, Omne regnum in se diuisum desolabitur, & cæt. *Calumniam sibi obiectam primùm refutat prouerbiali sententia: videtur tamen parum solida esse refutatio.*

*In c. 12. Mat. vers. 25.*

Denique, cùm Christus fortissima & inuictissima ratione probat se peccata ex animis remittere, eò quòd à corporibus humanis quosuis morbos etiam lethales, & natura incurabiles sola voluntatis iussione depelleret, dicens Pharisæis, *Vt sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, d. Paralytico, Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam,* magnus vester Apollo tale reddit oraculum: *videtur parum solidè ratiocinari Christus, & cæt.* MINIST. Sibi ergo suisque similibus, qui oculos mentis ac verum fidei Catholicę lumen

*In c. 9. Mat. vers. 5.*

lumen iamdudum amiserunt, istud videtur: non autem paruulis ac humilibus, quibus mysteria regni Filij sui Pater cælestis reuelauit. Sed præstat nunc has impietates refellere.

DOCT. Istud nunc efficiam tam generatim quàm sigillatim: & primùm per absurda, & turpia incõmoda, quæ ex his consequentur. Etenim conuellunt imprimis & labefactant præcipua Christianæ religionis fundamenta; quoniam nisi doctrina Christi firmissimis nitatur argumentis, non autem probabilibus coniecturis; si responsa eius non sunt apposita, similia dura & nimis longè petita: parum solidæ obiectorum refutationes: si denique inanes sunt eius consequutiones, ac infirmæ ratiocinationes, vt blasphemat Caluinus, nemo tam cõstanter volet credere, vt in defendenda religione ista sanguinem, & vitã alacriter profundat: nemo audebit cum omni fiducia salutem & remissionem peccatorum ab eo expectare: nemo curabit eundem toto corde amare, timere, inuocare, & tota mente sua venerari. Confutatio 1.

Rursum, si probabilibus tantùm cõiecturis, & non firmissimis probationibus doctrinam suam Christus asseruit, contendent Philosophi dogmata sua præ illa amplexanda & tenenda esse, quoniam hæc euidentissimis syllogismis & demonstrationibus confirmauerunt: sicque abrogato Euangelio, Socratis, Platonis, Aristotelis, & aliorum placita in Ecclesijs Christianis pro vera, indubitata, & salubri sapientia prædicanda & inculcanda erunt: quod planè est Christum abnegare. 2.

Si responsa eius non fuerunt accommoda, si duræ metaphoræ, & superfluæ consequentiæ, vniuersi Epicurei, Libertini, Athei se vicisse gloriabuntur, & de cuncta religione Christiana triumphabũt, existimantes se optimo iure talem doctrinam irridere & aspernari, quæ imbecillis, incertis, & inanibus fundamentis innitatur. 3.

Si non satis solidè Euangelij aduersarios refutauit, succlamabunt Iudæi, iure se eundem nec audiuisse, nec admisisse vt verum Messiam, mundique Saluatorem: 4.

rem: quòd lex Moſis firmioribus teſtimonijs & aſſertionibus eſſet data, recepta, atque confirmata.

5. Vociferabunt Simoniani, Ebionitæ, Gnoſtici, Marcionitæ, Sabelliani, Manichæi, Arriani, & veteres omnes hæretici, ſibi magnam factam iniuriam ab his, qui anathematibus & cenſuris eos perdiderunt, ob immutata quædam in doctrina Euangelica, quæ probabilioribus coniecturis certiora ſibi viderentur.

6. Bellum in Chriſtum redintegrabunt Iulianus, Porphyrius, Lucianus, Peregrinus, Apuleius, Eunapius, alijque veteres apoſtatæ, iactantes ſe à religione Chriſtiana meritò defeciſſe, eò quòd infirmis ratiocinationibus, duris metaphoris, & probabilibus tantùm coniecturis eſſet innixa.

7. Denique, huiuſmodi per mundum diſperſa ſemel & recepta doctrina Caluinica, de tam infirmis caducisque religionis noſtræ fundamentis, omnis protinus ceſſabit in Chriſtum pietas, omnis fides, omnis ſpes, & charitas euaneſcet, omnis interibit vermis conſcientiæ, omnis tolletur horror gehennæ; nullus remanebit Dei metus, nulla Sacramenta curæ erunt, nulla peccatorum remiſſio, nulla demum ſalus hominum in pretio habebitur. Contra verò, omnium virtutū contemptus inualeſcet, omnis humanitas exulabit, omnis barbaries orietur, omnis immunditia vigebit, omnis denique Libertiniſmus & Atheiſmus ſtatim irrepet in mentes & ſenſus hominum. MIN. Hæc omnia profectò longè certiora & veriora eſſe manifeſtāt corruptiſſimi hominum mores, quos pij omnes deflent: quare à Caluiniſmo vt à præſentiſſima peſte omnibus recedendum eſt. Sed vniuerſam perſequere impietatum iſtarum refutationem, idque ex ſacris Prophetarum & Apoſtolorum oraculis.

8. DOCT. Cùm paulò ſupra ex eis oſtenderim Dominum noſtrum nihil prorſus ignoraſſe, nihil impriè dixiſſe, imò cum omni Diuina virtute & authoritate conciones ſuas Euangelicas habuiſſe; ſatis iam mihi effeciſſe videor, Reſponſa eius fuiſſe conuenientiſſima, ſimilitudines & metaphoras aptiſſimas, & partitiones maximè conſentaneas. Etenim ſi etiā inimici

*Matth.7. Luc.2.4.10.*

ciue

eius demirati sunt eloquentiam, graui contumelia afficit eum Caluinus, cùm minus aptè & propriè locutũ comminiscitur. Si beatis Apostolis, Discipulis & Patribus tantam in dicendo venustatem, tantam in scribendo dignitatem, tantamque in cõcionando vim spiritu suo largitus est, vt inuitis omnibus & mũdi huius sapientibus, & tyrannis, & persecutoribus, Euangelium fidemque Catholicam sparserint, cõfirmauerint, innumeris hominibus persuaserint: an non multomagis ipse horum magister & Dominus doctrinam promulgauit omnibus modis absolutã & perfectam? *Matth.10. Luc.10. Act.1.2. &c.*

Si iuxta Dauidis oraculum, *Eloquia eius fuerũt eloquia casta, & velut argentum igne examinatum, & terra purgatum septies*: Hugnosticus certè non parua caret culpa, quando eum criminatur vt ineptum, barbarum, impolitum, rudem, & incongruum. 9. *Psal.11. 17.*

Præterea, cùm eiusdem Domini nostri humana natura cunctis Spiritus sancti donis & gratijs præditus fuerit ab initio, vt ex Dauide, Isaia, Pauloque confirmauimus, procul dubio doctrinę suę probationes protulit solidissimas, consequutiones collegit manifestissimas, & aduersariorum confutationes efficacissimas: alioqui enim si qua esset in his culpa, in ipsum Spiritũ sanctum redundaret. 10. *Psal.44. Isa.11.*

Nónne etiam ab omni fide & ratione procul recedit, qui iudicat eum impropriè ac ineptè locutum, qui in se omnes thesauros sapientiæ & scientiæ reconditos habebat? Maximam rursum inferre ei iniuriã, in quo secundum Apostolum, *Patri complacuit omnem plenitudinem Diuinitatis inhabitare*, quòd doctrinam suam nec proprijs loquendi formulis annunciare, nec partitionibus concinnis proponere, nec rectè concludere, nec solidè probare; sed neque hostium impetum sustinere aut satis constanter repellere potuerit? Eum qui deuicit, atque in triumphum egit peccatum, mortem, inferos, cacodæmones vniuersos, non potuisse disputando perexiguam ignorantium Pharisæorum & Scribarum turbam superare? 11. *Coloss.1. & 2.*

Certè, cùm ipse Mosem vincendi magos fecerit potentem; Heliam supra quadringentos simul Baalistas 12. *Exod.4.*

regia

3. Reg. 18. Act. 7. regia Iezabelis authoritate munitos, virtute dicendi & agendi extulerit; Stephano prothomartyri suo contulerit, vt multarum synagogarum præfectos & scholasticos piscibus magis mutos redderet; Petro, vt Simonem omnibus artibus instructū è sublimi deturbaret; Epiphan. Linus. Act 13. Paulo vt Elymam magū obcæcaret; insuper plurimos pseudoprophetas & pseudoapostolos aduersus dogmata sua insurgentes confunderet; eum inquā, qui tot tantaq; per orbem per suos discipulos magnificentissimè dixit, fecit, cōfirmauit, dicere nunc nec propriè loqui, nec rectè concludere, nec aptè ratiocinari, nec grammaticæ regulis vti, nec solide sua probare, nec obiectiones sibi factas sufficienter dissoluere, extremæ est impietatis atque blasphemiæ.

13. Ad hæc, cùm ipse duodecim piscatorum turbam, totius huius mundi sapientum, oratorum, poëtarum, victores effecerit; ijsdemq; cunctis gētibus res creditu difficillimas, vt quod Deus homo, virgo mater, Deus trinus & vnus esset, persuadere concesserit; insuper, in orbe hactenus receptam & vulgatam sapientiam, non nisi inanem stultitiam; deos tot seculis cultos, impurissimos dæmones esse demonstrare atque euincere fecerit: omni certè fide & constantia credēdum est, multo magis eūdem ipsum tanto præstitisse eloquio & sermone; vt parem nunquam vel habuerit, vel vnquam sit habiturus.

14. Mar. 6 Matth. 14. Insuper, idem solo verbo decumanos maris fluctus tranquillauit, Petrum discipulum pedibus illud secum calcare iussit; cæcis visum, surdis auditum, mutis sermonem, amentibus rationis vsum, leprosis munditiem, mortuis vitam præsentem restituit, dæmones abegit, peccata dimisit, & innumera alia miracula, videntibus Apostolis & turbis patrauit. Quanto igitur melius existimare debemus, eundem gloriæ ac numinis sui hostes eodem omnipotenti verbo omnibus modis & locis superasse? Nec est verisimile illum, qui *Discipulis suis sensum aperuit vt intelligerent scripturas*, quique antiquos Prophetas edocuit; tam tardi vel obtusi fuisse ingenij, vtnec rectè sermones suos partiri, nec proprijs loquendi formis efferre, nec denique obiectiones Luc. 24.

ctiones sibi oppositas solidè refellere potuerit.

MIN. Sine me quæso, vnico Dilemmate ex superioribus confecto, totam hanc impietatum Caluinicarum molem subuertere atque confundere. Si Dominus IESVS aptè non respondebat, non loquebatur, non probabat, non refellebat, non patiebatur, non colligebat, neque similitudines assumebat, hoc contigit, vel quia non poterat, vel quia cùm posset nolebat. Si Hugnostici responderint, hoc factum esse, quia non potuit; impiè & scelestè in eius infinitam sapientiam, potestatem, & diuinitatem, quæ cum omni plenitudine in eius humanitate habitabat, erunt contumelioſi & blasphemi. Sin eum potuisse quidem, sed noluisse responderint, summam eius bonitatem, beneuolentiam, gratiam, charitatem, & misericordiã, quibus vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, summis ac intolerandis afficient iniurijs. Sequeretur enim eum data opera noluisse Euãgelicam doctrinam suam, qua tota hominum fides salusq; innititur, solidè probare, eidemque obiecta aptè refellere, vt omnem relinqueret de eius veritate dubitandi occasionem; & apostatis, perfidis, hæreticis, ac cunctis infidelibus aduersus eam insurgendi materiã: quæ omnia execrandæ sunt in Deum & Christum eius cõtumeliæ. Quocunque igitur se referant, qui in verba Caluini iurarunt, aperti ac infesti diuinæ gloriæ hostes comperientur & apparebunt. 15. 1. Tim. 2.

DOCT. Hæc Catholica doctrina multo magis corroborabitur, & cõtrariæ refellentur hæreses, si animis propius attenderimus ad ea, quę de maiestate ac efficacia verbi sui Dominus reuelauit. Ait namque ad Ieremiam: *Ecce ego dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te super gentes & regna, vt euellas & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes.* Et paulò post: *Ego dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram, &c.* Quibus modis aut medijs, quàm virtute diuini verbi? Quod & postea confirmat his ad eundem Prophetam sermonibus: *Nónne verba mea sunt velut ignis, & tanquam malleus conterens petras?* MIN. Caluinus ergo maxima laborat in- 16. Ierem. 1. Ierem. 23.

sania,

sania, qui suas calumnias his obijcit ardoribus, & caput reprehensionum suarum, vt incudem huic malleo supponit.

17. DOCT. Et per Isaiam de sermonis atque oris sui virtute rex Messias ait: *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Et posuit os meum quasi gladium acutum: & posuit me quasi sagittam electam.* Et postea. *Quomodo descendit imber & nix de cælo, & inebriat terram, & infundit eam, & eam germinare facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo. Non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in ijs ad quæ misi illud.* Quod & Dauid abunde comprobat scribens: *Sagittæ tuæ acutæ in corda inimicorum Regis.* Et ad instar inflatæ tubæ Paulus personat: *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.*

Isa.49.

Isa.55.

Psal.44.

Heb.4.

18. MIN. Hominum profectò istorum audaciam simulque impudentiam nunquam desinam mirari. Plenis enim buccis suas vbique efflantes glorias, iactant se Euangelium per Europæ plurimas prouincis restituisse, & suis libellis ac concionibus repurgasse Ecclesiam, legitimam Sacramentorum administrationem reparasse, & solo verbo cunctos aduersarios suos profligasse, tam dextrè sciteque verbum Dei, scilicet, tractando: interim verò adlatrant, Christum nimis frigidè sua confirmasse proposita, duriores quàm decebat metaphoras vsurpasse, superuacaneas cōclusiones eduxisse, aliasque eidem inurunt maculas antea commemoratas. Quid autem ex his consequitur, quàm quod supra Dominum sese extollunt, & præcursores sese exhibent illius Filij perditionis, qui seipsum efferet super id omne quod dicitur Deus? Ad alia pergamus.

2.Thess.2.

DI

## DE CASTISSIMIS AC INTEGERrimis moribus Christi IESV, deq; sanctiſſima & honeſtiſſima illius fama: aduerſus 22. Hugnoſticorum errorem, ordine autem 107.

DOCTOR.

FIrmiſſimis ergo ſummam Chriſti Domini noſtri innocentiam, præclaramque famam argumentis tueamur; euincentes nihil vnquam aut in verbis, aut in cogitationibus, aut in operibus, aut denique corpore, corde, ac animo eius deprehenſum eſſe, niſi purum, niſi caſtum, niſi pudens, niſi pudicum. MIN. Quid? Num eò vſque impudentię peruenerunt, vt alicuius turpitudinis, aut ſiniſtræ opinionis notam ſanctiſſimæ & caſtiſſimæ conuerſationi eius inurerēt? DOCT. Beza cuiuſdam turpis flagitij Sanctum ſanctorū in ſimulans, ac ſuo impudiciſſimo pede metiens, ſcribit, *mulieris in adulterio deprehenſæ hiſtoriā ſibi ſuſpectæ fidei ac veritatis eſſe, quòd Chriſtus dicatur ſolus cū ſola fœmina remanſiſſe.* Videlicet, quaſi nemo vnquam vel corpore, vel ſaltem animo caſtus, ſolus etiam in ſanctiſſimo templo, cū ſola muliere loqui valeret. Caluinus quoque turpia, obſcœna, & horrenda contra illius ſummam caſtimoniam & illibatam famam alicubi protulit verba: quæ cùm recito, toto pectore à te rogo Domine IESV, mihi benignus ignoſcas, & ſi quæ culpa ſit illa tantùm commemoraſſe, impudentiſſimis Caluinianis imputes. Ait ergò hęreſiarcha: *Quod ſi Ieſus Chriſtus affirmatiuè reſpondiſſet*, cùm interrogaretur, An licet viro quadam ex cauſa vxorem relinquere? *Iudæi eum iactabūt potius lenonem, quàm Dei Prophetam, qui ſic virorum libidini indulgeat.* MIN. Oportet ſanè hominem iſtum omnium turpiſſimū & ſordidiſſimum fuiſſe, qui tam indigna & fœda de ſanctiſſimo Redemptore cogitauerit atque ſcripſerit. DOCT. Suſtine adhuc pauliſper, & quemadmodum euici Bezam Caluinumque turpiſſimi & fœdiſſimi miniſterij ſuſpitione Chriſtū infamare, ſic & totam Hugnoſticam turbam eiſdem ſordi-

*Annot. in cap. 8. Ioan.*

*In c. 19. Matth. verſ. 3.*

sordibus eundem commaculare velle commõstrabo. Quæso enim à te, vt cunctorum Sectæ secretorum & arcanorum conscio, cùm de Christi Domini corpore disserunt, an non illud per omnia nostris par & simile esse contendunt? MIN. Vnicum duntaxat excipiunt peccatum, nihil aliud. Ad hocque confirmandum assumunt quod de eo scriptum est, *Debuit per omnia fratribus assimilari. Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. Pro nobis peccatum fecit.* DOCT. Ergo in huius etiam carne ac humana substantia eum fomitem fuisse dicunt, qui cæteris Adæ filijs tantas libidinis faces, tantos luxurię pruritus, tot fœdas concupiscentias, totque turpes motus subministrat: quod est purissimæ & sanctissimæ illius castimoniæ plurimum detrahere.

*Heb.2.& 4.* *1.Cor.5.*

*Aug. libr. 6. cont. Iul. Pelag. c.5.* *Li.1.de nupt. & conc. cap. 23. & serm. 6. de verb. Apost.*

Docent enim antiquissimi Theologi hunc fomitem, ac carni nostrę congenitam concupiscentiam, in renatis propriè peccatum non esse, quando illi nõ assentitur libera hominis voluntas. MIN. Certè perspicuum est, Caluinum & gregales, hanc quoque membrorum legem, seu carnis concupiscentiam aduersus spiritum pugnantem, (vt vocat Paulus) etiam à Filio Dei cùm carne nostra coassumptã affirmare, cùm nihil demant, quàm peccatum: sicque Hugnosticos non vno modo Christi castissimis moribus, & illibatæ famæ detrahere.

Cõfutatio. 1.

Huic autem sententiæ tantùm abest vt subscribam, vt potius eam existimem omnium grauissimam esse aduersus sanctissimum Redemptorem mundi contumeliam: imò & longè atrociorem ea, quàm conspuentes in faciem eius, ac colaphis cædentes Iudæi, in eundem admiserunt. Nam vt boni & innocentis hominis fama res est omnium augustissima & carissima; sic ecõtrario tetris, & nefarijs impudicitiæ suspitionibus traduci, odiosissimum atque molestissimum. Nec dubito Hugnosticos istiusmodi opprobrijs sanctissimam innocentiam Domini IESV lacerantes & vexantes, grauius in eum peccare, quàm Iudas, cùm tradidit; quàm Malchus, cùm alapa maxillam eius percussit; quàm Herodes, cùm irrisit; quàm Pilatus, cùm morti adiudicauit; & quàm miles, cùm cruci eundem affixit. Etenim

*Matth. 26. Luc. 22. Marc. 14.* *Ioan. 18. Luc. 23. Ioan. 19.*

quicquid

pugnantia, Deum Patrem reipsa Filium morti subiecisse: & nihilominus ei succurrendi potestatem sibi retinuisse, ac si opus possibilitati repugnaret: aut si Deus aliquod opus exercendo, sua se exueret potestate illud ipsum vel aliter faciendi, vel omninò non faciendi. Hæresiarchæ sententia est: *Hæc inter se pugnant, quod Deus Filium suum morti exposuerit, & tamen admittendas ei suppetias precibus flecti potuerit.* In cap. 26. Matth. v. 53.

Tertia hæresis est in eo, quod multis modis reprehensibilem & damnabilem affirmat esse Christi orationẽ, scribens: *Abruptum fuisse votum fateor. Votum illud subitò elapsum castigat, & reuocat. Non fuit hæc meditata Christi oratio, sed vis & impetus doloris subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio. Certè in primo voto Christi non apparet illa placida moderatio, quam dixi.* In his perspicis Christi sanctissimas, feruentissimas, & humillimas preces ab hæretico vituperari & coargui, velut non prudenter meditatas, sed abruptas, vi extortas, ac proinde castigandas & reuocandas. Audis Caluini vestri proposita plana, absoluta, & integra; non autem à me depraua ta, truncata, vel amplificata: superest vt de his quæ sentis pronuncies. In cap. 26. Matth. v. 39.

MIN. Diuinas easq; sine numero perfectiones, vniuersa Spiritus sancti dona, quibus abundè plenus fuit, simulq; omnem plenitudinem Diuinitatis in eodem inhabitantem, etiam corporaliter, tanta complector reuerentia, vt me existimarem Satanæ mancipium, & reproborum socium, si tam nequiter & nefariè illam beatissimam & sapientissimam Christi animam blasphemarem. Etenim si rem omnino etiam Deo Patri suo impossibilem sibi cõcedi petebat, graui errore cæcitateq; tenebatur: si Patris decreto penitus aduersam, in eum contumaciter insurgebat: si turbulentum & immodestum fuit eius votum, mentis compos non erat: si violenter extortum, libero non gaudebat arbitrio: si non satis excogitatum, temeraria Christum accusat superbia & præsumptione: denique si idipsum votum fuit castigandum, & reuocandum, ille proprijs actualibusque peccatis non caruit. Ecquis tam atroces iniurias sanctissimo Filio Dei ac Redemptori nostro Confutatio i.

ſtro illatas vel audire vel ferre poſſet patienter?

2. DOCT. Scitè profectò & acutè. Sed pro tua laudabili conſuetudine, proprijs illius ſcriptis has hæreſes refellas etiam atque etiam rogo. MIN. Mihi eſt perfacilè. Scribit enim alicubi: *Poterat nos Deus verbo, aut nutu redimere, &c.* Ex quo primam ſecundamque hæreſim ſuam euertit: oſtenditque Chriſtum rem non impoſſibilem à Patre ſibi concedi petijſſe, aut eius abſolutæ voluntati repugnantem: ſed è contrario potius facilem atque diuinæ poteſtati expoſitam, ni ſapientiæ eius aliter viſum fuiſſet.

*In cap. 15. Ioan. v. 13.*

3. DOCT. Reuera, quiſquis affirmauerit Deo Patri impoſſibile fuiſſe Filium ſuum à morte liberare, aut ſine eius cruce mundum ſibi reconciliare, vt hîc facit Caluinus, Chriſtum mundi ſaluatorem & iudicem teterrimi arguit mendacij, vtpote, qui falsò dixerit, *Abba, Pater, omnia tibi ſunt poſſibilia.* Deinde, Petri conatus reprehendens vehementi affirmatione pronunciauerit, *Nonne poſſum rogare Patrem meum, & ipſe exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Cùm itaque ſolo nutu aut verbo Pater nos redimere potuerit, cùm ei omnia ſint poſſibilia, cùm denique vel vnius duntaxat Angeli miniſterio, vel etiam copioſiſſimo exercitu Chriſtus à Iudæorum manibus eripi potuerit; Ianus veſter in Deum Patrem planè blaſphemus eſt, dicens eum non potuiſſe; ſimulque Filio eius Domino noſtro iniurius, inquiens, *rem eum abſolutè impoſſibilem ſibi concedi petijſſe.*

*Marc. 14.*

*Matth. 26.*

4. Præterea, in os contradicit beatiſſimo Apoſtolo conſtanter de Chriſto affirmãti: *In diebus carnis ſuæ, preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poterat illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.* MIN. Non potuiſſet ſanè diuinam melius prædicare potentiam Apoſtolus, nec rei quam poſcebat ſibi Chriſtus facilitatem confirmare, quàm cùm dicit, Patrem non obſtante decreto ſuo, potuiſſe nihilominus eum ſaluum facere a morte: vtpote qui ſuis decretis externis nec omnino ſe ſe alligat, nec infinitæ virtutis ſuæ iure ſeipſum abdicat.

*Hebr. 5.*

5. Et reipſa, dum de his hæreſibus atteatius cogito, ſi-

mul

mul animaduerto eos qui vociferantur, D.o Petri impossibile fuisse Christum tunc à morte liberare, eadem opera illum suæ omnipotentiæ dignitate maiestateq; ebtumelioßissimè exuere; atque sic cum verum Deum esse negare, atque scripturis omnibus se se opponere; vt satis copiosè supra demonstratum & probatum est. Itaque profligatis iam sufficienter duabus prioribus hæresibus, aduersus tertiam argumenta nostra conuertamus. *Pagin 89. 90. 91. &c.*

DOCT. Perge porrò vt cœpisti, & hostem propriis telis prius confice. MIN. Et hoc etiam mihi in promptu est: Ait enim, *in Christo non solùm viguisse naturæ integritatem, sed & ipsum fuisse absolutum iustitiæ exemplar.* Et rursum, *eum quidem communem nobiscum habuisse sensum, non autem appetitus incompositos.* Rursumque ait, *Minimis quibusque augmentis facilè concidit in nobis precandi ardor, vel remissus langueſcit: tametsi hoc vitio non laborauit Christus.* Ex his autem tribus Caluini locis sic aduersus eum ratiocinor. Si IESVS Christus non solùm perfectam naturæ integritatem habuit, sed etiam absolutum iustitiæ ac omnis pietatis exemplar atque speculum nobis propositum est, nihil in precibus suis censura dignum, nihil immoderatum, nihil correctione dignum admisit. Si appetitus eius semper fuerunt ad iustam temperationis normam compositi, nihil abruptum, nihil vi extortum, nihil cirò nimis eidem elapsum est. Si nullis vitiis humanis inter orandum laborauit, vota eius fuerunt plane meditata, placida, atque moderata: quod idem alibi impiè negat. 6. *In ca. 6. Luc. vers. 8.* *In c. 4. Mat. vers. 8.* *In cap. 14. Matth. v. 23.*

DOCT. Sunt ne rursum & aliæ eius cõtradictiones? MIN. Omninò plurimæ. Scribit enim iterum: *Christus tristitia & metu sic turbatus fuit, vt tamen aduersus Deum non insurgeret, sed maneret compositus ad veram temperantiæ regulam. Nec enim mirum est, quũ integer esset, purusq; ab omni labe, puros & liquidos ab eo fluxisse affectus, quamuis humanæ infirmitatis testes forent.* DOC. Hi porrò affectus animi, erant eius preces & orationes fusæ ad Patrem, quas verbis postea expressit: igitur cùm purè fuerint ac liquidæ, simulque compositæ ad veram temperãtiæ regulam, neque fuerunt impossibiles, neque decretis 7. *In cap. 26. Matth. v. 37.*

diuinis aduerſę, neq; leues, aut confuſę, aut vi extortæ, aut immoderatæ: ſed è contrario iuſtæ, graues, voluntariæ, & ſapientiſſimè conceptæ atq; pronunciatæ.

8. MIN. Subdit rurſum Ianus noſter: *Tenendum quidem eſt quod nuper dixi, non fuiſſe turbulentos Chriſti affectus, qui more noſtro, eius animo puram moderationẽ excuterent.* Et aliquanto poſt. *Sic autẽ doloris & metus feruore æſtuauit Chriſtus, vt ſe tamen continuerit in ſua menſura.* Ex his autem ſic aduerſus hæreſes Caluinianas colligo. Si affectus Chriſti nor. fuerũt turbulenti, imò puri ac moderati, eiuſdem orationes planè fuerunt liberæ, non vi extortæ: moderatæ, non abruptæ aut imprudenti citius quã decebat elapſæ: ſanctiſſimæ, & iuſtiſſimæ, non caſtigandæ aut reuocandæ.

In cap. 26. Matth. v. 39.

9. Rurſum idem contra ſeipſum ait: *Si paßiones Chriſti cum noſtris conferas, non minus diſtabunt, quàm aqua pura & illimis, tranquilloque tractu fluens, à turbidis lutoſisque ſpumis differt* Et poſtea. *Memoria tenendum eſt humanos affectus puros in Chriſto fuiſſe, & à peccato immunes. Ratio eſt, quia compoſiti erant, & temperati ad Dei obſequium.* DOCT. Cùm affectus Chriſti fuerint puri, liquidi, & inſtar aquæ tranquillo tractu fluentis, certè non fuerunt vi extortæ preces illius, aut abruptæ turbataque vota. Sed neque aliqua cenſura caſtiganda aut corrigenda fuerunt, ſi à peccato immunes extiterunt cogitationes illius. Denique, nihil Deo impoſſibile aut immoderatũ poposcit vnquam, ſi perpetuò compoſitus & temperatus manſit in Dei obſequio, pro vt poſtremo loco aduerſarius fatetur.

In cap. 11. Io. verſ. 33. In cap. 12. Io. verſ. 27.

10. MI. Ecce quæ Caluino volebam opponere, tũ quod tibi videtur in hanc ſententiam proferas. DOC. Cùm ſuperioribus diſputationibus ſatis comprobatum fuerit, Chriſtum hominem, omni ab initio cælitus præditum fuiſſe ſapientiâ & gratia, hinc ſatis efficitur eundem nec orandi modum optimum ignoraſſe, nec eum poſt habuiſſe, quando in conſpectum Patris ſui cæleſtis tam pro ſeipſo quàm pro nobis ſupplex prodijt in hortum oliuarum. Nequaquam ergo coactus, non impos ſui, aut abſq; maturo conſilio, conſonaue modeſtia illuc acceſſit. Cùm rurſus expreſſo Dei verbo

Pa. 317. &c.

docue-

docuerimus, pura, propria, & selecta fuisse in docendo eiusdem verba: pari modo existimandum est orationes eius non fuisse turbulentas, aut cuiuscunque censuræ subiectas: sed sanctissimè proprijssimeque conceptas & fusas.

Præterea, summus totius orbis Doctor & Pastor est, quem Pater districtè audiri præcepit. Is autem nō modò perfectum orandi modum in seipso expressit, cùm & priuatim in montibus, & publicè in templo, & cœtibus hominū cum aliquot pijs ritibus ac ceremonijs orauit; verùm & numeris omnibus absolutam oratio nis formulam vniuersis electis & Christianis suis tradidit, dicens, cùm oratis dicite, Pater noster, &c. Neq; est ergo verum, nec verisimile, hunc non tenuisse perfectissimum orandi modum, cùm tam seriò Patri se se oraturus obtulit. 11. *Matth. 3. & 17. Lucæ 3. Ioan. 17. Matth. 6. Lucæ 11.*

Insuper, summus ac præstantissimus Mediator est Dei & hominum homo Christus Iesus, qui suis passionibus & doloribus contractas à nobis pœnas pro peccatis dissoluit, quique suis precibus ac meritis Patrem cælestem nobis fauentem propitiumq; reddidit, ac etiam nunc vultui diuino assistit, iugiter interpellās pro nobis. Omnes denique omnium sanctorum seu cælestium seu terrestrium preces non nisi propter eū, & per eum corā Deo acceptæ possunt esse & gratæ. Igitur impossibile est vota eiusdem fuisse abrupta, inconsiderata, extorta, vel ab alio moderatiore & prudentiore castiganda. Scilicet, opus est illi quodam impurissimo Caluino aut Beza precum suarum correctore: aut vt apud Patrem de erroribus in votis suis excusetur, mediatore. 12. *1. Tim. 2. Rom. 8. Heb. 7. 9. 10. 1. Ioan. 2. Ioan. 16. Matth. 18.*

His addendum quod per Prophetam pollicetur, *Effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem Spiritum gratiæ & precum:* ostendens veram & legitimā orationem præcellens donum Dei esse, vt & Dauid palam confitetur, exclamans, *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me.* Quod autem membris benignè donatur, capiti denegatum esse quis sanus existimabit? Itaque si vota beatorum Angelorum, si preces Patriarcharum, Prophetarum, Apo- 13. *Zach. 12. Psalm. 65.*

ſtolorum, Martyrum, Virginum, & quorumcunque Sanctorum fuerint vnquam iuſtæ, meditatæ, & gratæ coram Deo, aſcenderuntque vt fumus aromatum in odorem ſuauitatis: multo magis preces Chriſti ſummi Eccleſiæ ſuæ paſtoris, & doctoris puræ & inculpatæ credendæ & prædicandæ ſunt.

14. Docet item ſcriptura, Eliæ preces tam valuiſſe apud
3. Reg. 17. Deum, vt his cælos clauſerit annis tribus & menſi-
Iacob. 5. bus ſex, deinde eoſdem mirabiliter aperuerit. Tobiæ
Tob. 12. ſenioris orationes ſanctiſſimus Raphael Angelus ob-
Actor. 10. tulit Domino: Cornelij Centurionis deprecationes vnà cum eleemoſynis aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Beatiſſimi demum Angeli in cœlis ora-
Apoc. 8. tiones ſanctorum tanquam ſuauiſſimos odores offerunt ante altare aureum, quod eſt ante oculos Domini. Quis ergo fidem adhibebit temerario atque maledicentiſſimo huic hæretico, ſanctiſſimas Sancti ſanctorum IESV CHRISTI preces, quaſi inconſideratas & immeditatas vituperanti?

15. Scribit quidem Paul. *Quid oremus ſicut oportet, neſcimus:*
Rom. 8. *ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitib. inenarrabilib.* Sed hoc vitiũ ex corrupta deprauataq; cordium noſtrorũ natura procedit, cuiuſmodi Chriſtus ſubiectus nõ fuit.
Galat. 4. Nihilominus Deus noſtri miſertus, *mittit Spiritũ ſuum in corda noſtra clamantem Abba Pater. Spiritus* inquam, *qui adiuuat infirmitatem noſtram*, noſque fundere preces ſuadet, efficitque vt precemur cum gemitibus; ſanctos precandi ardores, vehementioreſq; affectus piè orantibus infundendo, vt huiuſmodi etiam cælos penetrare, & Deo gratiſſimas eſſe dicantur: Dominus verò noſter tantarum gratiarum author & largitor, his interpretandum caruiſſet? MIN. Nemo vnquam vir bonus id exiſtimabit: quare nefarias opiniones iſtas tanquam ſatis damnatas & labefactatas relinquamus, & perſequamur cæteras.

CHRI-

## CHRISTO *nunquam memoria excidisse, missum se esse Saluatorem mundi: aduersus sextam hæresim, & ordine 124.*

DOCTOR.

NEC Christi beatissimam tenacissimamque Memoriam illæsam præterire voluit nouus Geneuensis vester Apostolus, quando persuadere nititur, Christum sic aliquando confusum, & mente perturbatum fuisse, vt in altissimam præcipui muneris sui ceciderit obliuionem, nec se amplius recordaretur humani generis esse Redemptorem. Ecce propria illius verba: *Eadem vehementia præsentem cælestis decreti memoriam illi abstulit, vt non reputaret in ipso momento se hac lege missum esse humani generis Redemptorem: sicut grauis anxietas sæpè caliginem oculis obducit, ne simul in mentem veniant omnia.* Censes ne Christiani, ne dicam Euangelici ministri, hominis hæc esse verba? *In cap. 26. Matt. v. 39.*

MIN. Imò potius Iudæi, Turcæ, Tartari, vel cuiusdam insignis apostatæ, ac verè Antichristi. Quin etiam certò scio Maometanos in suis Mesquitis, aut Alcorano, huiusmodi aduersus Christum nunquam effutire iniurias: quæ potius Magistratus ciuilis authoritate coercendæ sunt, quàm Theologorum argumentis refellendæ. Etenim tam nefaria atroxque videtur mihi hæc aduersus Christum blasphemia, vt sola eius commemoratio, ad illius confutationem sufficiat, iuxta quod veteres dixerunt, Hæreses denudasse, confutasse est. Confutatio 1.

DOCT. Rectè id quidem: veruntamen non erit inutile quibusdam argumentis ostendere superiorum verborum maximam esse impietatem. MIN. Nolim ego alijs quam verbis ipsiusmet authoris idipsum efficere. Scribit enim de eius ad mulieres lamentantes adhortatione: *Sic loqui non poterat, nisi constanter & intrepidè ad mortem pergeret.* Quæ verò constantia, quæ animi fortitudo ac securitas, si præ metu & consternatione, cælestis decreti excussa est ei memoria? Et rursum idem ait. *Christus licet manu Dei percussus, speciem hominis ferè deplorati præbuerit: quia tamen non desitit esse mundi seruator, cælesti potentia semper fuit præditus ad munus suum implen-* 2. *In cap. 23. Luc. v. 28. In cap. 23. Luc. v. 43.*

*dum. &c. Porrò fieri nō potest vt eorum obliuiscatur, qui suam ei salutem commendant.* Non destitit (inquit) esse mundi seruator: ergo in magno tetroque errore versatus fuisset, si aliquo momento non reputasset se Redemptorem esse mundi. Et si semper præditus fuit cælesti potentia ad hoc munus suum implendum, huius certè adimpletionis initio non est tam turpiter memoria lapsus, vt alibi Caluinus comminiscitur. Postremò, fieri non potuit quin eorum, quorum salutem cōmendatam acceperat aliquandiu oblitus sit, quod Caluinus negat: si aliquo momento diuini decreti memoriam perdidit, vt idem affirmat.

3. Præterea, non ita pridem audisti eundem Caluinum
Pag. 414. etc. prædicantem, *in Christo viguisse naturæ tantam integritatem, vt fuerit absolutum iustitiæ exemplar; nec habuerit appetitus incompositos, sed econtrario semper manserit compositus ad veram temperantiæ regulā; puros & liquidos continuò fuisse illius affectus; nunquam excussam ab eius animo puram moderationē, &c.* Ex quibus manifestè cōsequitur, nullum in eo tantum fuisse dolorem, nullam animi ægritudinem, quæ cum à proprio sensu, & officij sui præsentissima certissimaq; memoria potuerit deturbare: sicque nusquam oblitum esse se vnicum ac idoneum esse hominum saluatorem. Atque hæc mea his de rebus sententia: tu quid volueris edicito.

4. DOCT. Metus ac ægritudines, qui eum in horto
Matth. 26. Oliuarū excepere, simplicia fuerunt sequuturę pas-
Marc. 14. sionis eius præludia, & quasi futuri grauioris certami-
Luc. 22. nis velitationes. Ergo si quæ postea longè acerbiora & duriora pertulit, nimirū flagra, alapas, dorsi dissectiones, totius corporis cruenta vulnera, pedū & manuum confossiones, mortem deniq; crudelissimam & ignominiosissimam; si hæc inquam, tam acerbi, duri, diuturniq; corporis & animi cruciatus, ab eius memoria non excusserunt, quòd totius mūdi esset saluator; profecto multominus id efficere potuerunt superius commemorata in horto passionis primordia. MIN. Equidem certè, in maximis ac nouissimis angustijs suos ac electos omnes animo complectens, & Redemptoris
Matth. 27. officio defungens, suis condonans inimicis pro salute

eorum

eorum Patrem exorabat, latroni pœnitenti paradisum pollicebatur, dolentem matrem consolabatur, dilecti discipuli curam habebat, prædicabat totius priscæ legis & prophetiarum consummationem. DOC. Quomodo igitur initio conflictus omnem perdidisset memoriam, animum, & constantiam, cùm in furenti ac duriore certaminis periculo tã magnanimus bellator permanserit, ac tandẽ glorioſus triũphator emerserit? *Luc.23.* *Ioan.13.*

Ad hæc, cùm ter horrendi ac terribiles mortis impetus in eum propius inuaderent, probè in mente habuit nondum adimpletam esse hanc prophetiam. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Ergo vt adimpleretur, ait, *Sitio*, & cùm de porrecto sibi gustasset noluit abundantius bibere. Non est igitur verisimile, eundem adhuc liberum & incolumẽ, tam fedè lapsum esse præcipui instituti ac muneris sui memoria, vt Caluinus confingit; qui tam acerbis doloribus vndique confectus, veterum prophetiarum tenacissimam & constantissimam retinuit. 5. *Psalm.68.* *Ioan.19.*

Quomodo etiam præsens decreti diuini de passione sua recordatio tum illi excidisset, cùm ad hortũ vbi capiendum se nouerat, volens & prudens exibat; Apostolos vt orationibus instarent monebat, eosdem cruentis Iudæorum manibus eximebat, obuiam hostib. intrepidus pergens, IESVM se Nazarenum esse quærentibus denunciabat, diuulsam sanabat Malchi auriculam, grauissimisq; concionibus nunc impetum Petri cohibebat, mox Iudæ increpabat perfidiam, cohortes armatas solo prosternebat alloquio, cunctos denique de salute sua monebat? 6. *Ioan.18.* *Matth.26.* *Marc.14.*

Denique, si aliquando existimasset, se non esse missum humani generis Redemptorem, à veritate omninò alienã, & verbo Dei expresso contrariã in animum induxisset sententiã. Qui aũt in huiusmodi errore versantur, ac veritati diuinæ non toti acquiescunt, sunt filij diaboli omnis erroris & mendacij parentis. Ex quo tam horrenda & diabolica aduersus Christi seruatoris & iudicis mundi consequuntur, vt ea nec referre audeam. MIN. Eadem quoque abhorreo: quare alia perpendamus. 7. *Ioan.8.*

## *CHRISTVM nunquam detrectasse sanctissimum humanæ redemptionis opus ac mysterium perficere: aduersus 7. hæresim, numero autem 125.*

DOCTOR.

SAnctissimam Christi Domini nostri Intentionem seu Affectum etiam probris & calumnijs suis vester Caluinus adoritur, arguens cũ, quòd quantum in se fuit, Redemptoris mundi munere fungi recusauerit; adeò vt per illum non steterit, quo minus tam necessarium sacrumq; mysterium remanserit imperfectum. Ait enim de sanctissimo Domino nostro: *Mediatoris officio defungi quantum in se est, renuit atq; detrectat.* Ad mediatoris autem officium capi, ligari, illudi, crucifigi, mori, hisque medijs totius mundi peccata expiare, Patremque cælestem nobis propitium reddere omninò spectabat: quæ vniuersa opere complere Christum renuisse atque detrectasse audis Geneuanum reformatorem superioribus verbis prædicantem.

*In cap. 26. Matth v. 39.*

Confutatio 1.

MINIST. Sequeretur ergo illum inuitum ac repugnantem ad crucem, passionem, mortemq; pertractum fuisse: ac proinde pro peccatis nostris nec satisfecisse Deo, nec eadem satis expiasse: Nam alibi ruetur Caluinus, *quod ideo mors Christi piaculum fuit pro peccatis nostris, quia voluntarium fuit sacrificium, iuxta illud Pauli, Obedientia vnius, iusti facti sunt multi. Atque ideo eundem Dominum de anima & vita sua dixisse, Pono eam à meipso, quòd suo arbitrio mortuus sit.*

*In cap. 10. Ioan. v. 18. Rom 5. Ioan. 10.*

2. DOCT. Etiam si illud ipsum non confiteretur, nobis tamen satis esse ad huius erroris condemnationem deberet, quod idē Dominus in ore ac oculis omnium nominauit se bonum pastorem, qui libēti animo *dat animam suam pro ouibus suis*, & lupo eas rapere & perdere cupienti se fe constantissimè opponit. Damnat verò timidum mercenarium, qui videns lupum venientem fugit, & eiusdem rabidis faucibus ouiculas diripiendas relinquit. Quocirca Caluiniani assueuiātes Dominum nostrum recusasse cum hoste gregis & salutis humanæ ma-

*Ioan. 10.*

næ manus conſerere, eundem negant verum eſſe paſtorem, & cum mercenario nequiſſimè confundunt.

Sed quibus verbis, te quæſo, idem clarius ſignificaſſet, ſe libero & alacri animo mortem oppetere, niſi dicendo: *Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam? Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo: Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*? MINIST. Hæc profectò ſuperiorem hæreſim penitus ſubuertunt, eiuſque authorem ſic ad palinodiam cõpellunt, vt contra eandem illic ſcribat, *Non moritur coactus, ſed ſponte ſe pro ſalute gregis offert. Porrò, non tantũ homines necis poteſtatem in ſe habere negat, niſi quatenus permiſerit: ſed à qualibet vi neceſſitatis ſe eximit.* Quibus verbis ſeipſum apertè conuincit & damnat.

3. *Ioan. 10.*

*In c. 10. Ioã. verſ. 18.*

DOCT. Commemorans deinde beatus Euangeliſta, quomodo idem Dominus ante ſex dies Paſchæ à deſerto quò ſe receperat digreſſus, venit in Bethaniam, & paulò poſt, vrbem Ieroſolymorum ingreſſus, palam ſe oculis inimicorum expoſuit, ſignificans ſe eximia voluntatis libertate ad moriendum veniſſe, ſatis patefecit ſe neque renuere neque detrectare Mediatoris fungi velle officio, vt Ianus veſter obmurmuret. MINIST. Equidem hæc tam certa & aperta ſunt, vt & ille rei veritate coactus, præcedentem errorem ſuum his verbis condemnet: *Chriſtus primò venit Bethaniam, vt inde Ieroſolymam triduò poſt ſe conferat. Interea opportunum tempus & locum ad ſe prodendum dare Iudæ voluit, vt ipſe ad ſtatam horam adeſſet parata victima. Neque enim quid futurum ſit ignorat, ſed voluntarius ad immolationem occurrit.*

4. *Ioan. 12.*

*In cap 12. Ioan. v. 1.*

DOCT. Subiungit Euangeliſta *Poſtridie turba multa quæ ad feſtum venerat, cùm audiſſet Ieſum venire Ieroſolymam, accepit ramos palmarum, & exierunt illi obuiam, clamantes, Hoſanna, Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael. Et intrauit Ieſus in templũ, & cœpit eijcere vendentes & ementes de templo, &c.* Obſecro, qui tanta confidentia ad vrbem hoſtilẽ accedit, qui in conſpectum ſummorum pontificum, Scribarum, Phariſæorũ, & ſenioꝝ populi, à quibus mox neci tradendus erat, clara luce

5. *Ioan. 12. Matth. 21.*

luce ſponteque prodit, renuit Mediatoris officio fungi? Detrectat crucem mortemque ſubire, vt in Patris gratiam redeamus? MIN. Hic rurſum ſibi manifeſtè contrarius eſt Caluinus, ſcribens: *Primo loco tenendum eſt Chriſti conſilium: nempe quòd Ieroſolymam vltrò venit, vt ſe morti offerat. Nam mortem eius voluntariam eſſe oportuit, quia non niſi obedientiæ ſacrificio poterat ira Dei erga nos placari.*

*In cap. 12. Ioan. v. 12.*

6. DOCT. Deſcribendo etiam paſſionis Dominicæ apparatus beatus Ioannes egregiam ſanctamque paſſuri IESV CHRISTI refert conſtantiam, dicens, *Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens Ieſus quia venit hora, vt trãſeat ex hoc mundo ad Patrem. Sciens quòd dediſſet ei Pater omnia in manus, & quòd à Deo exiuit, & ad Deũ vadit, &c.* Vnde manifeſtum eſt, eum minimè lapſum eſſe memoria, nec vnquã ſimpliciter recuſaſſe fieri liberum pro nobis ſacrificium. MIN. Id etiam Ianus noſter confiretur, ſcribens in eum locum: *Solent homines metu perculſi multa agitare, nullum talem in Chriſto fuiſſe motũ Euangeliſta ſignificat.* Et illicò præcipuum argumentũ, cui hæreſis ſuperior innititur, velut diſſoluens, ait. *Si quis roget, quomodo igitur poſtea eo vſque mœroris redactus fuerit, vt ſanguine ſudaret: reſpondeo, vtrunque fuiſſe neceſſarium, vt mortem horreret, ac nihilominus intrepidè perageret omnes Mediatoris partes.* DOCT. Vbi ergo aliquando Mediatoris officio defungi, vt de eo prędicat hęreſiarcha, recuſauit? Si coactus & renuens id obiuiſſet, quomodo ſimul alacer & conſtanter id feciſſet?

*Ioan. 13.*

*In ca. 13. Ioã. verſ. 3.*

7. Sed audi & alias eaſdem eximias Redemptoris eiuſdem officium Mediatoris continuò obituri ſententias. *Vado ad eum qui miſit me. Expedit vobis vt ego vadam. Modicum, & non videbitis me: Et iterum modicum, & videbitis me: quia ego vado ad Patrem. Exiui à Patre, & veni in mundum: & iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* MIN. Profectò ex his ſatis manifeſtum eſt cunctis errare nolentibus, Chriſtum incredibili alacritate ſimulque libertate ad mortem properaſſe, tantum abeſt vt per eam Mediatoris munus ſubire recuſauerit, quemadmodum garrit Caluinus.

*Ioan. 16.*

8. DOCT. Narrans deinde Euangeliſta, Chriſtum Ieroſo-

ſoſolyma egreſſum, abijſſe trans torrentem Cedron, *Ioan.18.*
vbi erat hortus: Iudam q; proditorem nouiſſe locum, quoniam illuc frequenter Ieſus conuenerat cum diſcipulis ſuis: itemque eum ſcientem omnia quæ ventura erant ſuper ſe, perrexiſſe obuiam militibus, & dixiſſe, *Ego ſum IESVS NAZARENVS. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire*, non ne ſatis demonſtrat, quàm ſponte libereque ad officiũ ſuum vltrò præſtandum accederet? MIN. Potuiſſet certè vel in Bethaniam tũc ſeſe recipere, vel in alium locum proditori minus notũ aut aſſuetum ſecedere, vt ibi lateret: vel ſaltem cùm in tertam proſtraſſet cohortem eorum, fuga vitæ ſuæ conſulere, ſi Mediatoris officio defungi noluiſſet. Verùm, *Iudic.11.* noluit veritatem à figuris diſſimilem fieri: & ideo vt *Geneſ.22.* filia Iephte, Iſaac, Ionas, & Samſon animis obfirmatis *Ion.3.* voluntariæ neci ſeſe obtulerant, ſic & ipſe per hos *Hebr.11.* præſignatus, nulla vi ad crucem pertrahi voluit. *Matth.12.*

DOCT. Audi rurſum, quanto patiendi pro nobis 9.
ardore, ac muneris Mediatoris ſubeundi flagranti deſiderio piiſſimus Redemptor teneretur: *Baptiſmo habeo* *Luc.12.*
*baptizari*, inquit de crucis ignominia & ſupplicio, *& quomodo coarctor donec perficiatur?* Et vltimo Paſchate completo, cui mox ſucceſſura erat ſuijpſius cruenta immolatio, aiebat: *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum antequã patiar.* Itaq; multo ardentius mortis ignominiam pro nobis perferre deſiderabat, quàm vel ambitioſus honoribus, aut auarus pecunijs inhiare cernatur. *Luc.22.*
Sic autem adimpletæ fuerunt hæ veteres Prophetarum prædictiones. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit,* *Eſaiæ 53.*
*& non aperuit os ſuum. Sicut ouis ad occiſionem ducetur,* *Acto.8.*
*& quaſi agnus coram tondente ſe obmutẽſcet, & non aperiet os ſuum. Ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam,* *Ierem.11.*
*&c.* Hæc enim indicant Chriſtum tam libera ſponta-
neaque voluntate ſe Patris voluntati & decretis ſubmiſiſſe, & lætis auſpicijs Redemptoris munus abſoluiſſe, vt nullis verbis id pro dignitate ſatis declarari poſſit.

MIN. Tam validis argũmentis id confirmatum 10.
eſt, vt nullus ſuperſit dubitandi locus. Veruntamen, ſcire vellem quonam ſenſu capiendæ ſint eius ora-

tiones

Matth. 26. tiones istæ ad Patrem; *Pater, transeat à me calix iste.* Et ad discipulos querelæ: *Tristis est anima mea vsque ad mortem:* Insuper, ait Euangelista de eo, *Cœpit contristari, tædere, pauere, & mœstus esse:* quibus videtur, quod inuitus ac refugiens ad mortem, id est, officium Mediatoris peragendum traheretur. DOC. Nequaquam hoc iudicandum aut inde colligendum est, quoniam preces illæ non absolutè, sed sub manifesta conditione ista fusæ sunt, *Pater, si vis transfer hunc calicem à me.* Deinde, omnem humanum metum suum, cunctamque voluntatem Patris diuinæ voluntati atque decreto cum omni submissione subijcit, dicens: *Non sicut ego volo, sed sicut tu. Fiat non quod ego volo, sed quod tu. Non mea voluntas, sed tua fiat:* quare nec officio Mediatoris defungi renuebat, nec detrectabat, sed duntaxat humani sensus mortem exhorrescentis, & assumptæ carnis (quam Paulus hominem exteriorem appellat) affectum in humanissimi Patris sui sinum effundebat: palam indicans hac conquestione, quod verus esset homo, mortisque horrorem ac metum hominibus debitum, in se suscepérat; vt nos in morte securos redderet; ac per eandem nos ad se tandem ex hoc mundo colligeret. Atque hunc locum sic intelligendum esse perpetuò censuit Catholica Ecclesia, vt ex Iustini dialogo, & quæstione 105. Nazianzeni libr. 4. de Theologia, Cyrilli lib 9. Thesauri, Basilij libro quarto aduersus Eunomium, cæterisque sanctissimis Patribus colligere cuiuis est perfacile & promptum.

Marc. 14. Luc. 22.

## DOMINVM NOSTRVM IESVM Christum non frustrà vinctum ductum fuisse primùm in domum Annæ soceri Cayphæ: aduersus octauum errorem, numero autem 126.

GRegales vestri tam parui faciunt vincula, irrisiones, improperia, & interrogationes à Christo perpessas ab horto Oliuarum vsque ad domum Cayphæ pontificis, vt indignum memoria quicquid

his

his gestum fuit, nequissimè iudicent, & audacissimè pronuncient. Hæresiarcha namque vester in hæc Ioannis verba. *Et adduxerunt eum ad Annam primùm*, ita scribit, *Hoc prætereunt reliqui Euangelistæ, quia ad summam historiæ non multum faciat: nihil enim illic memorabile gestum est.* Quid de huius Euangelistarum ac Euangeliorum censore, ac eiusdem censura videtur? *In cap. 18. Ioan. v. 13.*

MINIST. Quod in primis maximam Euangelistæ ac dilectissimo IESV discipulo inferat iniuriam, veluti res inutiles, vanas, & superfluas, sanctissimæ & grauissimæ narrationi Euangelicæ ex professo inseruisset. Deinde, etiam Spiritui sancto contumeliosus est, quasi eidem res nihil profuturas inspirasset atque dictasset toto orbe spargendas & prædicandas. Constat enim Euangelistarum & Apostolorum scripta non tam eorum esse, quàm ipsiusmet Spiritus diuini per eos scribentis & docẽtis, Christo dicente. *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris qui loquitur in vobis.* Et iterum *Dabo vobis os & sapientiã, cui non poterunt resistere & contradicere aduersarij vestri* Et Petrus ait, *Spiritu sancto inspirante loquuti sunt sancti Dei homines.* Quando ergo Caluinus censoria virgula sua notat, Euangelistam ea scripsisse, *quæ ad rem non multum faciant, nihilque memorabile in domo Annæ cum Christo & à Christo gestum esse*, non modò in Apostolum, sed & in Spiritum sanctum, adeoque ipsum Filium Dei est planè iniuriosus atque contumeliosus. **Confutatio 1.** *Matth. 10. 2. Pet. 1.*

DOCT. Aequissimè profectò iudicas. Sed præterea te obnixè rogo, vt mecum pauli sper Caluinicam grauitatem & authoritatem expendas. Vnica illi ratio est, vt ostendat ingressum Domini in domum Annæ non esse sua suorumque memoria dignum; *quòd hunc passionis articulum reliqui prætermerint Euangelistæ.* MINISTER. ô plusquam Carneadeum acumen, & argumentum verè ministrale! Quis aciem retundet istam? Mirum certè quod in scholis Dialecticorum non didicerit, Argumentum à pura negatione ductum nihil valere. DOCTOR. His adde, quòd si liceret sub huiusmodi antecedente rectè ac bene concludere, maiorem totius eiusdem

Euan-

Euangelij partem, vtpotè altissimum istud initium, *In principio erat Verbum*: aquę in vinum commutationem, cum Nicodemo habitum colloquium, mulieris Samaritanæ conuersionem, Paralytici, cæci nati, Lazari historiam, habitam ad Capernaitas concionem, pedum ablutionem, diuinamque in cœnaculo concionem, pro nihilo ducere licebit, vt quæ nullam posteritatis mereantur memoriam; quoniam hæc omnia prętererunt reliqui Euangelistæ. Vides ad quot quantaque absurda ducant loci topici Ministrorum Geneuanorum?

*Ioan.* 1. 2. 3. 4. 5. 9. 11. 13. 14. 15. 16. 17.

3. Verùm, nolim nunc eo nomine vehementius eos suburgere; sed tantùm simplici Euangelij contextu errorem istum reprimere. Scribit enim: *Cohors ergo & tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt IESVM, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primùm.* (*Erat autem Annas socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius.*) Et paulò post. *Interrogauit autē Iesum de discipulis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus. Ego palā locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo quò oēs Iudæi conueniunt: & in occulto locutus sum nihil, &c. Hæc cùm dixisset, vnus assistens ministrorum dedit alapam IESV, dicens: Sic respondes pontifici? Respondit Iesus, Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* Significans porrò Ioannes qui tū præsens adfuit, hæc facta esse in domo Annæ, illicò subijcit. *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.* Hactenus Christo charissimus discipulus commemorauit eiusdem Domini nostri vincula, interrogata, responsa, & impactum ei colaphum: quæ vniuersa Caluinus è suo Geneuensi throno pronunciat ad summam historiæ parum facere, nec aliqua Christianorum commemoratione ac meditatione digna. An non est hoc perpessionis Dominicæ pœnas acerbissimas, quibus & peccata nostra deleta sunt, & sedata ira cælestis, pedibus indignissimè conculcare & proterere?

*Ioan.* 18.

4. MIN. Hæc clarissima & certissima quidem sunt: nihilominus te præmonitum velim, Ministros quoddam effugium adinuenisse, quo vim huius argumenti vtcunque declinent. Aiunt enim hęc omnia in domo

Caiphæ

Caiphæ Pontificis contigisse, vt notare videntur alij Euangelistæ: Ioānem verò per anticipationem eadem narrasse, ac proinde velut per parenthesim esse in eius textu inserta, & à nobis legenda. DOCT. Ad hoc facilis est & aperta responsio; nimirum Ioannem qui solus Euangelistarum his rebus interfuit, ac vt oculatus testis eadem narrauit; insuper post alios tres historiam Euangelicam describens, seriem ordinemque rerum gestarum diligētius obseruauit; temporum atque locorum circunstantias curiosius & accuratius denotasse. Cùm enim aduerbio temporis, *duxerunt eum ad Annam primùm*, vtitur, satis indicat se quædam obseruaturum esse, ab alijs prætermissa: & quod illi in Caiphæ domo videntur dicere contigisse, ad domum Annæ (quæ forsan contigua erat) esse referenda.

Verùm, de hoc cum nemine pertinaciter contenderim, vt qui sciam quosdam etiam orthodoxos aliter opinatos esse. Hoc tamen vnum est quod nemo Ministrorum dissimulare aut euadere poterit, nimirum, Dominum nostrum durissimis vinculis alligatum, ab horto in hanc Caiphæ domum ab impijs & crudelissimis militibus perductum, & cum probris ac tunsionibus velut hominem perditum ac nequam, primùm omnium Annæ qui cum Caipha in eius mortem toties conspirauerat, conspectibus oblatum fuisse. Censebūt ne igitur ea vincula, quibus Redemptor solutionem à peccatis nostris promeruit: & captiuitatem, qua nobis libertatem peperit, ad Euangelicam historiam aut parum aut nihil pertinere? Aut existimabunt nocturnam laboriosamq; Domini militari manu ad Annam perductionem, & cum probris, insultationibus, conuitijs, exprobrationibus coram tribunali eius præsentationem, omni prorsus indignam memoria? Puta potius, quantis cum iniurijs eidem obijciebant, quod à Deo derelictus, à discipulis desertus, ab auditoribus & priscis amicis neglectus esset. Quantis etiam cachinnis eiusdem irriderent miracula, subsannarent conciones, & nuperum in Ierusalem triumphalem ingressum applausumque calumniando & insultando, ex-

§

probrarent. Hæc porrò, & alia absque numero, ab impuris & crudelibus carnificibus illata, cùm incredibili patientia & constantia innocentissimus Redemptor pro ingratissimis hominibus pateretur; nihil egit digna memoria? MINIST. *Prorsus nihil* secundum Germanicum archiministrum. DOCT. Ah, plus nimium est contemnere ac respuere immensum pudorem, angustiam, tristitiam, ac multiplices dolores & ærumnas; quibus tum pijssimi pectus, & tenerrimum corpus Dominicum pro delictis nostris afficiebatur, vt æternam nobis secum in cælis gloriam & quietem acquireret.

6. MINIST. Placet his adijciam, quæ Ioannes Brentius in superiori Germania minister, totum damnando Caluinismum, in hunc Domini nostri coram Anna oblationem non impiè meditatus est? DOCT. Perplacet, vt tam à nostris, quàm ab alienis, Hugnostici damnatos se esse cognoscant. MIN. Isthæc sunt illius verba: *Ductus est ad Annam ostentandi & quasi triumphandi gratia; vt quo magis eum per ora Principũ traducerent, eo maiorem voluptatem ex captiuitate eius caperent. Et cùm Annæ familia illustris fuerit Pontificia dignitate, mirandum non est, quod Annas singularem voluptatem cæperit ex captiuitate Christi, quem intelligebat abrogationem Leuitici Pontificatus meditari.* DOCT. At hæ ostentationes & insultationes hostium, hi ingratæ ac perfidæ gentis triumphi, non potuerunt non maximo dolore pium cor Christi perfodere atque transuerberare, vt aperte indicant istæ graues querelæ, quæ de illo referuntur in Psalmis: *Omnes videntes me, deriserunt me; locuti sunt labijs & mouerunt caput. Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens & rugiens. Et factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.* & cætera plurima & acerbissima ibi pro nobis passus est, quæ non nisi scelestissima ingratitudine possent ab hominibus perpetua oblivione sepeliri. MINIST. Idem rursum Brentius, non inepta paraphrasi tragœdiam explicans, scribit Christum tot irrisionibus ac opprobrijs ad hæc amarissima vota supplicium peccatorum nostrorum perductum fuisse: *Confundantur & reuereantur quærentes ani-*

*Homil. 56. in Ioan. part. 2.*

*Psalm. 21.*

*In Luc.*

*mam*

*nam meam. Auertantur retrorsum, & confundãtur cogitantes mihi mala. Dilatauerunt super me os suum, dixerunt, Euge, Euge, viderunt oculi nostri. Erubescant & reuereantur simul, qui gratulantur malis meis. Induantur confusione & reuerentia, qui maligna loquuntur super me.* Aliaque multo plurima, quæ in Psalmis de illo prædicta fuerant. Psal. 34. 69.

DOCT. Nemini ergo Christianorum dubiũ iam esse potest, clementissimum Saluatorem nostrum his ludæorum opprobrijs atque ludibrijs gratiam & gloriam cunctis fidelibus ac electis suis meruisse, & pro peccatis totius mundi satisfeciſſe, vt etiam firmissimis scripturarũ testimonijs minister Germanus comprobat: proindeq; Caluinianos improbissimos esse passionis Dominicæ contemptores, quando eam suo hæresiarcha putant, vniuersa quæ Christo in ædibus Annę contigerunt, indigna esse memoria.

## *CORPOREAM CHRISTI MORTEM plurimum humanæ saluti nostræ contuliſſe: aduersus nonam hæresim, & ordine 127.*

DOCTOR.

AD ipsam Christi redẽptoris PASSIONEM ET MORTEM propius accedẽtes, vniuersam illius efficaciam & vtilitatem paucis verbis subuertere ac omnino abolere conantur, dicentes: *Nihil actũ erat, si corporea tantùm morte defunctus fuisset Christus.* Cal. l. 2. Inst. c. 16. §. 10.

MIN. Vtuntur ne vniuersali negatiua *Nihil*, qua nil minus ac vanius confingi potest? DOC. Vtuntur sanè: atq; ex hoc fœtidissimo specu plurimos & grauissimos alios errores educunt, quos postea ordine sub recensebimus ac refellemus.

MIN. Nimium profectò paruipendunt sanctissimum corpus, preciosissimum sanguinem, saluberrimam crucem, & beatissimam passionem ac mortem vnigeniti Filij Dei & Domini nostri: dum sic temere pronunciant cunctos labores, dolores, colaphos & liuores eius; omnes vigilias, preces, angustias & lacrymas; vniuersa ieiunia, sputa, flagra, verbera, tormenta; atq; capiti, manibus, pedibus, totique corpori impressa vulnera, tam præsenti ac constanti animo tole- Confutatio I.

rata; ipſam denique acerbiſſimam & ignominioſiſſimam MORTEM CORPOREAM *nihil ſaluti noſtræ* profuiſſe, *nihil* pro nobis coram Deo Patre egiſſe. *Nihil* tot ſpinarũ aculeis, *nihil* tot ſanctiſſimi cruoris guttis, *nihil* tot clauorum confoſſionibus, *nihil* tot flagellorũ ictibus mirabili patientia & ineffabili obedientia toleratis innocentiſſimum Dominum noſtrum nobis meruiſſe: *nihil* pro ſalute noſtra egiſſe, *nihil* pro delictis noſtris ſatisfeciſſe. Vah, quid hoc aliud eſt, quã vniuerſam Chriſtianorum fidem abolere, ſpem euertere, atque vniuerſo verbo Dei ſeſe impudenter & præfractè opponere?

2. DOCT. Optimè hæc ſanè. Verùm, ſi memineris locorũ, in quibus ſibi aduerſatur hac in re Caluinus, eos pro tuomore producas, quæſo, vt hoſtem vinculis ſuis implicatũ, & proprijs teſtimonijs reum peractum ſcripturarum diuinarum ſententijs poſtea condemnemus. MIN. Plures ſunt quàm cõmemorare oporteat, ſed tibi ſufficient nonnulli. Ait ergo Præfatione in Harmoniam. *Reconciliatio mundi cum Deo, ſemel morte Chriſti peracta, quotidie ad homines defertur.* Et paulò poſt: *Expiatio qua delentur peccata, ne amplius maledictio & mortis iudicium nobis incumbant, non alibi quàm in ſacrificio mortis eius eſt quærenda.* Deinceps verò: *Chriſtus ſolus eſt, qui animas ſanguine ſuo abluit. Chriſtus ſolus cõſcientias ſanguine ſuo aſpergit.* DOCT. Nequaquam certè ſtare poſſunt, Chriſtum morte ſua nihil ſalutis noſtræ egiſſe: & eundem, morte ſua mundum Deo conciliaſſe, cõſcientias ſanguine abluiſſe, atq; peccata noſtra expiaſſe. Ergo vt hæc veriſſima ſunt, illud falſiſſimũ & impiiſſimũ erit.

*In c. 3. Matt. v. 11.*

3. MIN. Et rurſum redemptionem noſtram eiuſdem morti tribuens, ait: *Aptè ſciteque vis & fructus eius exprimitur* (à Chriſto dicente, *Filius hominis dabit animam ſuam in redemptionem pro multis*) *dum vitam ſuam pretium noſtræ redemptionis eſſe affirmat: vnde ſequitur nobis gratuitam eſſe reconciliationẽ cum Deo, cuius non alibi quàm in Chriſti morte pretium reperitur.* Rurſumque ait: *Quiſquis nutritiam ſibi eſſe cupit Chriſti carnem, eam oblatam in cruce conſideret, vt noſtræ cum Deo reconciliationis eſſet pretium.* Et paulo poſt: *Dum ad ſacram menſam accedimus, non ſolùm hæc generalis*

*In cap. 20. Matth. v. 28.*

*In c. 22. Luc. v. 19.*

*In cap. 26. Matth. v. 28.*

cogi-

*cogitatio in mentem veniat, redemptum Christi sanguine esse mundum, sed pro se quisque reputet peccata sua expiata esse.*

DOCT. Si vita Christi per mortem ablata iustū pretium fuit redēptionis nostræ, quomodo nihil per eam actum fuit? Et si non alibi quàm in ea, reconciliatio nostra cum Deo reperitur, certè per eandem multū pro nobis actum est. Denique, si caro Christi in cruce considerāda est, vt nostræ reconciliationis pretium, profectò nec in Christi morte extremæ desperationis solum est materia, nec salutis nostræ medium, ac remedium in eius animæ desponsione, aut pœnis desperantis hominis vlterius inuestigandum est.

MIN. Quinetiam vincula & tormenta corporea ab eodem tolerata plurimum nobis profuisse contra seipsum scribens, ait: *Filium Dei capi, vinciri & constringi secundum carnem turpe fuit. At verò dum reputamus nos eius vinculis solutos esse à tyrannide diaboli, & reatu qui nos coram Deo tenebat implicitos, non solùm tollitur offendiculum, sed in eius locum succedit immensæ Dei gratiæ admiratio.* Quinetiā eius coram Pilato iudice præsentationem, ac externam ad moriendū adiudicationem saluti omniū nostrum plurimum profuisse, contra seipsum palam prædicans ait: *Tenēdum memoria est, in doctrina crucis quæ Græcis stultitia est & Iudæis scandalum, constare nobis salutem. Voluit enim Filius Dei vinctus sisti coram terreno iudice, & illic subire capitale iudicium, vt nos reatu soluti, ad cæleste Dei thronum liberè accedere non dubitemus.* DOCT. Necesse est ergo eius *Nihil actum erat*, non solùm ad corpus, sed & ad omnes diabolos, ex quibus procùl dubiò emanauit, relegare: quando corporea eius constrictione, captiuitate, & condemnatione à diabolica tyrannide & peccatis soluti & liberati simus. 4. *In c. 26. Mat. v. 57.* *In cap. 27. Matth. v. 11.*

MIN. Eodem suo *Nihil actum erat* oblitus, fructus corporalium suppliciorum ac deniq; mortis Christi, his verbis prædicat. *Vt nos in Patris conspectū puros & immaculatos sisteret, conspui, & omnibus contumelijs fœdari voluit. Quare illa quam semel in terra passus est deformitas, nunc gratiam nobis in cælo conciliat: & simul instaurat imaginem Dei, quæ non modò inquinata erat peccati sordibus, sed ferè deleta.* Et post aliqua velut pius esset repentè factus monachus, 5. *In cap. 27. Matth. v. 33.*

nachus, ac Christi mortis quidam admirator & laudator, inquit: *Deus Filium suum eijci voluit ex vrbe quasi indignum hominũ consortio, vt nos in cæleste regnum suum cum Apostolis recipiat. Quo autem plus ignominiæ probriq; coram mũdo sustinuit, eo gratius & nobilius in morte sua Deo & Angelis præbuit spectaculum.* DOCT. Si sola sputa, si cõtumeliæ, si deformitas Christo illata, & ab eodem patienter tolerata tantum nobis profuit, certè mors ipsa, quæ omnium terribilium terribilissimũ dicitur, plurimam attulit vtilitatem.

*In cap. 27. Matth. v. 33.*

6. MIN. Hucusq; Caluinianam hæresim ex Caluini in Harmonia commentarijs persequutus labefactaui: nunc ex his quæ in Ioannem scripsit, si cõmodum videtur, etiã refeliam. DOC. Pro Christi gloria pugnare, deque communi nostra salute disserere pijs viris non potest esse non iucundissimum ac vtilissimum. MIN. Totam salutis nostræ causam corporeæ morti Christi adscribens ait: *In ea impleta fuit hominũ redemptio: in ea oblatum sacrificium expiandis peccatis: obedientia Deo præstita, quæ ipsum placaret.* DOC. Ergo improbo sacrilegio se suosque contaminat, quum eis persuadere nititur, nihil corporea Christi morte actum fuisse. MIN. Postea quoq; scribit: *Hoc in fide præcipuum est, vt sciamus per sacrificium mortis eius expiata esse peccata, & nos Deo reconciliatos esse.* DOCT. Quantum istud verũ est, tantum eius *nihil actum erat*, impium est atque nefarium.

*In c. 6. Ioan. v. 51.*

*In c. 9. Ioan. v. 37.*

7. MIN. Eiusdem rursum mortis fructum extollens inquit. *Mors Christi verum status rite compositi exordiũ, & plena mundi instauratio fuit.* Et paulò supra. *In morte Christi præcipuè expiatio consideranda est, qua iram & maledictionem Dei placauit.* Et vt in his prolixius citandis modum cõstituam, ait tandem: *Hæc vox Christi, Consummatũ est, memoratu in primis digna est: quia docet in eius morte totum salutis nostræ complementum, & singulas partes cõtineri. Cessare omnia Legis sacrificia oportuit, quia vnico mortis Christi sacrificio perfecta fuit hominum salus. Omnes Euangelistæ diligenter mortem Christi exprimunt, nec immeritò. Nam hinc nobis vitæ fiducia: hinc etiam secura aduersus mortem gloriatio, quòd eam vice nostra obijt Dei Filius: & cum ea luctando, superior euasit.* DOC. Cùm ergo corporea Christi mors

*In c. 12. Ioã v. 31.*

*In c. 12. v. 27*

*In c. 19. v. 30*

(aliam

(aliam enim nec agnoſcunt nec tradunt Euangeliſtæ) fuerit inſtauratio mũdi, delictorũ expiatio, irę diuinæ placatio, ſalutis humanę complementũ; hincq; nobis oriatur omnis in Deũ fiducia, ſecuraq; aduerſus mortem ac inferos gloriatio: an non maxima omniũ perfidia & nequitia cõmaculatus eſt Caluinus, quando de eadem ſcribit, *Nihil actum eſſe* de ſalute & reconciliatione generis humani cum Deo, *ſi corporea tantùm morte Chriſtus defunctus fuiſſet?* MIN. Id nullus ſanæ mentis poteſt inficiari: inſuper, & quatuordecim ſuperioribus ex eo citatis teſtimonijs, eũdem vt nefarium ſeductorem ac hæreticum, multiplici ac proprio iudicio condemnatũ eſſe. His porrò tuum nũc eſt adijcere, quę ad eandem hæreſim penitus conuellendã paraueris.

DOCT. Nullus eſt ex Prophetis, Euangeliſtis, aut Apoſtolis, qui non peccatorum noſtrorum remiſſionem, ac totius mundi ſalutem ijs doloribus ac pœnis attribuat, quæ Chriſtus Dei & Virginis innocentiſſimus Filius in corpore ſuo pro nobis pertulit; ſanguini, quem in lauachrum effudit; ac morti acerbiſſimæ, quam ſingulari charitate & gratia pro nobis ſubire dignatus eſt. Atque vt ex innumeris pauca tantùm colligam, Iſaias non tam de futuris, quàm velut de præteritis inquit: *Verè langores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Quod autem iſtud de corporeis Chriſti doloribus dictum ſit, confirmant hęc quæ illicò ſubnectuntur. *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eũ, & liuore eius ſanati ſumus, &c.* MIN. His profectò vaticinatur de Chriſti corporeis doloribus ac ærumnis, ijſdemque acceptam fert vniuerſam mundi ſalutem. 8. Iſa. 53.

DOCT. Et ne ſingulos percurram, Chriſti vtar compẽdio de paſſione, & fructibus mortis ſuę dicẽtis, *Complebũtur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis.* Et diffidẽtes diſcipulos increpãs rurſũ ait: *O ſtulti & tardi corde ad credendũ in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ. Et incipiẽs à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnib. ſcripturis quæ de ipſo erãt.* Manif. ſtũ eſt ergo (vt etiam vertex Apoſtolorum colligit) quod huic oẽs 9. Luc. 18. Luc. 24. Act. 10.

*Ierem.31.* Prophetæ teſtimoniũ perhibẽt, remiſſionem peccato-
*Mich.7.* rum per nomen eius accipere oẽs qui credunt in eum.
*Ioel.2.* M I N. Nunquã certè in Prophetis occurrit, nunquam
*Oſe.13.* ſcribitur aut legitur, quod aliã à corporea mortẽ Meſ-
*Zach.9.* ſias eſſet ſubiturus: huic ergo noſtrã ſalutem tribuunt.
*Dan.11.* DOCT. Ad Euangeliſtarũ ſcripta rationem con-
10. uerto. Idem Dominus noſter in Ioanne ita de cõmo-
*Ioan.3.* dis mortis ſuæ loquitur. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filiũ hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitã æternam.* Poſtmodum
*Ioan.6.* etiam pollicetur, ſe Carnem ſuã daturum, videlicet in
*Ioan.10.* cibum & pretiũ, pro mundi vita. Rurſumque, *Ego ſum paſtor bonus, qui animam meam* (id eſt, vitam humanam) *pono pro ouibus meis.* Præterea ſeipſum cum grano frumenti conferens, cuius in terra mortificatio mirã adfert multiplicationem: ſubijcit. *Ego ſi exaltatus fuero à*
*Ioan.12.* *terra, omnia traham ad meipſum. Hoc autem dicebat de morte* (nimirum, corporea) *qua erat moriturus.* Ex quibus clarum eſt vniuerſam hominum vitam, iuſtitiam, & gloriam ex mortis eius meritis ac virtute pendere, tantum abeſt vt ea nihil profuerit.

11. Quorſum etiam dixiſſet, *Hoc eſt corpus meum quod*
*Matth.26.* *pro vobis tradetur*, ſi mors eius corporea nobis inutilis &
*Mat.14.* vana fuiſſet? Aut verax extitiſſet in his verbis: *Hic eſt*
*Luc.22.* *calix ſanguinis mei, qui pro vobis, & pro multis effunditur in*
*1.Cor.11.* *remiſſionem peccatorum*, ſi eiuſdem ſanguinis ſudores, ſi vulnera, ſi lacerationes, ſi cõfoſſiones, quibus ad mortem vſque effluxit, ſufficientes non fuiſſent ad irã Patris leniendam, & omnino mitigandam; nosq; coram ipſo verè iuſtos efficiendos? Si non hæc immenſa charitate & patiẽtia tolerando, legem & prophetias adimpleſſet, mortem domuiſſet, viciſſet Satanam, ſpoliaſſet inferos, & cunctos in ſe credẽtes atq; ſperantes, adoptione Patris ſui filios, cohæredes autẽ ſuos effeciſſet?

12. Quid de his Coryphæus Apoſtolorum ſenſerit &
*1.Pet.1.* docuerit, ex his eius verbis accipe. *Gratia vobis & pax multiplicetur*, inquit eis ad quos priorem dirigit Epiſtolam, *per obedientiam & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti.* Et poſtea velut digito fontem totius humanæ ſalutis commonſtrans, ait: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti*

*redempti estis de vana vestra cõuersatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati* Ergo sanguis per vulnera secũdum corpus morientis pro nobis Christi abundanter effusi, verum, sufficiens, ac vnicum est redemptionis humanæ pretium. Quod autem hac morte sua pœnas delictis humanis debitas exsoluerit, idem Apostolus his verbis docet: *Peccata nostra* (1. supplicia peccatis debita) *ipse pertulit in corpore suo super lignum; vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus: cuius liuore sanati estis.* 1. Pet. 2.

13. Huic & alterius columnæ Ecclesiasticæ, id est, coapostoli eius Ioannis quædam subijcio testimonia. Quantum profuerit Christianorum animis effusus è corpore sanguis Christi, sic prædicat: *Societatem habemus adinuicem, & sanguis IESV emundat nos ab omni peccato.* Quo pacto autem id fiat paulo post ita declarat: *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, IESVM Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nõ pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Nec ab eâdem fide & doctrina recedit in Apocalysi, sed eam ipsam potius multo amplius explicat & corroborat, dicens: *Christus dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Idipsum etiam confitentes beatos in cælis spiritus refert, *Dignus es Domine*, inquiũt, *accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Eorum quoque sicut & omnium nostrum iustitiam ex hoc fonte manare, his senioris vnius verbis ostendit, *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni.* MIN. Væh, iterumq; Væh Caluino miseros sectatores suos hucusque dementanti, vt cum eo dicant, *Si corporea tantùm morte defunctus esset Christus, nihil actum erat.* Contrà enim in corporis eius vulneribus, doloribus, sanguine, morteq; iustificationis & salutis humanæ proram puppimq; constituunt omnes Apostoli. 1. Ioan. 1. 1. Ioan. 2. Apoc. 1. Apocal. 5. Apocal. 7.

14. DOCT. Nulla est Doctoris gentium epistola, nullum fere capitulum, quod tam atrocem blasphemiam non arguat. Ait enim ad Romanos: *Iustificati sanguine per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit nobis Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensio-* Rom. 3. 4. & 5.

*nem iustitiæ suæ. Cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius.* MIN. Omnes profectò vrgent sanguinem, vrgentque mortem corpoream Christi, vt præcipuam meritoriam causam salutis humanæ: quapropter hostes Apostolicæ sunt doctrinæ, qui ad aliam inuestigandam nos ablegare contendunt.

15. DOC. Idem Apostolus eandem corpoream Christi mortem extollens scribit ad Corinthios: Iesum crucifixum *Iudæis quidem scandalum esse*, quòd Messiam ex se natum, sibiq; specialiter datum occiderint: *gentibus autem stultitiam*, quod homo-Deus, morte sua per crucẽ vitam mortalibus restituerit: nobis verò in eum credentibus & sperantibus maximam esse virtutem, sapientiam, iustitiam, sanctificationem, & redemptionem. Et scribens ad Ephesios ait: *Nunc autem in Christo Iesu, qui aliquãdo eramus longè, facti sumus prope in sanguine ipsius. Per sanguinẽ eius habemus redẽptionem.* Et ad Colos. *In ipso complacuit omnem plenitudinem Diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso, pacificans per sanguinem crucis suæ siue quæ in terris sunt, siue quæ in cœlis.* In epistola porrò ad Galatas, profitetur nulla alia re se gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV CHRISTI: tantum abest, vt vel per desperantem Christi animam nos saluari dicat, vel eiusdem morte corporea nihil salutis nostræ actum fuisse cum Caluino pronunciet.

*1.Cor.1.* *Ephes.1.& 2* *Colos.1.* *Galat.6.*

16. Nec sunt prætermittenda grauissima pro mortis Christi virtute, quæ in Epistola ad Hebræos extant testimonia. Sic enim aduersus Caluinicam impietatem pro nostra pietate ratiocinatur: *Si sanguis hircorum, taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti?* Huic autem argumento statim adiungit: *Christus semetipsum semel obtulit ad multorum exhaurienda peccata. Sanctificati sumus per oblationem Christi semel*, nimirũ cruento modo in cruce peractam. Et postea concludit: *Habemus itaque Fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi.* MINIST. Omnia profectò tribuit huic sanguini, omnia huic oblationi peractę in ligno, huicque

*Hebr.9.*

que sacrificio: nihil autem motibus conscientiæ, nihil dubitationi de salute, nihil inferorum doloribus, nihil morti secundæ, nihil denique desperationi, aut alijs Ministrorum artificio confictis doloribus. Hæc porrò generatim sufficienter discussa sunto.

## *CHRISTVM IN ANIMA SVA NEC iram Dei Patris sensisse, nec diuinæ maledictionis horrore percussum esse; nec omnia reprobatis ac damnatis debita supplicia pertulisse: aduersus decimam & vndecimam hæresim Caluinicam, ordine verò 128. & 129.*

DOCTOR.

ATque de his ipsis nunc nobis speciali disquisitione est agendum. Volunt namq; Caluiniani eundem sanctissimum Filium Dei Dominum nostrum & iram Dei Patris, & maledictionis eius horrorem, & singula quæq; damnatorum in inferis supplicia in animo suo & conscientia sensisse atq; pertulisse. Hæresiarchæ etenim ista verba sunt. *In locum sceleratorum sponsor, vas, adeoq; instar rei submissus est* (inferos damnatorum intelligit,) *qui dependeret ac persolueret omnes, quæ ab illis expetendæ erant pœnas: hoc vno excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri.* Et post pauca: *Diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulit. Omnia irati & punientis Dei signa expertus, cum mortis & inferorum doloribus certamen subijt, quasi Deo irato in labyrinthum malorum proiectus fuit.* Suas adhuc repetēdo & redintegrando blasphemias in Harmonia sua scribit: *Nihil nimirum si horribilis exitij abyssus metu & anxietate eum cruciauit. Nec esse fuit illi profundā mortis abyssum exhorrescere. Diuinæ maledictionis horrore percussus est. Species Christo obiecta est, quasi Deo aduerso iam esset exitio deuotus, horrore correptus est.* Easdem impietates repetit & cumulat Commentarijs in Psalm. 21. in cap. 10. ad Romanos: & in suo Catechismo. Bucerus, Beza & alij quidā, quamuis in alijs religionis nostræ capitibus inter se dissideant, & more rabidorum canum sese commordeant atque lacerent, in his tamen iniurijs conueniunt aduersus Dominum & aduersus CHRISTVM eius, voci-

*Instit lib. 2. cap. 16. §. 10.*

*In cap. 26. & 27. Matth.*

*Beza Annot. in cap. 26 & 27 Matth. & in 22. Lucæ.*

vociferantes & latrantes: *Ingenti onere iræ Diuinæ obrutus, flãmis inferni addictus, profundo inferni gurgite sepultus, demersúsque perijt.* Alij omnes Caluinianę per Galliam, Belgium, Scotiam, Angliam, Heluetiamque impietatis ministri, suis ad populos libellulis & concionibus hisdem contumelijs atque blasphemijs eosdem in hunc vsque diem commaculant. Tuum nũc est aperire quid de his sentias.

**Confutatio 1.**

MINIST. Summum agnosco Dei in me beneficium, quòd tandiu cum his diuersatus, in tam diabolica & horrenda maledicta nunquam inciderim, nunquam crediderim, nunquam ea prædicauerim. Nihil enim dubito, quin dæmones etiam ipsi, qui Deum credunt, & metu glorioſissimi nominis IESV contremiscunt, tam nefarias in eum blasphemias deprecentur ac horrescant. Mihique videtur, solam earum commemorationem sufficere ad earum confutationem.

*Iacobi 2.*

DOCT. Verum quidem est sanctos quosdam Patres existimasse, quarundam hæreseon detectionem satis esse ad earum confutationem, Irenæo scribente, *Aduersus hæreticos victoria, est sententiæ eorum manifestatio*: Hieronymo etiam Pelagianis dicente: *Sententias vestras prodidisse, superasse est.* Patet prima fronte blasphemia. Non necesse habet conuinci, quod sua statim professione blasphemum est. Nihilominus & ipsi firmissimis & plurimis argumentis hæreses exagitârunt, & nobis vt aduersus eas pro viribus decertaremus, exempla reliquerunt.

*Iren. libr. 1. cap. 35.*

*Epist. ad Ctesiphont.*

**2.**

MINIST. Mihi videntur in primis turpissimè errare, cùm asserunt, *Dominum omnes eas pœnas dependisse ac pertulisse, quæ sceleratis ac damnatis ad inferos debentur, sola perpetuitate excepta.* Nam consequeretur sanctissimum corpus eius non in sepulcro triduo quieuisse; sed in profundam abyssi & tartari voraginem cum Satana & alijs reprobis absorptum atque demersum, in stagno igne & sulphure pleno submersum, aliquandiu flammis inextinguibilibus cruciatum, interioribus ac exterioribus tenebris implicatum, simulque fletu ac stridore dentium vexatum & tortũ fuisse; quandoquidem hæc tormenta reprobis & sceleratis deberi

*Num. 16. Psal. 105. Apoc. 19. 20. 21. Matth. 3. 8. 22. 25. Mar. 9. Luc. 3.*

apertæ

apertæ ſcripturæ patefaciant. DOCT. Verè oportet eos de libris ſuis ſubtrahere ac delere, *Omnes pœnas expetendas à ſceleratis perſoluit, Omnia irati & punientis Dei ſigna in locum damnatorum ac perditorum demerſus, expertus eſt*: aut in ea quæ commemoraſti, abſurda incidere. Contra verò, beatiſſimi Euangeliſtæ & ſigillatim & generatim tormenta referentes, quæ pro nobis pertulit in corpore ſuo; vtpotè vincula, alapas, ſputa, verbera, flagra, ſpinas, veſtium mutationes, crucis pondus, clauos, fel, acetum, lanceam, &c. nunquam meminerunt demerſionis in abyſſum, nunquam ſupplicio-rum quæ damnatis debentur in inferis, nunquam flammarum ignis & ſulphuris, nunquam iræ Diuinæ eum adobruentis, nunquam gurgitis inferni, in quo demerſus perierit: quæ vt & nunquam contigerunt, ſic & nunquam ab eis recitari aut debuerunt aut potuerunt.

MINIST. Præterea, quò ſæpius mente reuoluo vniuerſalem Caluini propoſitionem, *Omnes pœnas ſceleratorum perſoluit, Omnia irati Dei ſigna expertus eſt*, nulla exceptione præterquam perpetuitatis, temperatam; eò magis ac magis abſurdam & nefariam illam eſſe comperio. Nam ſcelerati tam Diuino quàm humano iudicio ſæpiſſimè promerentur ſuper rotas comminui, lapidibus obrui, laqueis præfocari, flammis abſumi, aquis ſubmergi, capitibus minui, in partes diſcerpi, feris ſubigi, tradi manibus Satanæ, plurimisque alijs ſupplicijs tolli de medio. Adhæc, eodem Diuino iudicio perditi homines pœnas frequenter incurrunt febrium, catarrorum, paralyſis, hydropiſis, elephantiaſis, epidimiæ, peſtilentiæ, impuriſſimæ luis, aliorumque turpiſſimorum & tacendorum morborum: quos Dominus nec in corpore ſuo pertulit, nec perferre debuit. Non eſt igitur vniuerſale axioma, quo Caluinus nititur, verum; ſed econtrario falſiſſimum & nequiſſimum: quapropter aut illud damnent eius ſectatores, aut alias à ſola perpetuitate exceptiones adhibeāt, neceſſum eſt. Atq; hæc ſunt argumenta, quibus Comminiſtros frequenter exercui, fundamētumq; Caluinicæ impietatis ſubuerti: tu nunc quæ de his ſentias edicito.

3. *Dent.* 29. 28. 32. *Leu.* 20. 24. *Deut.* 21. *Ioſu* 7. & 8. *Iere.* 21. 24. 27. 29. *Rom.* 13. 1. *Cor.* 5.

DOCT.

1.

4. DOCT. Scitè profectò pœnas corporeas, quæ tam in hac, quàm in altera vita sceleratis debentur, examinasti; simulque Dominum nostrum nequaquam his correptum fuisse demonstrasti: superest ergo, vt in spiritalia tormenta impiorum animis debita pro viribus inquiram, eademque opera confirmem eundem nec in conscientia sua pertulisse, nec sustinere debuisse: atque sic omni ex parte conuulsæ labefactatæq; iaceant Caluinianæ in Christum blasphemiæ.

Inter pœnas sceleratorum & perditorum animabus debitas, ea dicitur prima & omniũ grauissima, quę nimirum in perpetua priuatione claræ Dei visionis ac fruitionis consistit; vt è cõtrario videre eum facie ad faciẽ sicuti est, præcipua est beatarum gloria animarũ. Ait enim Chrysostomus. Noui quòd plurimi gehennã tãrum modò pertimescant: ego tamen illius gloriæ amissionem multò amarius dico esse supplicium. Intolerabilis quidem res est, & supplicium illud horribile: tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est à beatæ illius gloriæ honore repelli. Eandem persequitur sententiã, Exhortatione ad Theodorum lapsum: nec ab eadem declinat Augustinus libro Manualis cap. 15. Excepta verò perpetuitate sola, quis audebit sanctissimam Iesu Christi animam ijs cõnumerare, quę tali pœna multantur? Habuitne vnquã peccatum proprium, cuius ratione sic à Deo abstraheretur, cui tam intimè perfectèq; coniuncta fuit?

*Hom. 24. in Matth.*

5. Secunda damnatarum animarum pœna dicitur posita in assiduis sceleratæ conscientiæ stimulis, quibus sic continuò agitantur, punguntur & excruciantur, vt nulla vnquam fruantur quiete. His enim vel inuitæ ad Diuinum tribunal reducuntur, ibidemque in ira Dei vltionum coarguuntur, ac damnantur in furore eius, vt omnibus modis maledictæ & abominandæ. Tum enim ter quaterque miseræ tormentis grauissimis addicuntur, quæ nullis precibus effugere possunt: Creatorem longè optimum velut iniquissimum maledictis insectantur, blasphemant, & desperatione fractæ fremunt, mortemque summis votis efflagitant: & mors fugit ab eis. MINIST. Caluinus ergo vel ipso

*Apo. 13. et 16. Marc. 9. Rom. 2. Psa. 6. et 54. Mat. 7. et 25.*

Anti-

Antichristo sceleratior est, qui beatissimæ Christi animæ has omnes pœnas affingit, inquiens *eam illas omnes pertulisse, quæ damnatis ac perditis debentur.*

DOCT. Tertia perditarum animarum pœna est, quod proprijs culpis in perpetuum priuentur omnibus Spiritus sancti donis ac largitionibus, videlicet charitate, quiete, lætitia, pace, longanimitate, benignitate, bonitate, continentia, mansuetudine. Priuantur quoque septem donis illius, quæ ab Isaia recitantur, sapientia, intellectu, consilio, fortitudine, scientia, pietate, atque timore Domini. Spoliantur quoque virtutibus quæ morales nuncupantur, iustitia, fortitudine, prudentia, temperantia. Carent & his Christianis perfectionibus, humilitate, modestia, humanitate, mansuetudine, misericordia, longanimitate, cordisque munditia. Vt enim electi heroicis istis virtutibus ac spiritalibus ornamentis eminent; sic reprobi iure priuantur. Relicta verò perpetuitate illa Caluinica, audebunt ne sectatores eius vel leuiter suspicari, Christum vel breuissimo tempore, his cunctis virtutibus priuatum fuisse? 6. *Isaiæ 11.*

Quarta miserorum ac sceleratorum pœna est, quòd superiorum virtutum loco, contrarijs sceleribus inficiuntur ac perpetuò commaculantur; sicq; in peccatis sunt pertinaces & indurati, vt nulla vnquam pœnitudine teneantur, nullo Dei honore aut reuerentia afficiantur. Sese igitur diabolica planè arrogantia aduersus Diuinam maiestatē attollunt, odio iustitiæ illius disrumpuntur, gloriæ eius inuidia contabescunt: eos inuisos habent qui illum diligunt: deniq; omnibus exuti bonis ac benedictionibus Diuinis, in perpetuis malis atq; execrationibus sunt demersi. Habent præterea intellectum omni errore ac mendacio excæcatum, deprauatam malitia & bonorum odio voluntatem, memoriam omni grata suauiq; recordatione priuatam, insuper, cunctis aduersis tristibusq; rebus confusam: animam demum & vniuersas facultates eius omni ægritudine angore, & mœrore depressas. Tales sunt pœnæ sceleratis ac perditis animabus debitæ; huiusmodi ac etiam longè grauiora quàm capere possimus, 7. *Apo. 6. & 9. Isaiæ 2. Oseæ 8.*

sunt

sunt tormenta reprobis præparata: quæ si incarnatum gloriæ Dominum animo subijsse à cætero ausi fuerint dicere Caluiniani, nonne rabida insania insanissimos quosque superabunt? MIN. Miranda sanè est Christi Domini patientia, qua tam scelerate aduersum se blasphemantes tam benignè tolerat, & tanta longanimitate ad pœnitentiam expectat. Verùm, certissimum est, grauissimum iudicium eos manere Principes & Magistratus, qui Prædicantes sinunt in suis ditionibus tam nefaria in Redemptorem & summum iudicem viuorum & mortuorum euomere & spargere.

8. DOCT. His porrò rationibus conuictas hæreses, jam etiam ex sacris scripturis refello, confirmoque Christum corporea passione & morte sua totius mundi peccata expiasse; & non horrendis pœnis spiritalibus, quas in inferis pependerit. Scribit namque in primis Apostolorum princeps, Dominum nostrum portasse peccata nostra, id est, pœnas peccatis debitas, *in corpore suo super lignum.* Igitur non in anima in profundam horribilis exitij abyssum demersa. Non diris cõscientiæ cruciatibus, tanquam verè à Patre derelictus foret aut maledictus. Non certamine cum inferorum doloribus. Non metu vel anxietate maledictionis Diuinæ. Non inquam, non planè ingenti onere iræ Diuinæ obrutus, non flammis inferni addictus, non profundo inferni gurgite sepultus, animo pertulit Christus supplicia peccatis humanis debita: sed IN CORPORE SVO SVPER LIGNVM crucis: sicque sanctificati fuimus aspersione sanguinis eius, ac pretioso sanguine Iesu Christi agni immaculati & incontaminati.

1. Pet. 1.

9. Huic concinit coapostolus Ioannes dicens: *Christus dilexit nos, et lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Non ergo in horrore maledictionis Diuinæ quo adobrutus fuerit, aut flãmis inferni quas pertulerit. In eodemque sanguine omnes electi stantes ante thronum Dei, stolas, id est, animas & conscientias suas lauerunt & dealbauerunt: & non in ira Diuina, in qua se percussum & damnatum aliquando senserit & existimauerit.

Apocal. 1.

Apoc. 1. 5. 7. 8. 22.

10. Nec alia vnquam fuit Pauli mens & doctrina, cùm ait:

ait: *Christum per sanguinem suum factum esse nobis propitiationem, redemptionem, gratiam, & gloriam coram Deo*: & non per supplicia damnatorum ac perditorum, quæ animo in infernum demersus persoluerit. Hoc ipsum rursus his verbis affirmat: *Vna oblatione*, videlicet corporis, sanguinis & vitę humanæ in cruce peracta, *consummauit in perpetuum sanctificatos, æterna redemptione inuenta.* Sic complacuit Patri per eum reconciliare omnia, *pacificans per sanguinem crucis eius siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Qui eramus longè, facti sumus prope per sanguinem ipsius, reconciliati in corpore carnis eius, &c. Sanctificauit populum suum in sanguine suo*: non in conscientia sua patiendo omnia irati & punientis Dei intolerabilia signa, quemadmodum perdendarum animarum scelera-tissimi ministri comminiscuntur. *Rom.3.& 5. 1.Cor.1. 2.Cor.5.7. Ephes.1.4. Colos.1. Heb.2.5.9. 10.13.*

11. An non etiam vniuersæ salutis nostræ fontem vnicum Christus ipse satis indicauit, dicens, *Panis quem ego dabo, caro mea est quam ego dabo pro mundi vita? Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur? Hic est sanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum?* Quod si voluisset aut debuisset flammas inferni, cæteraq; omnia damnatorum ac reproborum decreta supplicia secundum animam perpeti, puras alto semper & vbiq; silentio nos celasset: Tantum & solum hoc mysterium Apostolis nunquam reuelasset? MIN. Cùm tam sigillatim ac decenti ordine recensentur supplicia, quę tum in horto, tum in ędibus Annæ, Caiphæ, Herodis & Pilati; tum in monte Caluariæ, tum deniq; de ligno pendēs pertulerit; non est profectò verisimile, tormenta illa spiritalia, quę in inferis & flammis gehennæ Christo persoluenda fuisse autumant Ministri Caluiniani, tanto silentio à cunctis Prophetis, Euangelistis, & Apostolis prætermissa fuisse, si quādo ea perpeti Dominum oportuisset. *Ioan.6. Matth.26. Marc.14. Luc.22.*

12. DO C. Sed omniū attentissimè exaudi, animoq; tecū diligenter perpende, quæ idem Saluator in cruce pendens de salutis nostræ causa, fonteq; pronunciauerit. Cùm enim omnibus corporis partibus læsus, felle & aceto potatus, iā iamq; animā suā in manus Patris redditurus esset, exclamauit, CONSVMMATVM EST. *Ioan.19.*

Quid, nisi salutis humanæ totum opus sanè laboriosum, & maximū mysterium? Ergo non supererat, *vt aliquas in inferorum gurgite profundo pœnas adhuc exsolueret. Non vt cum inferorum doloribus certamen subiret. Non vt irato aduersum se Deo in labyrinthum malorum proijceretur. Non vt diuinæ maledictionis horrore percuteretur. Non denique vt flammis inferni addictus, aut profundo gurgite inferni sepultus & obrutus periret*, vti hæc Satanæ mancipia commiscuntur.

13. MIN. Nullis certè verbis explicare possem, quantum me afficiant tam clara, tamque certa ex verbo Dei sumpta argumenta. Credo sanè ac cunctis Christianis credendū cēseo, Christi Dei ac hominis innocētissimi Deoq; gratissimi & carissimi minimam corporis lęsionem, minimam spinarum & clauorum compunctionem, minimam oculorum lacrymam, minimum pectoris gemitum, minimā sanguinis gutram, minimāq; animę angustiā, propter patientis personę circumstantiā atq; præstantiam, sufficientissimam fuisse ad totius mūdi reparationem: ac proinde nihil fuisse necessum, *vt flammas inferorum, aliasq; reprobatorū pœnas omnes animo persentisceret*, vt ista inferorum guttura euomere non reformidant. Et ita annuendo huic sanctissimę Catholicæ doctrinæ, nolo in posterum aliquid aliud scire ac
1. Cor. 1. & 2. prædicare, quàm IESVM CHRISTVM, & hunc, nō in gurgitem inferorum demersum ac perditum, vt perditissimi nebulones confingunt; sed in ligno crucifixum atq; pro me pendentem. Inter brachia eius & viuere cupio, & mori desidero. Securus illic habito: expādit enim manus suas paratus in amplexus peccatorum. Aliam nolo viam, alium ingressum non quæro, aliam mihi portam patere non postulo, vt ante thronum misericordiæ diuinæ prodeam, & gratiam inueniam in tempore oporturno. Patent enim mihi viscera misericordiæ summi Patris & Dei nostri, per vulnera vnigeniti Filij ac Domini nostri. Solū Iesum Christum & hunc crucifixum, tametsi Iudæis scandalum, Gentibus stultitiam, & Caluinianis damnatū & perditum, à cætero cum Paulo prædicabo, *Absit mihi gloriari*
Galat. 6. Hebr. 9. 10. 12. 13. *nisi in cruce ipsius. Et quicunq; hanc regulā secuti fuerint, pax super illos & misericordia Dei Israelis.* Qui-

Quicunq; aũt huius mortem corpoream, huius cruo 14.
rem, huius crucem, huius clauos, huius ſpinas deſpexe
rit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, anathe
ma. Quicunq; paſſionem eius tam acerbam, tam igno- *Hebr.10.*
minioſam, tam longam, atque tanta cum charitate,
obedientia, & tam patientia toleratam, *nihil ad ſalutem* *Inſtit. lib. 2.*
*noſtram egiſſe* cum Caluino dixerit, anathema. Quicun- *cap.16.§.10.*
que Chriſtum ſeu viuentem, ſeu mortuum, ſeu in cor- *in c.10. Ro.*
pore, ſeu in anima, omnia reprobis atq; dãnatis debita *verſ.6.& 7.*
in inferis ſupplicia pertuliſſe, atq; ſine his nihil de ſa- *Catech. Do-*
lute noſtra actũ pronunciauerit, anathema. Quicunq; *minic. 10. in*
illum in ea ſententia fuiſſe dixerit, vt in conſcientia *cap.22. Lucæ*
Deum ſibi aduerſum & iratum ſentiret, ſicq; in horri- *in c.26. Mat.*
bilem ſalutis ſuæ deſperationem caderet, anathema. *& in Pſ. 22.*
Atque hęc mea fides, hæc religio, cui (Deo bene iuuan-
te) perpetuò inhęrebo.

Superſunt tantùm quædam argumenta, quibus Cal- 15.
uinus innititur, diſſoluenda: his ſi feceris ſatis, rem mi *Obiection.*
hi grauiſſimam præſtabis. Primùm enim obiecit, Chri-
ſtum cum Apoſtolis ſuis cõquerentem dixiſſe, *Triſtem* *Matth.26.*
*eſſe animã ſuam vſq; ad mortem*: eundemq; expauiſſe, mœ- *Marc.14.*
ſtum pertæſumq; fuiſſe, inſuper & in graui certamine *Luc.22.*
conſtitutum ſanguineo ſudore maduiſſe: quæ omnia
maximam animæ anguſtiam, & triſtitiam indicant:
atq; ita non ſolùm in corpore ſuo, ſed etiam in anima
pro nobis paſſum eſſe. DOCT. Solutio in promptu
eſt, videlicet, quòd vt peccatum non ſolùm ad homi-
nis corpus, verùm etiam ad animam penetrat, can-
demq; ſimul inficit atque commaculat, & perdit; ſic
quoque Dominum & in corpore & in anima ſua dira
paſſum eſſe, vt vtrũq; ſanctificaret, redimeret, atq; ſal-
uaret. Paſſus verò eſt, non ea in vniuerſum atq; ſingil-
latim tormẽta, quæ perditis, ac in inferos demerſis ſce
leratis ac reprobis hominibus debentur, vt Caluiniani
impiè confingunt: ſed quę corã Deo Patre illis non tan
tùm æquiualerent, ſed & plus decerent atq; nobis pro-
deſſent. Hęc porrò ſunt quę ab eodẽ ac Euãgeliſtis ſpe- *Lucæ 1.& 2.*
ciatim frequenterq; cõmemorantur, vtpotè incarna- *Matth. 2.4.*
tionis humilitas, infantilis imbecillitas, fuga in Aegy-
ptũ, ieiunia, ſuſpiria, fames, ſitis, vigilię, humicubatio-

ries, conciones, peregrinationes, conuitia, calumniæ, mundi odia, proximorum contemptus, impiorum minæ, mortes sæpius intentatæ, summa hominū quibus benefecerat ingratitudo, discipuli proditio, Apostolorum scandala, captiuitas, vincula, sputa, verba, membrorum extensiones, totius corporis lacerationes, detracta non semel vestimenta, nuditates, cruentę spinę, grauissimę crucis impositio atq; baiulatio, pedū & manuum cōfossiones, cum sceleratis reputatio, omnium ordinū irrisiones & amarulenta scommata, inimicorū insultationes, amicorū derelictiones & abnegationes, neruorum violentæ extensiones, ossium & cōpagum dissolutiones: & vt paucis plurima cōprehendā, postrema ea exinanitio, *qua factus est Patri obediens vsq; ad mortem, mortē aūt crucis.* Huiusmodi fuerunt tormēta & supplicia tū corporis tum animę Christo à Patre cōstituta, Patriarchis cognita, in lege figurata, à Prophetis prędicta, ab Euangelistis renunciata, ab Apostolis toto orbe prædicata, & ab vniuersis Christianis hactenus credita & admirata; quibus clementissimus & amplissimus Saluator Deum Patrem nobis propitium reddidit, totius mundi delicta expiauit, & gratiam gloriamq; cunctis in eum credētibus & sperantibus meruit, si dignos pœnitentiæ fructus peregerint. Tales fuerunt pœnæ, quas non tantùm secundum corpus, quod sine animo prorsus impatibile est, verùm etiam secundū animam Christus pro nobis pertulit, quarum ratione dixit tristem esse animam suam vsq; ad mortem: tales anxietates, quę illum ad sanguineum sudorem impulerunt: tales mortis dolores, quibus impossibile fuit eum perpetuò detineri: talis disciplina pacis nostræ eidem imposita. Sic vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra. Hic calix quem dabat ei Pater vt biberet illum. Hoc redemptionis humanæ pretium. Hæ passiones & afflictiones, quibus tota scriptura salutem nostram refert acceptam. *Ecce*, inquit ipse Dominus, *ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus ad illudēdum, & flagellandum, & conspuendum: & cùm flagellauerint, occident eum.* Paucis omnia

Luc. 4. Io. 7. 8. 10. Ioan. 13. Mat. 26. 27. Luc. 22. Marc. 14. Ioan. 18. 19.

Philip. 2. Psalm. 21.

Heb. 7. 8. 10. Matth. 3. Act. 3.

Matth. 26. Luc. 22. Act. 2. Isaiæ. 53.

Matth. 20. Marc. 10. Luc. 18.

pcr-

perferenda complectitur: & in his nunquã tamen meminit flammarum inferni, demersionis in gurgitem perditorum, mortis secundæ, Diuinæ iræ in conscientia sua persensionis, desperationis, auraliorum abyssi ac damnatorum suppliciorum; quæ perditi ac pestiferi Prædicantes confingunt, voluntque sic præcipua Redemptionis fuisse remedia, vt sine his de ea nihil actum esset. Oblitus ne fuisset Christus potissimã passionum suarum, maximamq; salutis nostræ causam; vt ea quæ nihil (iuxta Caluinianos) ad rei nostræ subsidium faciebant, tam serio commemoraret, tamque frequenter prædicaret?

MIN. Animum meum sustentat & recreat lætitia non mediocris dum te audio tam piè doctèq; narrantem singulas pœnas, & dolores quos in corpore suo Dominus pertulit: tum etiam quemadmodum anima tota existens in toto, & tota in qualibet parte eiusdem corporis, tota cum eo affligebatur, tota angustiabatur, tota condolebat & contristabatur. Nec dubitãdum est, quot alapæ, quot punctiones, quot flagra & verbera, quot sputa, quot insultationes & opprobria eidem impacta fuêre; tot velut acutissimos gladios, quibus pijssima eius discinderetur anima, extitisse. Accedit, quod idem corpus Dominicum per Spiritum sanctum ex purissima & tenerrima Virgine concretum esset etiam purissimum, tenerrimum & delicatissimum: anima quoq; sanctissima, viuacissima; & eo magis subtilis, atq; illatarum sibi iniuriarum & plagarum supra quàm dici potest, sensibilis: quibus effectum credo, vt læsiones, quæ nobis leues sunt, ei fuerint grauissimæ & acutissimæ. Atq; si hanc Christi patientis circunstantiam pro dignitate expendissent profani & stupidi Ministri, merita corporeæ mortis & passionis eius potius extollere & magnificare, q̃ tã nequiter imminuere studuissent. 16.

*Isaiæ 7. Luce 1. Matth. 1.*

DOC. Sunt profectò & aliæ præter istam, Christi patientis circunstantiæ & conditiones, quę diligenter & probè meditatę passionum eius merita multo amplius nobilitant, & coram Deo ac Angelis gratissima, efficacissima, & saluberrima reddunt. Hę sunt, quòd vnicus, consubstantialis, coæternus esset Dei Filius; sicq; eius- 17.

*Mat. 3. 17. 18.*

dem cum Patre potentiæ, bonitatis, gratiæ, atq; infinitæ in homines benevolentiæ atq; misericordiæ: atq; ita idem erat Satisfactio, & is in quem peccatū admissum fuerat: creditor, & debitor: meritum, & compensatio: quiq; minima lacryma sua, minimaq; cruoris sui gutta placari facilè potuisset. Insuper, cùm enumeratæ passiones ab eo tolerarētur qui simul erat Deus & homo, homo inquam conceptus de Spiritu S. homo plenus gratia & veritate, homo in quo habitabat omnis pleni
*Ioan.1.* tudo Diuinitatis etiam corporaliter, homo corā Deo
*Colos.1.* purus, immaculatus, innocens, excelsior cælis, purior
*Heb.7.* cunctis Angelicis choris; qui non habuit necessitatem pro seipso prius offerre: certè passiones eius non potuerunt non esse infiniti pretij ac immensi valoris & meriti apud Deum. Adhæc, cùm vniuersa illius corporea passio ex incredibili in Patrem cælestē obeditione ac reuerentia, summa quoq; in genus humanum benevolentia & charitate prodierit, Christianis ambigere nō licet, quin longè magis grata & accepta fuerit Deo, quā
*Rom.5.* veteris Adami noxa molesta aut inuisa exstiterit. Quare quicunq; non crediderit Christi corporis in cruce suspensionem, sanguinis effusionem, & animæ in his omnibus condolentiam, sufficientissimam fuisse peccatorum nostrorum expiationē: sed his sua temeritate addiderit, *Omnia irati & punientis Dei signa, inferorum flammas, in abyssum extremā submersionem et damnationē*, aliasq; blasphemias à Caluino conflictas, & contra omnē scripturarum fidē adductas; nimis certè Diuini Patris misericordiæ, nimis sanctissimis Filij laboribus, nimis infinitæ Spiritus S. bonitati & gratiæ contumelioſus erit.

18. MIN. Hæc mihi ad priorem obiectionē sufficiunt. Su-
Obiectio. pereſt altera discutienda antequā huic disputationi finem imponamus. Aiunt Christum in extremos dolores redactū, lacrymas demisisse, & præ nimia angustia
*Matth.26.* magnū illum clamorem edidisse, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Indeq; cōcludunt animam illius quadā alia maiore tristitia affectā fuisse, ab ea quæ procedebat ex corporis coniunctione atque condolentia. DOC. Quatenus vel fuerit vel non fuerit Christus à Patre derelictus suo postea loco dicam: nunc tantū quæ

maxi-

maxima exſtiterit animę eius angũſtia & triſtitia explicabo. Quoniã primorum parentum, totiusq; poſteritatis eorum peccata, in ea pręſertim facultate animę, quę Voluntas ſeu appetitus liber dicitur, ſedem habent, totaq; conſiſtunt, Chriſtus quoq; in eadem tantã triſtitiã atq; contritionem ſuſcipere voluit, quantam ad illorum perfectam corã Deo expiationem neceſſariã eſſe nouerat. Itaq; intellectu ſuo attendens oĩa huius mundi ſcelera, præterita, præſentia, futura, imò verò etiam poſſibilia; & quantum Deus per hæc à ſuis creaturis ingratisq; ſeruis contemneretur & negligeretur; eadẽq; voluntati ſuæ offerens, vt quid de his ſtatueret; illicò tantam concepit de his triſtitiã, tantam mœſtitiam, & tantam contritionem, vt omnem verè reſipiſcentis animę pœnitentiam internam exuperauerit. Iſtud paulò apertius & ſingularius explico. Pijſſimus mundi Redemptor muneri ſuo facturus ſatis, attenta viuaq; animi cogitatione ſibi proponit oĩa ſcelera ſuperborum, ambitioſorum, auarorum, luxurioſorum, inuidorum, helluonum, furioſorum & negligentium; inſuper, omnium latronum, ſacrilegorum, parricidarum, maleficorum, veneficorum, proditorum, periurorum, inceſtuoſorum, adulterorum, blaſphemorum, hæreticorũ, apoſtatarum, idololatrarum, infidelium; omnia item peccata ſpiritalia & corporalia, interna & externa, cordis, oris, & operis; quæq; committi queunt contra Patrem, ſeipſum Filium, atq; Spiritum S. & inter iſta, inſtantem vnius Apoſtolorum ſuorum iniquiſſimam proditionem, reliquorum infamẽ turpemq; defectionem, Petri abnegationem, Thomę incredulitatem, Hebraici populi tam olim dilecti & cari reprobationem; atq; innumerabilium hominũ, qui ſe tam copioſæ & gratuitæ redemptionis indignos reddituri erant, ſummam ingratitudinem: hęc inq̃ & alia totius mundi ſcelera illicò expianda ſibi Chriſtus animo cõplectẽs, tãto illa odio proſequitur, abhorret, atq; deteſtatur propter Deum, cui inuiſa eſſe probè nouit, tantaq; totius cordis & animi pœnitudine dolet; vt par ei nemo vnquã fuerit. Atq; hęc fuit animi eius triſtitia, sũmaq; ęgritudo interna, quę vulnerum doloribus & laboribus, quos ſecundũ

carnem iam iam toleraturus erat coniuncta, quæ tristem vsq; ad mortem reddebat eius animam, quæ sanguineum sudorem exprimebat, quę in faciem procidere compellebat, quæ Patrem rogare prouocabat vt calicem à se transferret. Etenim si vnius tantùm Iudæ scelus tantam ei molestiam attulit, *vt turbaretur spiritu;* quanto putas maiore eum tunc affectum esse tristitia, quando omnia omnium hominum crimina sibi vidit fore eluenda? Hinc commemoratæ illius lacrymæ, hinc angustiæ, pauores atq; tędia, de quibus conqueritur, hinc clamor ille validus quo demirans Patris in cæteros homines bonitatem & misericordiam, in se verò patronum & redemptorem eorum iustitiam, & seueritatem, vociferatus est, *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Hinc denique graues istæ veteresq; conquestiones per Prophetas eiusdem Saluatoris nomine expressæ, *factum est cor meum tanquam cera liquescẽs in medio ventris mei. Aruit tãquam testa virtus mea, &c. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ*, id est, tribulationes, mœrores, & angustiæ, *vsq; ad animam meam. Propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam. Tu scis improperium meum, & confusionem meam et reuerentiam meam. Qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in vnum dicentes, Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum, quoniam non est qui eripiat. Deus, ne elongeris à me, &c.* Sic dolores nostros ipse portauit, attrit⁹ est propter scelera nostra, & disciplina pacis ac reconciliationis nostrę super eũ. Sic factus est vir dolorum, & sciens infirmitatem, liuoreq; eius sanati sumus. Sic percussus à Deo & humiliatus, inter sceleratos reputatus est, portans multorum peccata. Sic pro nobis dolens, obtulit sacrificiũ cordis contriti & humiliati; quod Deus Pater nõ despexit. Sic decebat eum propter quem omnia, per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passiones cõsummari.

*Ioan.13.*
*Matth.27.*
*Heb.5.*
*Psalm.21.*
*Psalm.68.*
*Psalm.70.*
*Isaiæ 53.*
*Psalm.50.*
*Hebr.2.*

19. Huiusmodi porrò fuisse perpetuam consonamq; Ecclesiæ Christianæ de angustijs & tristitia animæ Christi doctrinam, patet ex his SS. Patrũ testimonijs. Sicut meam suscepit voluntatem, ait Ambr. meam etiam accepit tristitiam. Et Hieron. Dolet pro nobis verè, non

*Lib. de fide, ad Grat.*
*Com. in cap. 53. Isaiæ.*

opinio-

opinione, vt hæretici (Marcionitæ, Manichæi, Valentiniani) ſuſpicãtur. Verè crucifixus fuit, vereq; doluit, dicens in Euangelio, *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem.* Manifeſtum eſt quod vt corpus flagellis cæſum & lacerum acceptæ iniuriæ expreſſa retinebat veſtigia, ita & anima verè doluit. Addit Cyrill⁹ Alex. Timuit mortem, & verè tremuit vt verus homo. Et Leo magnus, Participando in paſſionibus infirmitatis noſtræ, eas ſanabat; & ſubijciẽs ſeipſum timori pleno doloris, eo nos exonerauit. Dominus itaq; timore noſtro fremebat, vt noſtram conſtantiam ſua virtute ſtabiliret. Venerat diues & miſericors de cælo, & admirabili permutatione ſalutarem fecerat mercaturã. Tradidit ſuum, accepit noſtrum. Tradidit honorem, retulit contumeliam: dedit ſalutem, reportauit dolorem: & pro vita mortem. Fulgentius denique ita de his differit: Homo Chriſtus quoniam peccata non habuit propria, portare dignatus eſt aliena. Illorum autem a ſe voluit peccata portari, cum quibus tenebatur conſortio naturali, dicente Apoſtolo: *Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno omnes, &c.* Reſtabat ad plenum redemptionis noſtræ effectũ, vt illic vſque homo ſine peccato à Deo ſuſceptus deſcenderet, quouſque homo ſeparatus à Deo, peccati meriro cecidiſſet, id eſt, ad infernum & ad ſepulcrum: ſic tamen vt nec Chriſti caro in ſepulcro corrumperetur, nec inferni doloribus anima torqueretur. Quoniam anima immunis à peccato, nõ erat ſubdenda ſupplicio: & carnem ſine peccato non debuit vitiare corruptio.

*Lib. 9. Theſauri cap. 3.*

*Serm. 3. de paſſione.*

*Li. 3. ad Trasimundum c. 29. & 30.*

*Hebr. 2.*

MIN. Hæc incredibili gaudio & conſolatione cor meum ſuſtentant & recreant, ſimulque intellectum plurimũ illuſtrãt de corporeis doloribus, & angoribus animę Chriſti ſeruatoris: quandoquidẽ perpendo quãti fuerint apud Deum meriti atque virtutis, quo pretio redemptus ſim, quantum Filius Dei me dilexerit, & quanta pro ſalute mea pertulerit. Sed quoniam adhuc plurima reſtant examinãda, his finem imponamus, citatis tantùm aliorum Patrum de hac re locis, vt eos cùm plus otij nactus fuero, per meipſum & legere & meditari valeam. DOCT. Perlege igitur Iuſtini Mar-

tyris & Philosophi Dialogum; Tertullianum contra Iudæos, & aduersus Praxeam: Cyprianum sermon. de passione: Nazianzeni tragœdiam, quæ dicitur, Christus patiens; Athanasiũ aduersus Apollinarem, Hilarium libr. 2. 3. & 4. de Trinitate: Ambrosium in caput 22. Lucæ: Augustinum denique in Psalm. 21. 30. 68. 70. 83. & 93. MIN. Aliud persequamur.

## *QVOD CHRISTVS DE ANIMI sui AETERNA SALVTE nunquam dubitauerit: aduersus duodecimam, ordine verò 130. hæresim Caluinicam.*

DOCTOR.

EX præcedentibus deducunt erroribus, Christum de sempiterna animæ suæ salute non fuisse certum, sed ancipitem ac dubium: omnium probationum loco, varias in eorum vultus ructantes iniurias, qui hac in re eis aduersantur. Verba Caluini sunt ista: *Hîc nebulones quidam, licet indocti, malitia tamen magis quàm insciti a impulsi, clamitant me atrocem facere Christo iniuriam: quia minimè consentaneum fuerit eum de animæ salute timere.* *Instit. libr. 2. cap. 16. §. 12.*

Cõfutatio. 1. MINIS. Scio illum & hæc, & his longè grauiora aduersus animam Christi patientis in Harmonia sua effutire, à quibus, diuino seruante & docente me Spiritu, semper abhorrui: quandoquidem & ipse in hac re sibi manifestè contradicat, cùm alibi censeat, *Neminem se in numerum fidelium recensere posse, nisi qui certò sibi persuaserint, quod à Deo diligantur, licet sint indigni.* Atqui non auderet Christum referre in cœtum numerumque infidelium: tanta ergo securitate semper sibi persuasit, quòd Pater eum summo amore complecteretur, imò quod reapse erat Filius dilectus, in quo sibi complacebat, vt de animæ suæ salute nunquam ambigere debuerit aut potuerit. *In c. 1. Rom. vers. 7.*

2. Deinde, ista quam Christo tribuunt de salute dubitatio, omninò repugnat cum fidei à se constituta & tradita ratione. Aiunt enim: *Fides est certitudo in Dei bonita-* *Caluin. in ca. 21. Matth.*

*bonitatem recumbens, quæ dubitationem non admittit. Neque enim alios credere agnoscit Christum, nisi qui indubiè statuunt, Deum sibi esse propitium, nec hæsitant quin daturus sit quod petunt.* Beza quoque censet, *Fidem esse certam quandam scientiã, quã Spiritus sanctus magis ac magis inserat cordibus electorum: qua quidem quisque eorum certus sit de sua salute, nulloque pacto de illa dubitet.* Et iterum: *Oportet*, inquit, *vt vnusquisque priuatim apud se concludat, Sum in Iesu Christo per fidem, & proinde perire non possum: quoniam exploratam habeo salutis meæ rationem.* Quod si (eorum sententia) viro fideli nunquam licet de salute sua dubitare, quopacto Christus dubitauit? Et si vnusquisq; electionis suæ rationem exploratam habet, qua ratione Christus solus omnium de ea timuisset? Si quisque priuatim securus est, quòd perire nequeat, eo quòd per fidem sit in Christo Iesu; certè multo magis oportuit ipsum Saluatorem nihil de propria salute sua ambigere, nihilque de periclitante anima sua metuere: cùm ipse non solùm Saluator, sed & salus ipsa sit omnium saluandorum. *Conf. punct. 4. art. 5. & 13*

Ad hæc, Caluinus de eodem Christo ait alibi: *Fixa stetit fides in eius corde. Fide retinuit Deum sibi esse propitiũ. In eius diro cruciatu illæsa fuit eius fides.* Igitur, ita semper in Dei bonitatem recubuit, vt nunquam dubitârit se Deo esse charissimum & gratissimum; sicque nulla ratione perire posse. Et si fides nullam salutis dubitationem in nobis admittit, non potuit certè Christus in quibuscunque tormentis constitutus de salute sua dubitare. Aut profectò Caluinus Bezaq; Christo meliores & beatiores, qui de salute sua non ambigunt; Christus autem non modò aliquando dubitauit, sed etiam desperauit. Quis hanc furiosorum hominum amentiam non toto pectore execraretur? 3. *In cap. 27. Matt. v. 46.*

Insuper, fatetur idem Caluinus, Christum in tormentis suis *mansisse compositum ad veram temperantiæ regulam.* At magna est intemperantia, cùm quis de salute sua diffidens, animo frangitur. *Licet* (inquit) *Dei manu percussus, quia tamen non destitit esse mundi Seruator, cælesti potentia semper fuit præditus ad munus suum implendum.* Alio autem loco adfirmant, *De sua salute dubitare,* 4. *In cap. 26. Matth. v. 37. & 39. In cap. 22. Luc. v. 43.*

nihil

*nihil aliud esse quàm per infidelitatem aduersus Deum insurgere.* Aut ergo Christum per infidelitatem aduersus Deum insurrexisse, per horrendam blasphemiam dicant necessum est; aut nunquam de salute propria dubitasse, quod Caluinicam hæresim funditus euertit. Et qui potentia cælesti semper & vbique præmunitus fuit ad munus Seruatoris implendum, quomodo dæmones & tenebricosa sibi pertimuisset tartara? Nunquam ergo, nunquam mihi persuasero, hunc potentissimum Filium Dei, animæ assumptæ vel gratiæ vel gloriæ diuinæ timuisse amissionem.

5. DOCT. His adiunge, quod supra docuimus, sanctissimam Christi animam, à primo instanti creationis ac infusionis suæ in corpus, clarissima Diuinitatis visione, certissimaque fruitione perpetuò fuisse beatissimam & glorioſissimam. Enimuerò cùm arctissima omnium, id est, personali vnitione, Deo esset coniuncta; non decuit eam in illum velut latentem credere, aut velut absentem sperare; sed præsentissimo atque coniunctissimo perfrui: sicque nec de collata sibi ab initio summa gratia dubitare, nec de communicata sibi cælesti gloria timere. Ex quo sequitur eos, qui cum Caluino senserint Christū de salute propriæ animæ timuisse, vnionem eius hypostaticam cum Verbo, (vt facturum esse nouissimum Antichristum prædixit Ioannes) nefariè dissoluere. MIN. Dilucida profectò & certa sunt hæc omnia.

*Pagin.301.*

*1.Ioan.4.*

6. DOCT. Nunquid non etiam perpetuò fuit vnicus Dei Patris Filius, Verbum-Deus, lux mundi, homoq; plenus gratia & veritate? Nunquid non gloria cumulatus quasi vnigenitus à Patre? Num & Spiritus gratia donatus sine mensura? MINIST. Ita Ioannes affirmat: Paulus quoque adijcit, omnem Diuinitatis plenitudinem in eo habitasse etiam corporaliter: quapptter manifestè impijssimū est asserere, ꝙ aliquando de propriæ animæ suæ salute anceps ac dubius fuerit.

*Ioan.1.*

*Ioan.3.*

*Coloss.1.2.*

7. DOCT. Præterea, nouerat semper Patrem sibi omnia dedisse in manu; & quòd vt à Deo exierat, sic ad eum reuerteretur. Maxima namque constantia fæpè pronunciabat, *Vado ad eum qui misit me. Vado ad Patrem.*

*Ioan.13.*

*Ioan.7.8.14.16.& 20.*

*trem. Pater, ad te vado. Vado ad Patrem meum, & Patrem vestrum. Relinquo mundum, & vado ad Patrem.* MIN. Propria & diserta sunt apud Euangelistas Christi verba. DOCT. An non ergo hæreticus palam impius, & verbi diuini nefarius contemptor, dicens illum de salute animæ suæ timuisse?

Sed quid, te quæso, vel qua ratione, de salute & gloria æterna sibi pro certo reposita timuisset? Aut quis rectâ cælũ petentem animam eius prohibuisset? Pater, qui eũ vt seipsum infinito amore cõplectebatur; imò in eo erat, vt & Filius in eodẽ Patre? Angeli, qui eundem vt creatorem, Dominũ, caput & Saluatorem supplices adorabant & venerabãtur? Cacodęmones, quos solo verbo tremere, & de corporibus obsessorum exire compellebat: quique eum velut iudicem suum, ac Filiũ Dei reformidabant? Homo puluis & cinis, esca vermium, cibus ignium? Scilicet, exemplar totius innocentiæ, vas omnis sanctitatis, sanctus sanctorum, fons vniuersę & Angelorum & hominum salutis, Patris timuisset iudicium, cum quo eadem potestate, authoritate, æquitate & voluntate vniuersa iudicat. 8. *Matth.3. 17. Ioan.13. 14. Matth.4.25. 26.& 28. Heb.1. Luc.4. Heb.5. & 7. Dan.9.*

Tecum etiam atque etiam rogo, recogita, quàm absurdum & flagitiosum sit, dicere eum de propria salute dubitare, qui intrepidè pronunciat, *Volo Pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus:* & qui in grauioribus mortis certaminibus pœnitenti & inuocanti Latroni constanter promittit, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Quo enim ore, quo consilio alium de salute sua securum reddidisset, de propria dubius & anceps? Aut quomodo perditionẽ æternam sibi timeret fortitudo nostra, fremeret fiducia, salus ipsa periclitaretur? Aut denique, trepidæ sibique plurimum conscię animæ nostræ fiduciam salutis suæ construerent & stabilirent super fundamentum tam incertum, emotum, vacillans ac infirmum, quàm vestri fingunt Geneuani? MINIST. Iam profectò non dubito Satanam huiusmodi tetris hæresibus conari omnem fidem ac spem, quam in Christum habemus, subuertere; vt nos tandem in desperationem atque gehennam æternam secum abducat. De alio capite dicamus. 9. *Ioan.12. Ioan.17. Luc.23.*

IESVS

*IESVS CHRISTVS NVLLIVS VNquam sceleris conscius fuit: nec vt reipsa peccator iudicio Patris obiectus: aduersus 13. & 14. ordine verò 131. & 132. haresim Hugnosticam.*

DOCTOR.

DVplici rursum iniuria Christi SANCTITATEM ac INNOCENTIAM afficit defecatæ religionis vestræ, si superis placet, Author & magister. Prior scribens eum, *in assumpta hominis natura verè peccatorem, ac reum fuisse maledictionis diuinæ.* Id rursum apertius tradens ait: *Quomodo iusti sumus coram Deo? Certè omnino vt Christus peccator fuit.* At verò beati Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, electi omnes reipsa sancti, iusti ac innocentes sunt coram Deo: igitur & Christus (hæresiarchæ iudicio) reipsa verèque peccator, iniustus, ac nocens aliquando fuit. His si coniunxeris superiores Caluini criminationes contra eundem Christum, vtpotè, *quod mollitie animi mortem refugerit; vota inconsideratè emiserit, eademq; corrigenda & retractanda; rem impossibilem à Patre postulauerit;* tum denique, *quod Mediatoris officio fungi detrectauerit,* euidenter cōperies Caluinum plurima & grauissima peccata Christo Domino, vt propria & personalia tribuere.

*Calu. in c. 3. ad Galat.*

*Idem in c. 5. prime ad Corint.*

MIN. Quam verò hæresim posteriorem censes?

DOCT. Eam qua non horret inflatis buccis proclamare: *Vt pro nobis satisfaceret, reum ad Dei tribunal sisti oportuit.* Et iterum: *Oportuit eum sisti ad Dei tribunal, vt cunctorum nostrorum maleficiorum reus.* Habes igitur censoria Caluini virgula, Christū mundi redemptorem ac iudicem non solùm nostrorum, sed & propriorum peccatorum reum: ac denique talem oblatum coram diuino tribunali. Quid de his propositis existimas?

*In cap. 26. Matt. v. 46. Instit. l. 2. c. 16. §. 12.*

Cōfutatio. 1.

MIN. Si tantummodo scriberet, Christum vt vadem ac obsidem omnium nostrum Patris iudicio sese obtuliſſe, vt debitas delictis hominū pœnas exsolueret, sanè probarem atq; prædicarem, docēte Isaia, *Langores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Vulne-*

*Isa. 53.*

*ratus*

*patus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.* Rursumque Apostolo scribente, *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis factus est peccatum. Redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*: quæ omnia secundum Hebraïcam locutionem duntaxat pœnas & tormenta, quæ peccatis debentur: non autem peccatum propriè dictum, ac personalem in Christo culpam, significare, nec Caluinus ipse diffiteretur. Sed scribere simpliciter & absolutè illum fuisse ita peccatorem coram Deo, vt electi sancti sunt; multorumque delictorum, ac diuinæ maledictionis reum: ac talem oportuisse sisti ante tribunal diuinum: existimo hãc illatam Christo iniuriam, omnes eas superare, quæ à Iudæis, Iuda, Pilato, vel cacodæmonibus eidem vnquam illatæ fuerunt. Nam illi vel inuiti, palam confessi sunt, quòd bona opera multaque signa faceret; quòd esset iustus, sanctus, innocens, & à Deo ad nos de cælis transmissus; quòd esset Sanctus Dei, & Messias venturus in mundum: contrà verò egregius hic Reformator clamat, eum multorum criminum reum, maledictioni diuinæ obstrictum, talemque oportuisse sisti ante thronum Dei. 2.Cor.5. Galat.3. Ioã.7.11.19. Matt.26.27. Luc.4. Mar.1.

2. Nec veretur sese Spiritus sancti reuelationibus opponere, quibus asseritur esse *Agnus Dei* immaculatus ac innocens, *qui tollit peccata mundi*, tantum abest vt propria vnquam admiserit. Cùm etiam dicatur *plenus gratia & veritate*, procul ab eodem fuisse credendum est omne peccatum & mendacium. Ecquomodo coram Patre reus fuisset, qui semper fuit dilectus Filius, in quo ineffabili gratia & bonitate sibi bene complacuit? Sine cuius gratia & meritis, nullus vnquam sanctorum aut Angelorum aut hominum, Patri diuino fuit gratus? Aut quomodo reus, quem nemo vnquam coarguere potuit de peccato? Ioan.1. 1.Pet.1. Ierem.11. Ioan.1. Matth.3.17. Ioan.8.

3. DOCT. Equidem certiores nos facit Apostolus, *Christum tentatum fuisse per omnia*, sed semper peccatum excipit, addens, *absq; peccato*. Quis ergo vestrûm non abhorrebit hæresiarcham, clamantem eum fuisse reum, & multorum criminum conscium? Idemque Heb.4.

vir sanctus ostendit eum solum fuisse idoneum orbis Redemptorem, non sacerdotes Legis; eo quod fuerit

Heb.7. *Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus. Quiq; non habuit necessitatem* (quemadmodum sacerdotes Legis) *prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.* Itaque illum proprium ac idoneum fuisse mundi Saluatorem negat, quisquis alicuius delicti conscium, aut coram diuino tribunali reum oblatum fuisse cum Caluino contendit.

4. MIN. Reuera, diuini Patris conceptam aduersus hunc mundū indignationem auertere non potuisset, si eadem fuisset implicatus. Nec gratiam nobis mereri atque conferre, si diuinæ maledictioni ac iræ propter peccata propria subiacuisset. Quomodo etiam nobis vitam promercatus esset æternam; si reus, dignusque fuisset mortis? Aut cum Patre cælesti nos in gratiam reduxisset; si propter propria scelera cum eodem gessisset inimicitias? Aut cælesti nos benedictione cumulasset, si instar omnium nostrum diuina ira & male-

Heb.5. dictione fuisset obrutus? Quopacto etiam *exauditus fuisset pro sua reuerentia*; aut verè dixisset, *Scio Pater, quod semper me audis*, aliquorum delictorū reus, ac sibi con-

Ioan.9. scius; cùm peccatores Deus non exaudiat? Nunquam ergo reipsa peccator fuit Dominus, nunquam diuinæ maledictioni subiectus, nunquam reus ante diuinum tribunal oblatus est: sed innocens pro peccatoribus,

Psal.68. & iustus pro iniustis, vt secundum Prophetam, *quæ non rapuit, exsolueret.*

5. Supra quoque non semel ostensum est, Christum

Pagin. 313. etiam à primo conceptionis humanæ exordio, fuisse

Isa.11. repletum Spiritu sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ atque timoris Dei. Cum tanta verò gratiarum abundantia, nulla potest culpa commiscerì: sicut nec Deus cum diabolo, aut Christus cum Belial, aut lux cum tenebris conuenire. Sub quacunque ergo conditione aut forma consideretur Christus, semper iustus & sanctus, semperque Deo Patri gratissimus & carissimus fuit.

DOCT. Attende etiam te quæso, cuiusmodi fuerunt veterum Patriarcharum ac Prophetarū sacrificia, qui-

quibus futurum Messiæ cruentum ac viuificum pro mundi redemptione sacrificium adumbrabatur & significabatur. MIN. Non nisi profecto de volucribus aut animalibus mundis, intactis & ab omni prorsus macula puris. Nam cuncta immunda Deus procul à sacris suis facessere iubebat. DOCT. Oportuit igitur Dominum nostrum, vt pro nobis satisfaceret, non reum ad tribunal sisti diuinum, vt Geneuani blasphemant; sed prorsus innocētem, purum, iustum, & ab omni vitio liberum, alias nec veteribus prædictionibus obtemperasset, nec figuras implesset, nec pro peccatis nostris feciisset satis. *Exo. 12. 20. Num. 19. Leuit. 7. Deut. 14.*

Sed quamobrem rogo te, Abel à fatre cæsus, Ieremias & Zacharias lapidibus obruti, Isaias medio corpore serra dissectus, Machabæi excarnificati, Eleazarus ab impijs oppressus; alijque innumeri martyres, nec sua morte iram Dei placauerunt, nec fuso sanguine suo totius mundi potuerunt relaxare delicta? MIN. Quòd ante diuinum tribunal non essent per naturam omnino puri ac innocentes: sed saltem ob peccatum originis, debitores atque filij mortis. DOCT. An non ergo idem censendum & iudicandum esset de Christo, si verè peccator & diuinæ maledictionis reus, si plurimorum delictorum conscius, si denique peccatis commaculatus ad Dei tribunal accessisset? MIN. Prob, in quantam impietatem & blasphemiarum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius voraginem, sectatores suos Caluinus præcipitat? Rogo tantùm quædam veterum Patrum in rem præsentem adferas testimonia. 7.

DOCT. Pijssimus simulque doctissimus Bernardus post commemorata Christi in horto, in ædibus Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis supplicia; huiusmodi exclamatione eum compellat: Electe puer Dei mei, quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? Prorsus nihil. Ego, ego homo perditus, totius perditionis tuæ causa extiti. Ego Domine, vuam acerbam comedi, & dentes tui obstupuerunt: quia quæ non rapuisti, tunc exoluebas. In omnibus his non est satiata perfidorum Iudæorum impietas, &c. Et 8. *Bern. Serm. de Passione.*

&c. Et ad animam suam conuersus, idem ait: Cognosce anima mea, cognosce, hic est Dominus Deus noster, IESVS Christus Saluator tuus, vnigenitus Dei Filius, verus Deus & verus homo, qui solus sub sole sine macula inuentus est. Et ecce cum sceleratis quomodo reputatus est, & quasi leprosus, nouissimus virorum, æstimatus est tanquam abortiuum, quod proijcitur à vulua, sic proiectus est ab vtero matris suæ infelicis Synagogæ. Iste formosus præ filijs hominum, quam deformis factus est? Hic vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & factus in holocaustum suauissimi odoris in conspectu tuo, Pater æternæ gloriæ, vt auerteres indignationem tuam à nobis, & iustam iracundiam pro peccatis nostris conceptam. Respice Domine sancte Pater, de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, & intuere hanc sanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster sanctus puer tuus Dominus noster IESVS, pro peccatis fratrum suorum, & esto placabilis super multitudine malitiæ nostræ. Respice Domine, in faciem Christi tui, nec recedant ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuum, vt memineris quantam ab eo pro peccatis nostris satisfactionem receperis, &c. MIN. O verba verè aurea & mellifiua. Nam cor meum adeo penetrant, delectant, & accendunt, vt horum me nulla vnquam caperet satietas. Sed quoniam adhuc supersunt alia multa de diuinis istis mysterijs discutienda, tantùm ex Augustino quædam adijce, & satis mihi erit.

9. *Lib. Medit. cap. 7. tom. 9.* DOC. Christum pro nobis de cruce pendentem sic affatur: Quid commisisti dulcissime puer, vt sic iudicareris? Quid commisisti amantissime iuuenis, vt adeo durè tractareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mortis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium, ego tuæ passionis liuor, tui cruciatus labor. O mirabilis censuræ conditio, & ineffabilis mysterij dispositio! Delinquit reus, & vapulat innocens. Offendit impius, & damnatur pius. Quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat seruus, exoluit Domi-

Dominus: quod committit homo, sustinet DEVS. Quò Nate Dei, quò tua descendit humilitas? quò tua flagrauit caritas? quò processit pietas? quò excreuit benignitas: quò tuus attigit amor? quò peruenit compassio? Ego enim iniquè egi, tu pœna multaris. Ego facinus admisi, tu vltione plecteris. Ego crimen edidi, tu torturæ subijceris. Ego superbiui, tu humiliaris. Ego tumui, tu attenuaris. Ego inobediens extiti, tu obediens scelus inobedientiæ luis. Ego gulæ parui, tu inædia afficeris. Me ad illicitam concupiscentiam rapuit ardor, te perfecta caritas duxit ad crucem. Ego præsumpsi vetitum, tu subijsti eculeum. Ego delector cibo, tu laboras patibulo. Ego fruor delicijs, tu laniaris clauis. Ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem. Ecce Rex gloriæ, ecce mea impietas, & tua claret pietas. *En mea iniustitia*, & tua liquet iustitia, &c.

MINIST. Hæc mihi sufficiunt. Video namque vniuersos veteres Theologos, euidentissimis scripturis & rationibus innixos, totius passionis Christi causas in hominum peccata iure optimo reijcere: nusquam verò eundem Christum vt reum, aut diuinæ maledictioni obnoxium (instar Geneuanorum) traducere. Tantum quædam eorum obiecta dissolue. Isaias (inquiunt) scribit, *Dominum posuisse in eo iniquitates omnium nostrum*. Et postea: *Ipse multorum peccata tulit*. DOCT. Id soluunt Ministri Geneuani suis Annotationibus Gallicis in eum locum scribentes: Id debere intelligi de pœnis iniquitatibus nostris debitis, non de culpis. 10. Obiection. *Isaiæ 53*

MINIST. Obijciunt iterum, Paulum de Christo dicentem, *Pro nobis peccatum fecit*. Et iterum: *Misit DEVS Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne*. Affirmat quoque Petrus, ipsum pertulisse *peccata nostra in corpore suo super lignum*. Aut ergo (subijciunt) CHRISTVS reus fuit peccatorum ante tribunal Dei, aut Apostoli non vera locuti sunt. DOCT. Verè ac propriè loquuntur Apostoli, & Dominus IESVS in se semper innocentissimus, purissimus, & sanctissimus 11. *1. Cor. 5. Rom. 8. 1. Pet. 2.*

fuit coram Patre & Angelis eius. Sed quia in carne, quam ex hominum peccatrice specie assumpsit, tot tantaq; persoluit supplicia, quot quantaque necessaria fuerunt ad expiationem & satisfactionẽ peccatorum nostrorum, phrasi Hebraica, eademq; pereleganti, eadem peccata pertuliſſe dicitur. Nam Hebræi verbo ASSAM significant tam sacrificiũ expiatorium peccatorũ, quàm ipsamet peccata. Quinetiã Græci vocãt πάθαρμα oblationem, in quã effunditur pœna peccatis debita. Atque ita Prophetæ & Apostoli his loquendi formulis obseruatis, & Dominum IESVM vocant peccatum, id est sacrificium peccatorum expiatorium; & eundem nihilominus omni peccatorum suspitione atque reatu perpetuò liberãt. Aiunt enim, *Eum qui peccatum non fecit, pro nobis factus est peccatum, vt efficeremur iustitia Dei in illo. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, &c.*

2. Cor. 5.

1. Pet. 2.

## *QVOD CHRISTVS NVNQVAM SIbi persuaſit, Deum Patrem ſibi iratum eſſe, in odium eius ſe incurriſſe: aut quod eum exhorreret, deteſtaretur, deſereret, & malediceret; aut in æternum illum perderet: aduerſus 15. 16. & 17. Hugnoſticorum errores, ordine autem 133. 134. & 135.*

DOCTOR.

EOdem rursum spiritu plurimas vestri Ministri efflant aduersus Christum patientem blasphemias, asseuerantes quod sibi persuaserit Deum Patrem in se iratum habuisse animum; quodque ab eo malediceretur & relinqueretur; in ira denique percuteretur, perderetur, & in profundam mortis abyssum perpetuamque damnatorum ruinam detruderetur. Præcipui sectarij vestri verba sunt ista: *Species Christo obiecta est, quasi Deo aduerso, iam esset exitio deuotus, horrore correptus est. Dei alienationem mente concepit, prout sensus dictabat. Ad deprecandam mortem adactus fuit, cum iram Dei sibi*

In cap. 26. Matth.

*sibi propositam videret. Diuinæ maledictionis horrore percussus est.* Eadem repetit adaugetque maledicta, Institutionis libro secundo, capite decimosexto, §. 10. 11. & 12. Alij Geneuani Ministri Annotat. Bibliorum Gallicorum præceptoris errores sequuti, aiunt, *Il se sentit frapé en l' ire de Dieu, & abandonné. Sensit se percussum in ira Dei, & derelictum.* Quid de his tibi videatur, liberè dicito. *In cap. 27. Matt. v. 46.*

MIN. Non audeo. DOCT. Non audes? MIN. Non profectò. DOCT. Cur non? MIN. Quia statim me mordebunt magistri. Sed veritatis vis maxima est in vtramque partem. Proinde existimo superiora verba, velut perditorum hominum statim debere reijci, eò quòd in expresso Dei verbo non reperiantur. Nullus etenim Propheta, nullus Euangelista, nullus Apostolus vnquam scripsit, Deum Patrem Filio suo fuisse aduersum ac iratum: Christum exitio aut perditione deuotum, aut huius exitij horrore correptum: vel eum mente concepisse Deum à se alienatum. Nullus Sanctorum vnquam sensit aut docuit, Christum percussum fuisse in ira, vel maledictione Dei, vel ab eodem penitus derelictum. Ideoque maximam temeritatem impudentiamque censeo, isthæc sine vllo verbo Dei confingere ac inuehere. Plantationes sunt, quas non plantauit Pater cælestis. *Matth. 15.* Cõfutatio. 1.

DOCT. Imò verò tantum abest vt Pater alienum à prædilecto Filio animum vnquam habuerit: vt è contrario, coram vniuerso mundo palam testatus sit. Hunc esse Filium suum longè carissimum, in quo sibi bene complacuit. Putaresne illum suam mutasse sententiam, & amorem in odium, delectationemve in contemptum traduxisse? Aut Filium patiendo illud ipsum Patris oraculum obliuioni mandasse, aut fictitium falsumue existimasse? MIN. Id nullo modo verisimile est. Quinimò cùm semper exploratum habuerit, eundem Patrem suum esse totius veritatis atque synceritatis fontem, impossibileque illum mentiri aut quemquam fallere; nunquam suspicatus est se illi esse vel ingratum vel inuisum. Rectè quippe nouerat omnem Dei iram in peccatores accensam esse, nõ autem *Matth. 3. 17.* *Hebr. 6.* 2.

in seipsum omnis iustitiæ & sanctitatis exemplar: & vniuersas passionis suæ causas in peccatis hominum collocari, non autem in præclaris atque diuinis suis virtutibus.

3. DOCT. Sed neque debuit aut voluit eum Pater reijcere, maledicere, aut exhorrescere, quòd sanctissimis decretis suis obtemperans vadem ac sponsorem pro nobis seipsum daret; imò magis ac magis eum diligendi causam habuit: & ea propter palam confidenterque idem Christus adfirmat, *Pater diligit me, quia pono animam meam pro ouibus meis, vt iterum assumam eam.* Quid ni dilexisset semper Filium consubstantialem, coæternum, coæqualem, sibi tam morigerum, vt eius gratia factus esset obediens vsque ad mortem crucis? Opprobrium hominum, & abiectio plebis?

Ioan. 10.

Philip. 2. Psal. 21.

MIN. Reipsa sese tam frequenter efferendo de Patris summo in se amore, satis patefacit illum nunquam in se excanduisse, nunquam penitus dereliquisse. *Pater & ego* (inquit) *vnum sumus. Pater me sanctificauit, & misit in mundum Pater est in me, & ego in Patre. Pater, gratias ago, quod semper me audis. Ego sum in Patre, & Pater in me est. Ego diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi, sic facio. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Pater amat vos, quia me amastis.* Feruida denique ac præcellenti oratione ista satis euincit, quàm sanctè perpetuoque ipsum Pater diligeret: *Pater*, inquiens, *venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te. Nunc clarifica me Pater, apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus fieret. Ego ad te venio Pater sancte, &c.*

Ioan. 10. 11. 13. 14. 15. & 16.

Ioan. 17.

4. DOCT. Verè non sunt hæc verba hominis Deo inuisi, à Deo maledicti, aut perditi, vt Caluinus blasphemat; sed è contrario, Filij carissimi atque dilectissimi. Nunquam autem potuit tanta amoris paterni fiducia ex conscientia Filij deleri. Aquæ multæ passionum nequaquam potuerunt hanc Patris & Filij mutuam caritatem extinguere. Alioqui quomodo

Cant. 8.

vera

vera permansissent ista pronuncìata, *Maneo in Patris dilectione? Ego sum in Patre, & Pater in me est? Pater in me manens, ipse facit opera? Pater mecum est, & non dereliquit me solum?* Patrem optimum in nos demulcendo, eum in se exacerbasset? An non semper sine rapina vllave iniuria, arbitratus est se esse æqualem Deo? *Philip.2.*

MIN. Tot testimonijs conuicti & damnati, non video sanè quid hiscere possint, nisi effugiũ istud quærant, Quod Pater exosum Filium habuerit, non quatenus secum Deus esset, sed quatenus formam serui assumpsisset. 5. Obiection.

DOCT. At nullis vnquam scripturis euincere poterunt Patrem secundum vnam formam dilexisse Filium, & secundum alteram cum odio habuisse: imò sub quacunque spectetur conditione, eundem (vt probauimus) dira quæque perpetientem, obsequentissimum, ac humillimum, & perpetuò, & tanto amore complexus est, vt propter diuinum eius amorem & charitatem cunctos in eum credentes & sperantes in filios, & eiusdem Filij cohæredes assumpserit. *Dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* *Ioan.1.* *Gratificauit nos in dilecto Filio suo.* *Ephes.1.* *Transtulit nos in regnum Filij dilectionis suæ, &c.* *Colloss.1.* Ad hæc, huiusmodi turpi effugio Christum, vt olim Nestorius, in duas personas secernunt, quarum vna Deo grata, altera verò inuisa fuerit: sicque negant Verbum caro factum, & Antichristi nequitiam auspicantur, qui (vt Ioannes indicat) dissoluere conabitur perfectam maximamque illius diuinæ cum humana natura coniunctionem hypostaticam. Paulo etiam somnia sua obijciunt, frequenter asserenti, Vnicum esse Dei & hominis Filium, vnum Dominum IESVM, vnum mediatorem & redemptorem. *Ioan.1.* *1.Ioan.4.* *Ephes.1.4.* *1.Tim.2.*

MIN. Nec adhuc tamen se victos fatebuntur, sed replicabunt, Patrem quidem, quantum ad se attinet, Filium patientem non odisse: sed Filium cùm tam durè tractaretur, id de Patre existimasse & sibi persuasisse. 6.

DOC. His verò primùm sibi apertè contradicunt, atqui propriam hæresim refellunt. Deinde, nouã IESV Christo impingunt iniuriã, affirmantes eum falsa de Patre suo opinione delusũ, sibi aliter de Patris dilectione per-

*Lib. 1. cont. Academic. c. 4. & li. 1. retractat. ca. 1.*

suadendo in animo, quã reipsa foret. Nam error (ait Aug.) est approbatio rei falsæ pro vera. Atq; sic in terrimã hæresim dilabuntur, dum aliã conantur effugere. Præterea, cùm alibi statuunt quoslibet fideles ac pios sibi omni cõstantia persuadere debere, se Deo gratos, caros, ac electos esse: necesse est profectò vt idipsum animo sibi Christum etiã cùm pateretur, retinuisse fateantur: aut eundem cum ingratis ac reprobis connumerent.

MIN. Nihil amplius video, quo possint suam communire ac tueri opinionem, nisi dicant, Deum maximo odio peccata persequi, horumque authores vehementer auersari, secundum illud. *Similiter est odio Deo impius, & impietas eius.* *Altissimus odio habet peccatores.* *Deus est non volens iniquitatem. Sicut fluit cera à facie ignis, sic peccatores à facie Dei.*

*Sapien. 14. Eccli. 12. Psalm. 5. Psalm. 67.*

DOCT. Et nos idipsum longè constantius affirmamus, & feruentius prædicamus: sed pernegamus Christum vnquam aut verbo, aut cogitatione, aut opere in aliquem peccasse: atque sic in Patris iram vel maledictionem aliquando incurrisse.

MIN. Eadem tecum etiam mihi de innocentissimo & beatissimo Redemptore persuadeo: atque ideo aliam instituamus disputationem.

## *DEVM PATREM NVNQVAM REipsa omninove Filium suum cùm pateretur, deseruisse: aduersus 18. hæresim, numero autem 136.*

DOCTOR.

PRoficientes in peius Vestri, suadere conantur Christi humanitatem fuisse in passionibus ac tormentis suis omninò & reipsa à Diuinitate relictam. Nam Gallus hæresiarcha de illo scribit: *Alienationem Dei mente concepit, prout sensus dictabat.* Et paulò antea: *Nec verò fictè, nec theatricè conqueritur se à Patre relictum.* Easdem cumulans in Christum contumelias, ait in suo Catechismo: *Torqueri hac anxietate eius conscientiam oportebat, ac si derelictus à Deo esset: imò*

*In cap. 27. Matt. v. 46. Instit. li. 2. ca. 16. §. 12.*

ac si

*ac si Deum haberet infestum. In his angustijs erat, cùm exclamaret ad Patrem, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Et cum ætate, crescens in iniquitate easdem repetiuit & auxit blasphemias, Com. in cap. 10. Epistolæ ad Hebræos, vers. 31. & Com. in Psalm. 22. iuxta Hebraicam supputationem, vers. 2. Tum etiam Geneuani post eum Ministri, in suis Biblijs Gallicis, absolutè scribunt: *Il se sent frappé en l'ire de Dieu, & abandonné: Sentit se percussum in ira Dei, & derelictum.*

MINIST. Non me latet vulgatissimam esse inter Caluinianos istam sententiam: sed quid de ea sentiam liberè pronunciare non ausim, perpendens ex vna parte istas Domini querelas, *Deus meus, Deus meus vt quid me dereliquisti:* ex altera verò non satis intelligens aut quando, aut quomodo eum Pater dereliquerit. Interim paratus est animus id de hac re credere, quod expresso Dei verbo, à sanctis Patribus explicato probaueris. DOCT. Ita ergo facilè & apertè ex verbo Dei tecum ago: Credis æternum Dei Filium naturæ nostræ personali vnitione verè hominem factum? MINIST. Toto corde credo & ore confiteor, quoniam Ioannes dicit, *Verbum caro factum est.* Paulus quoque prædicat eum *factum ex semine Dauid secundum carnem.* Item, *factum & natum ex muliere.* Isaias denique appellat eum EMMANVELEM, id est, Deum nobiscum. Idemque frequentissimè seipsum nominat, Filium hominis. DOCT. Credis rursum hanc humanitatem ex corpore & animo conflatam, nunquam seiunctam diuulsamque fuisse ab eiusdem Filij Dei hypostasi, ex quo semel ab eadem assumpta fuit? MINIST. Credo animam Christi per mortem eius in cruce, triduo quidem separatam fuisse à proprio corpore: sed neutrum seiunctum à Diuinitate, ne in hæresim impiorum Nestorianorum incidam, qui Diuinitatem ab humanitate in Christo nefariè distraxerunt. Nec vnquam ab ista non solius Damasceni, sed & cunctorum veterum Theologorum sententia discedam: Quod semel Verbum assumpsit, nunquam dimisit. DOCT. Quid ergo iudicas de his Caluinianorum sententijs, *Christus homo alienationem*

Confutatio 1.

*Ioan. 1.*
*Rom. 1.*
*Galat. 4.*
*Isaiæ 7.*

*nationem à Deo mente concepit. Verè à Deo relictus fuit. Hac conscientiæ anxietate tortus est ac si à Deo derelictus. Sensit se in ira Dei derelictum?* MIN. Si relictam humanitatem sic intelligant, vt tunc non esset per eandem hypostasim aut personam Deo verè coniunctam ac vnitam; sed ad tempus separatam & derelictam: non tantùm Nestorij reparant sacrilegia; sed incarnationis mysterium denegantes, totius fidei Christianæ præcipuum subuertunt fundamentum. DOCT. Scitè profectò ac piè colligis. Nam ita sentientes abnegant hos Apostolici symboli articulos, *Credo in Iesum Christum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, sepultus, descendit ad inferos.* Paulum etiam affirmantem Iudæos, *Dominum gloriæ crucifixisse*, accusant mendacij; nequiterque præclaram Centurionis confessionem istam, *Verè Filius Dei erat iste, Verè hic homo iustus erat*, nituntur obscurare. Itaque certum & manifestum est, Christum hominem nunquam vel ante mortem, vel in morte, vel post mortem à Diuina natura, cui personaliter vnitus erat, verè ac reipsa derelictum fuisse.

Symb.

1. Cor. 2.

Matth. 27.

2. DOCT. Placet audire pe antiquum perdoctumq; veterem Theologum, beatum Fulgentium intelligo, de his grauiter differentem? MIN. Iucundum & commodum erit. DOCT. In hoc diuinitas Christi, inquit ille, virtutem suæ impassibilitatis ostendit, quæ vbique semper atque ineffabiliter præsens, & secũdum animam suam in inferno sine doloribus fuit; & secundum carnem suam in sepulcro sine corruptione iacuit: quia nec carni suæ defuit, cùm animam suam in inferno dolere non sineret, nec animam suam in inferno deseruit, cùm in sepulcro carnẽ suam à corruptione seruaret. Dignum namque fuit, vt carnem sepulcri non corrumperet locus, quàm peccati non corrupit affectus: & animam dolor non contingeret inferni, quam seruitus nequiuit tenere peccati. *Et postea*: Christus secundum Diuinitatem suam, quæ nec loco tenetur, nec fine concluditur, totus fuit in sepulcro cum carne, totus in inferno cum ani-

Lib. 3. ad Trasim. cap. 31. & 34.

anima. Ac per hoc plenus vbique fuit Christus, quia non est Deus ab humanitate separatus; qui & in anima sua fuit, vt solutis inferni doloribus, ab inferno victrix rediret; & in carne sua fuit, vt celeri resurrectione corrumpi non posset. Hæc ille, quibus apertè conspicis Verbi diuinitatem nec animam eius à carne diuulsam, nec carnem ab anima seiunctã vllatenus de reliquisse. MIN. Id & constantissimè credo, & in ore ac oculis omnium confiteor.

DOCT. Quid verò de diuino fauore, & gratia, 3.
cunctisque Spiritus sancti muneribus, quibus sanctissima eiusdem Christi anima, etiam à primo creationis & infusionis suæ momento exornata & cumulata fuit, sentiendum existimas? His ne eandem exutam, ac destitutam fuisse quando cum suo corpore patiebatur, iudicas? MIN. Minimè gentium: quandoquidem diuina gratia tantummodo per peccatum, quod ei penitus aduersatur, tolli possit: Christum autem perpetuò sanctum, innocentem, Deoque Patri longè carissimum & gratissimum fuisse nunc euicerimus. Deinde Paulus disertè confirmet, in eodem habitasse omnem plenitudinem Diuinitatis. Isaias denique constanter prædicet, super eum requieuisse Spiritũ sapientiæ, scientiæ, intellectus, & timoris Dei. DOC. Iam ergo expresso Dei verbo cõprobatum vides, sanctissimam Christi humanitatem tempore passionis suæ non fuisse à Diuinitate derelictam, quantum ad hypostaticam vnitionem pertinet. Deinde, nec spoliatam ea gratia, innocentia, sanctitate, & puritate, qua Deo Patri erat gratissima & acceptissima. MIN. Id etiam ex animo confiteor verissimum esse. Restat igitur, vt exponas, quonam sensu dolens conquestus est, se à Patre derelictum esse.

*Coloss. 1. 2.*
*Esaiæ 7.*

DOC. Id factum est præsertim secundum corpus 4.
assumptũ mortale & patibile. Istud namq; sic verè derelictum est à Patre crudelitati Iudæorũ & Gentilium vexãdum, distorquendũ, flagellandum, conspuendũ, configendum, & occidendum; vt nullo tunc cælesti auxilio, nulloque diuino miraculo eid. m subuentum fuerit. In illud ergo accepta omni potestate, tanto odio

tanta-

tantaque feritate & rabie hostes sæuierunt, vt regius
Psalm.21. Propheta eos cum tauris pinguibus, cum leonibus rapientibus & sęuientibus, cum canibus efferatis, cumq; cornibus vnicornium effecerit simillimos. Nam sine vlla humanitatis ac commiserationis particula comprehensum in horto, durissimis vinculis constrinxerũt, rapuerunt, & per diuersa Iudicum subsellia pertraxerunt, ac si omnium totius mundi scelerum conscius esset Dominus. Huius prædæ illecebris flagrantes falsis criminibus aduersus Deum, templum, legem, gentem, Cæsarem, accusarunt: colaphis cęciderunt; in vultũ eius fædissima sputa iecerunt, illuserunt, sicarium ac homicidam ei anteposuerunt, & nudatum, columnæque alligatum flagris ita notarunt, vt à planta pedis vsque ad verticem capitis pelles & carnes eius horrẽdum in modum discinderint ac deformarint. Ad hęc, acutissimis cruentissimisq; sentibus coronatum tenerrimum caput eius vt magis ac magis infigerentur, percutientes, ac in regni vsurpati ignominiosam suspitionem irrisionemq; vili purpura indutum, & arundineo sceptro manui inserto omnium impiorum libidini deridendum & illudendum exposuerunt. Nec his contenta hostilis rabies, importunis vociferationibus Pilatum impulerunt, vt eum crucis supplicio cunctorum crudelissimo atq; probrosissimo adiudicaret. Itaque huic morti adiudicatum grauissima cruce eum onerant, & à prætorio vsq; ad verticem Caluariæ montis per 1321. gressus sic oneratum raptant; iterũ nudant, super ferale lignum extendunt, pedibus & manibus vbi neruorum maior concursus, affigunt; sursumque inter duos latrones, quasi eorum socium atque ducem moriturum, in conspectu amicorum & inimicorum
Psalm.21. ita extendunt ac sustollunt, vt facilè quis omnia ossa
Luc.23. sanctissimi corporis eius dinumerasset. Tunc porrò
Matth.27. ab altero latronum blasphematur, & à pontificibus, à scribis & Pharisæis, à prætereuntibus & astantibus, à
Ioan.19. militibus & magistratibus, innumeris opprobrijs di-
Psalm.68. uexatur & illuditur, in ardentissima siti felle & aceto potatur. Insuper, effusè ac vndique sanctissimi cruoris riuis currentibus, sic cunctis humanæ naturæ viribus

deſtituitur, & acutiſſimis doloribus opprimitur, vt iam iamque omnium terribilium terribiliſſimum mors pro certo immineret.

Cæterùm, cunctis doloribus, anguſtijs & mœroribus iſtis ſecundum hominem tunc expoſitum Chriſtum, nec Pater cæleſtis liberauit, nec Angeli defenderunt, nec Apoſtoli recreârunt, nec amici ſuſtentârunt, nec curati ab eo, conſolati ſunt eum; nec pars animæ ſuperior ac beata tam miſerè affectam inferiorem vllo modo iuuit. Sic ergo ab omnibus derelictus & afflictus, à nemine verò conſolatus, ad Patrem cæleſtem cuius decreto patiebatur, piè confugit, & admirans profundiſſimos miſericordiæ atque iuſtitiæ illius theſauros, quibus Filium tam acerba perpeti volebat, vt ſeruos ingratiſſimos ſaluaret, cum clamore valido & lacrymis apud eundem hac luctuoſa voce conqueritur; *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Scilicet iuxta ſingulas corporis mei partes, in omnium tormentorum & dolorum generibus: & iuxta inferiorem animæ corpori compatientis portionem in grauiſſimis mœroribus, & mortalibus anguſtijs. *Hebr. 5.* *Matth. 27.* *In te ſperauerunt patres, & liberaſti eos. Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi. Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis. Omnes videntes me, deriſerunt me, &cæt.* *Pſalm. 21.* Deus meus, qui Noë ex diluuio, Abraham de Vr Chaldæorum, Iſaac de gladio patris, Iacob de manu fratris, Iſraelem de Aegypto, Ioſeph de carcere, Dauidem de manu Goliæ, Ionam de ventre ceti, tres pueros de camino, Danielem de ore leonum, Suſannam de ſupplicio, Tobiam de cacodæmonis poteſtate, Ezechiam à morte, & Ieremiam de fœtido carcere magnificentiſſimè quondam liberaſti, quare me abſque vllo cæleſti auxilio dereliquiſti? Quare oculos meos lacrymis, aures opprobrijs, genas alapis, odoratum fœtoribus, faciem ſputis, pilos vellicationibus, linguam ſiti, palatum ariditati, os felli & aceto; communem ſenſum mortis apprehenſioni, totumque caput ſpinis acutiſſimis ſubieciſti? *Geneſ. 8.* *Geneſ. 12.* *Gene. 22. 32.* *Exod. 14.* *1. Reg. 17.*

Deus

Deus meus, qui tot in cæcos, surdos, mutos, obsessos, leprosos, paralyticos, mortuosq; edendorum miraculorum virtutem & potestatem mihi largitus es, quare manus meas & pedes meos durissimis clauis terebrandos, crura & brachia distendenda, ossa dinumeranda, venas aperiendas, corpus lacerandum, sanguinem effundendum, omnia viscera crucianda, pectus suspirijs vexandum, omnem denique vitam acerbissima morte terminandam dereliquisti? Deus meus, qui gloriam tuam tanto seruas studio, quique seruos tuos tanta curas diligentia, quare Vnigeniti Filij tui famam hominum reproborum calumnijs, innocentium opprobrijs, sanctitatem vituperationibus, vitam exprobrationibus, veritatem mendacijs, miracula criminationibus, prædicationes reprehensionibus, vniuersam denique gloriam obtrectationibus obscurandam & vexandam reliquisti? Deus meus, iudex viduarum, pater orphanorum, patientia afflictorum, tristium lætitia, omniumque desolatorum suprema consolatio, quare me in tantæ miseriæ profundo absque vlla cælesti visitatione dereliquisti? Deus meus, qui alleuas omnes qui corruunt, & erigis omnes elisos, illuminas cæcos, prope es omnibus inuocantibus te in veritate, voluntatem timentium te facis, deprecationem eorum exaudis, & saluos eos facis: sed neque pullos coruorum aspernaris, quare sic me deseris in manibus carnificum? Quare me sic committis insolentijs militum, crudelitatibus lictorum, sibilis gentium, & immanitatibus ludæorum? &c.

*Esaiæ 42.* *Psalm. 64.* *Psal. 144.* *Psal. 146.*

5. Huiusmodi fuerunt pro certo iustissimæ Redemptoris nostri querimoniæ, hoc sensu à Patre se derelinqui conquestus est; non quomodo improbi comminiscuntur Caluiniani, sed quomodo tradiderunt sanctissimi Euangelistæ, & nos ex beatorum Patrum veterum doctrina pro viribus explicauimus. MINISTER. Ille, ille profectò qui huiusmodi querelæ causas non existimauerit satis idoneas & iustas, erit mihi ferro & quauis incude durior, saxumque carnei cordis loco gerere censebitur. Sed ad horum maiorem confirmationem aliqua veterum testimo-

nia

nia in medium adducas vehementer te rogo & obsecro.

DOCT. Tertullianus vir Apostolicorum temporum, sic de hac re scribit: Pater cum (Christum) sic reliquit, dum non parcit; sic reliquit, dum tradit. Cæterùm, non reliquit Pater Filium, in cuius manibus spiritum suum posuit. Ita relinqui à Patre, mori fuit Filio. MINIST. Certè hic nullam audio Dei alienationem, nullam conscientiæ anxietatem, nullam cum Patre inimicitiam, nullam aduersus Filium iram in qua percutiatur vel derelinquatur, vt Caluiniani confinxerunt. *Lib. contr. Praxeam.* *Ioan. 19.*

DOCT. Adamantius Origenes patre martyre natus, martyrij & ipse auidissimus, multorumque vtriusq; sexus martyrum præceptor, superiorem Christi querelam sic exponit: Derelictus fuit comparatione gloriæ illius quam habuit apud Patrem, ad confusionem quam contemnens, sustinuit crucem. MINIS. Ergo nec simpliciter aut absolutè derelictus fuit, aut percussus in ira Patris, quemadmodum improbi comminiscuntur. *Hom. 35. in Matth.* *Ioan. 17.* *Hebr. 12.*

DOCT. Quòd etiam reipsa Deitas non recesserit ab homine patiente, his verbis tradit Epiphanius: Non separata Deitate, & seorsim humana natura existente, dicebat hęc, *Deus meus, vt quid me dereliquisti*, velut alius & alius. Volebat enim Deitas omnia perfici, quæ ad pacis mysterium pertinebant. MIN. Hęc porrò fuisse tormēta, quæ in corpore suo super lignum crucis pertulit, vnde & mors consequuta est, nemo Christianus dubitare potest. 6. *Cont. hæres. 69.* *1. Pet. 2.*

DOCT. Et Cyrillus magni concilij Ephesini prò Leone summo Pontifice præses, ait. Opus erat certè ad fidem nostram, etiam in ipso passionis tempore, verum se hominem esse ostendere. Ideo ne quis dubitare posset, vt homo clamabat, *Deus meus, Deus meus, cur me dereliquisti?* 7. *Lib. 10. Thesaur. cap. 3.*

Doctissimus quoque Hieronymus hanc derelictionem ad solam carnem pertinere docens ait: Humanitas loquitur quomodo derelicta fuerit in Adā, quando præce- 8. *In Psal. 21.*

præceptum transgressus est. Vel in passione derelictus Christus pro parte carnis.

9. *Serm. 17. de Pass.* Maximus quoque Christianorum Pontifex Leo de hac re inquit: Sic Pater non abiungebatur à Filio, quemadmodum caro non diuidebatur à Verbo. Ideo ergo clamabat dicens: *Quare me dereliquisti?* vt notum omnibus faceret, quare oportuerit eum non erui, non defendi; sed sæuientium manibus derelinqui: hoc est, Saluatorem mundi fieri, & omnium hominum Redemptorem, non per miseriam, sed per misericordiam: nec amissione auxilij, sed definitione moriendi.

10. *Serm. 5. de verb. Isaiæ.* Mellifluus denique Bernardus ait: Si pendentem consideres Christum, si hunc crucifixum attendas, ibi maximè euidentissimeque eum sub Patre reperies. Dicere ne audebimus, quod aliquando etiam fuerit sine Patre? Nemo id præsumeret, si non prior ipse dixisset, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Quasi quædam enim ibi derelictio fuit, vbi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio, nulla ostensio maiestatis. MINIST. Mihi plusquàm faciunt satis septem isti tam Græci quàm Latini præstantissimi Patres; nec dubito cunctos alios eiusdem esse sententiæ: nimirum, Christum in cruce derelictum esse, vt omnia in corpore suo pateretur, quæ ad perfectam humanorum delictorum expiationem erant necessaria: non autem vt vel à Deitate, vel à Patris gratia secundum animum derelinqueretur. Ad aliud igitur caput procedamus.

## CHRISTVM IN CRVCE NVNQUAM DESPERASSE, *quantumuis acerbos pertulerit dolores: aduersus 19. hæresim, ordine verò 137.*

DOCTOR.

NON tam mirum, quàm miserum & lamentabile est, Vestros censores in illud blasphemiarum incidisse barathrũ, vt desperati animi horribile crimen

crimen Domino nostro IESV CHRISTO tribuere non reformidauerint. Idq; verbis primùm obscuris & ambiguis, sed tandem apertis: tali etiã impietate lætantes, ac si quid egregium laudeq; dignum commenti essent. MIN. Quænam sunt obscura illa verba, quę commemoras? DOC. Hæresiarcha initio instar serpentis sub gramine latenter repentis, abstinet horrendo DESPERATIONIS nomine: sed circuitione vsus, peccatum illud tantùm describit, Christoq; affingit, *dicens eum de salute sua timuisse: reum ad Dei tribunal stetisse: eundemq; Deum Patrem sibi infensum, atq; in ira sua eum maledicentem atque percutientem exhorruisse.* Deinde suas magis ac magis insinuans & aperiens blasphemias, prædicat *eum in profundo inferorum gurgite demersum atq; sepultum, omnes sceleratorum & damnatorum pœnas pertulisse: hoc vno excepto, quòd doloribus mortis non poterat semper detineri.* Nõne hîc occultè seminat, vt postmodum apertè colligat, eum prorsus animo fractum DESPERASSE? MINIS. Certissimum est, animo sibi malè conscio, & in ira Dei percusso, damnato, & maledicto, nihil aliud superesse, quàm misera desperatio. Rursum, si Christus omnia irati & percutientis Dei signa expertus est, si omnes sceleratorum pœnas exsoluit, si in inferorum gurgite sepultus, obrutusq;, flammisque gehennę addictus, & exitio deuotus fuit, quemadmodum Caluinianos sentire superius ostendisti: apertum est quod etiã animo deficiens planè desperauerit: maximè cùm & ipsa desperatio non minimum sit perditorum & damnatorum supplicium.

Sup. pagina. 443. 458. 462. &c.

DOCT. In secundum impietatis gradum egressi, vtuntur DESPERATIONIS voce, sed quibusdam modis adhuc emollita velut toxico melle temperato. Scribit namq; hæresiarcha in Psalmum, ex cuius initio sumpta est supra dicta Domini querela: *Querimonia videtur esse hominis desperati.* Beza quoq; illic occinit. *Velut ex ipso inferorũ gurgite, eluctantem Christum oculis cernere, & auribus ipsis audire videmur.* Geneuani ministri Annotationibus in Biblia Gallica, aiunt: *Extremi sunt dolores, quos Iesus Christus in cruce pati debuit, desperationi proximus.* Cumq; senserũt auditores & lectores suos ab

Psal. 21.

Impres. Gen. 1562.

his non abhorrere; vlterius progressi pleno gutture prę dicârunt, & miseris illis persuaserunt, eundem Christum verè de salute animi sui desperasse, & præ ista desperatione clamasse: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Verba Caluini sunt: *Sed absurdum videtur, elapsam Christo desperationis vocem. Respondeo, facilem esse solutionem, hanc desperationem ex sensu carnis esse profectam. Nihil obstat quo minus Dei alienationem mente conceperit, provt sensus dictabat. Sic videmus Christum ex omni parte vexatum fuisse, vt desperatione obrutus ab inuocando Deo abstineret, quod erat saluti renunciare. Illi certamen fuit cum mortis doloribus, quasi Deo irato in labyrinthum malorum proiectus foret.* Marloratus suis Rhapsodijs, quas vniuersalē Ecclesiæ vestræ expositionem appellat, hæc omnia inserens, ostendit cunctos Hugnostícos his sordibus ac erroribus coiā Deo & Angelis eius infectos esse. Superest vt liberè nunc pronuncies, qd de his reb. tibi videatur.

*In cap. 27. Matth.*

**Confutatio 1.** MIN. Nunquam, nunquam profectò credidissem homines sacro lauacro perfusos, verbiq; Diuini prętores, quales haberi volūt, tam ignominiosè de Christo mundi seruatore ac iudice sensisse, scripsissęq;, nisi expressis verbis eos reliquisses conuictos. Neq; enim ethnici in suis lædorijs, neque Turcæ in suo Alcorano, neq; Iudęi in suo Thalmude, acerbius vnquam Dominum IESVM blasphemârunt, quàm Reformati scilicet, isti blasphemant atq; deformant. Atq; idcirco me vehementer dolet ac piget aliquando illaqueatum esse tacitis huiusmodi hominum Hugnosticorum illecebris. DO. Ex multis aduersus vestros concertationibus priuatim habitis deprehendi, potiorem vestram partem ab his tanto animo abhorrere, vt præ rei absurditate audacter primò negent Caluinum tam impiè de Christo sensisse: postea verò citatis illius verbis conuicti, hac in parte illum non timeant dānare atq; reprobare. Aliquibus enim hoc proposui exsoluendum Dilemma: *Christo* iuxta Caluinum *elapsæ sunt DESPERATIONIS voces.* Ergo aut veræ, aut fictæ. Si veræ, ergo peccatorū omniū extremo & maximo, quodq; nec in præsēti seculo, nec in futuro remittitur, ętternum Dei Filium redemptorē nostrum coarguitis & damnatis. Si fictę, ergo illum hypocritam

**Dilemma.**

pocrytam & ſimulatum hominem fingitis, qui aliud in ore, aliud autem in corde retinuerit. Inſuper Caluinum veſtrum ſcribentem, *nec fictè nec theatricè conquerebatur ſe à Patre relictum, ſed alienationem Dei mente concepit*, teterrimæ impietatis reum (vt verè eſt) nobiſcum agitis. Atque cùm huic argumentationi nunquam ſatisfacere potuiſſent, mihi aſſentientes, Caluini ſententiam vt impiam & Chriſto maximè contumelioſam abiecerunt.

MINIST. Sentiant alij quicquid de hac re voluerint: ego planè iudico eam impiam & blaſphemam. Quinetiam oſtendo à ſuo Authore damnatam & improbatam eſſe, cùm alibi ſcribit: *Chriſtus triſtitia & metu ſic turbatus fuit, vt tamen aduerſus Deum non inſurgeret: ſed maneret compoſitus ad veram temperantiæ regulam. Conſtanter retinebat Deum ſibi eſſe propitium.* Deſperantes verò contumeliosè aduerſus Deum inſurgunt, omnem abijciunt fiduciam & temperantiam, non arbitrantur eum ſibi propitium, ſed hoſtem infeſtiſſimum & crudeliſſimum. Inſtar Cain eius detrahunt miſericordiæ; cũ Pharaone, Herode, Nerone & ſimilibus, eidem obſtrepunt & maledicunt; velut Iulianus in eum fremunt & blaſphemant: & cùm diutius iudicij ac iræ illius grauitatem ferre nequeunt, ſibimetipſis facti carnifices ſeipſos furioſè interimunt, vt Saulem, Achitophelem, & Iudam feciſſe ſacræ referunt literæ. Luce igitur meridiana clarius eſt, Dominum IESVM neque mente neq; voce deſperaſſe: atq; idcirco talium blaſphemiarum authores ac Prædicantes homines eſſe flagitioſiſſimos. Tum etiam quæ in vno loco affirmant, ſtatim in alio accuſant atq; damnant. 2.

*In cap. 26. Matth.*

*1. Reg. 31.*
*2. Reg. 17.*
*Matth. 27.*

Deinde, idem Caluinus cum ſuo Beza omni aſſeueratione contendunt, *cunctos fideles perſpectum explora tumq; habere, ſeſe à Deo ſic electos et dilectos eſſe, vt ab hac dilectione & electione nunquã cadere poſſint*, vt ſuperius iam attigimus. Quomodo igitur Dominus huius electionis & dilectionis cauſa potiſſima, aut de propria ſalute dubitaſſet; aut quod omnium deterrimum eſt, vnquam aliquando deſperaſſet? Quo conſilio ſibi perſuaſiſſet, Deum à ſe alienum? Quopacto ſuprema ſpes omnium 3.

*In cap. 5 Ro. verſ. 2. & 5.*

nium noſtrûm, in voces deſperatas erupiſſet? Filius Dei ac Virginis impuriſſimis Prædicantibus fuiſſet inferior: his de electione ſua omnino ſecuris, illo verò penitus deſperante? Oportet ſanè illos à Deo in manibus Satanæ excæcandos, & pro immanibus quibuſdam peccatis ſuis torquendos traditos homines eſſe, qui tam ſacrilega & blaſphema aut fingunt, aut docent, aut credunt, aut tantùm patienter audiunt.

4. DOCT. Hæc tam manifeſta quàm vera & certa ſunt. Sed ſi quis perditus contumax reſpondeat, illos tunc de Chriſto loqui quatenus homo eſt, non quatenus Deus; vt formam ſerui aſſumpſit, non vt Dominus eſt omnium; & in quantum obſes atque ſponſor redemptionis & ſatisfactionis noſtræ coram Deo Patre in deſperationem incidiſſe: quid obijcies? MINIS. Cum Caluino ſecum rurſum diſſidente, *quod vtcunque conſideretur non deſtitit eſſe mundi ſaluator, cæleſti potentia ſemper præditus ad munus ſuum adimplendum*: proindeque nulla deſperatione victus ab implendo munere ſuſcepto vnquam potuit reuocari. Deinde, quod tam promptè, expeditè, ac libenter obediendo Patri ſuo, non potuerit deſperando aduerſus eundem inſurgere. Iterum, DESPERATIONEM tam execrandum ſcelus eſſe, Deoque infeſtum ac inuiſum; vt Chriſtus quo modocunq; conſideretur, non potuerit vnquam in illud incidere. Denique, cùm vel hæreſiarcha teſte, *ad veram temperantiæ regulam Dominus ſemper compoſitus manſerit*, nulla potuit intemperie, nullo furore, nulla rabie ad deſperationem adigi, prout Geneuani Prædicantes blaſphemando contendunt.

*In cap. 23. Lucæ.*

5 DOCT. Scitè profectò præcipuæ illorum obiectioni ſatisfeciſti: idque etiam ex eiuſdem hæreſis authore. Sed & his rurſum addi poteſt, quod licet variam Dominus ſubierit conditionem, vtpotè Filij hominis, viatoris, ſerui, redemptoris hominum; nunquam tamen peccare, aut Diuinæ volũtati reſiſtere potuerit, cùm ſemper eſſet Agnus Dei, immaculatus, impolluſus, Sanctus Sãctorum, Patriſq; vnicus & dilectiſſimus Filius. Verùm, exiſtimare Deum Patrem odio Filium ſuum habere, actũ eſſe de ſua ſalute viatorem ſibi perſuadere,

*Ioan. 1. 1. Pet. 2. Hebr. 7. Matth. 3.*

suadere, & fracto animo DESPERATAS voces emittere; peccata sunt tam horrenda & nefanda, vt dicat Isidorus: Omnia quidem peccata mortem animo adferre, sed desperationem esse paratum ad inferos descensum. *Li. 2. de sum. bono, ca. 12.* Et venerabilis Beda iure nihil existimat desperatione turpius, cùm hæc omnem fidei & virtutis auferat constantiam in desperato homine. *In cap. 24. Prouerb.* Bernard. quoq; scribit: Desperationem ab ignorantia Dei procedere, qua existimatur crudelis & sæuus, qui est optimus & humanissimus: implacabilis, qui est infinitè misericors: difficilis & metuẽdus, qui est totius mundi amantissimus. Deniq;, desperantes sibi effingere idolum execrandum, pro eo qui verus Deus est: peccatumq; admittere, quod non remittetur neq; in præsenti seculo neque in futuro. *Serm. 37. & 38. in Cant.* Docet etiam Augustinus, desperantem hominem negare in Deo veram esse charitatem, qua nos adoptet in filios: veritatem promissorum, qua salutem præstet quam promisit: & potestatẽ summam, qua nos ab omni malo redimere valeat. *Manual. cap. 23.* Et idem iterum: Desperatio (inquit) procedit ab ingenti multitudine peccatorum, quibus homines Deum relinquentes, iusteq; ab eo derelicti in obstinatam perditamque augendi maleficij voluntatem incidunt, &c. Desperãs Deum cum suis perfectionibus odio prosequitur, vellet Deum esse nullum, delicta sua putat Diuinis miserationibus esse maiora, nullum arbitratur esse pœnitentiæ locum, nullam peccatorum remissionem, nullam iustificationem, clamitans cum Cain, *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear* *Serm. 88. de temp.* *Genes. 4.* Denique idem Doctor Augustinus concludit: Qui desperat, negat Deum esse misericordem, magnam iniuriam Deo facit, &c. *Manua. c. 23.* Quis porrò tam horrenda scelera Christo redemptori sanctissimo, ac vnigenito Dei & Virginis Filio, vel per somnum audebit tribuere?

6. Præterea, licet maximam in anima tristitiam, & acerbissimos in carne dolores passus sit, personaliter tamen Deus erat sapientissimus, optimus, sanctissimus, atq; beatissimus, tam communicata omni Diuinitatis plenitudine, quàm cunctorum Spiritus S. donorũ effusione. Itaq; tam impossibile est DESPERATIONEM

in eius personam irrepsisse, quàm lucem & tenebras, Iesum & Belial, veritatem & mendacium, iustitiam & iniquitatem simul in eodemq; subiecto conuenire.

7. Insuper, quicquid mœroris aut doloris Christo contigerit, nunquam oblitus est se esse Emmanuelē, id est, nobiscum Deum fortem, & Verbum incarnatum, nūquam oblitus est Patrem de cælis testificatum esse, *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, nunquam quecunq; Pater habet eadem sua esse, nunquam eundem Patrem omnia dedisse sibi in manibus: ergo omnino impossibile fuit eum de Patris gratia fauoreque diffidere. MINIST. Profectò eiusmodi rationes meam omnino conuincunt conscientiam, efficiuntq; vt à Caluinianis confictaChristoq; ascripta desperatione penitus abhorream.

*Isaiæ 7. 11.* *Ioan. 1.* *Matth. 3. 17.* *Ioan. 3.* *Ioan. 13.*

8. DOCT. Te rursum vehementer obsecro, vt omni religione mecum perpēdas tum verba tum gesta eiusdem Domini nostri, cùm in grauioribus passionis suæ doloribus & angustijs constitutus esset, & clarissimè perspicies quàm ab omni DESPERATIONE animum habuerit alienum. Quid rogo, fecit in horto, cùm vehementes mortis cogitationes & mœrores eum sic adorirentur, vt sanguineum sudorem ab eo exprimerēt? MIN. Paululum à suis digressus, flexis genibus, pronusq; in terram, cum omni demissione Patri supplicauit, orationeq; ter etiā repetita, verbis omni humilitate & fiducia plenis, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Abba, Pater, omnia sunt tibi possibilia, &c.* DOC. Sed dic obsecro, Nūhi qui desperatione franguntur, tam sint submissi, temperati, ac modesti? Confugiuntne ad huiusmodi pias, feruentes, frequentesq; orationes? Iudicant ne se Dei filios esse, vt eum tanquam Patrem omnipotentem & optimum inuocent? MIN. Contrà, omnino in eum insurgunt, murmurant, frendent, quantumq; possunt maximas in eum cuomunt contumelias. DOC. Ergo Caluiniani ministri in omni errorū caligine demersi sunt, IESV Christo DESPERATIONEM tribuentes.

*Matth. 26.* *Marc. 14.* *Luc. 22.*

9. Sed redeo ad eius gesta verbaq; contemplanda. Quis amabò,

amabò, precum eius extremus actus? MIN. Morte sibi pro certo proposita, ad Apostolos reuersus, eorum negligentiam reprehendit, ad constantiam retinendam admonuit: & aduentantibus cum armis & facibus inimicis obuiam perrexit, hisq; cum maxima fiducia manifestauit se IESVM NAZARENVM esse quem quærebant. Hoc autem solo verbo cunctos in terram prostrauit, exprobrans quòd nocte cum fustibus & armis ad opprimendum innocentem procederent. Deinde Iudam accusauit perfidia, reuulsam per Petrum militis sanauit auriculam, Petrum obiurgauit, suos seruauit, se deniq; impiorum manibus capi, ligari, & in domum Annæ adduci permisit. DOC. Profectò in his omnibus ne minima quidem apparet desperantis animi suspitio. MIN Imò verò patientia, & constantia plus Diuina quàm humana. *Ioan. 18.*

DOCT. Postea, de subsellijs ad subsellia ductus, ab his & alijs iudicibus examinatus, dedit ne impatientis ac desperantis animi signum vel minimum? MINIST. Tantum abest, vt è contrario cuncti illius demirarentur patientiam. Aut enim prudens tacebat, aut cum tanta sapientia moderationeque respondebat, vt profanus Præses miraretur vehementer, seque nihil mali in eo inuenire sæpe palamque profiteretur. 10.

DOCT. Qui à Deo derelicti & desperati istud præstiterunt vnquam? Cain, Achitophel, Antiochus, Herodes, Iudas, Nero, Iulianus, Diocletianus, animum despondentes, hac ne patientia & constantia fuêre præditi? *Matth. 27.* *Ioan. 19.*

Christus post hæc in Pilati prætorio vestibus exutus, columnæ affixus, flagris toto corpore concisus, spinis coronatus, illusus, cunctis salibus expositus, latrone vilior ac peior existimatus, morti turpissimæ adiudicatus, grauissima prægrauatus cruce, per vicos ignominiosè ad scalas gemonias raptus, pedibus & manibus clauis defixis, distractus, extensus, & in altum vsq; ad extremum vitę spiritum suspensus, quod, quale, quando vel quomodo, perexiguum edidit facti ac desperati animi argumentum? MIN. Hominem eo humaniorem & pacatiorem nec cęlum vnquam operuit, 11. *Luc. 23.* *Marc. 14.* *Ioan. 19.* *Psal. 21.*

nec terra sustinuit, nec oculus vidit, nec auris audiuit, in quo tantare sideret moderatio, tanta patiẽtia, tanta denique animi constantia. Hæc ante quingentos annos quàm contigissent, spiritu prænoscẽs, simulq; admirans Isaias dixerat: *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Et Petrus de eodem ait, *Cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur, &c.* DOCT. Quantis ergo supplicijs à Christiano magistratu multandi sunt, qui desperatas illi voces arrogant?

*Isaiæ 53.*

*1. Pet. 2.*

12. Sed in crucem leuatus, cùm pretiosum sanguinem omni ex parte emanare sentiret, vires imminui perciperet, vndiq; vel inimicorum contumelias vel amicorum personantes querelas audiret, in ardentissima siti felle & aceto potaretur, mortis comites latrones & infames sicarios se habere cerneret, terram sub pedibus suis concussam fremere animaduerteret, solem suos ei radios denegare, caliginosas tenebras totum inuoluere mundum, vitam denique suam paulatim deficere, & mortem ad eum deglutiendum properare manifestissimè & certissimè cerneret: nulla tamen audita sunt murmura, nulla visa sunt impatientis animi signa, nulla insurgentis aduersus Patrem cælestem apparuerunt indicia, nulla prorsus oppressi aut desperati cordis perspecta sunt argumenta. MINIST. Nulla profectò: sed è diuerso, ad obsequendum Patri perpetuò fuit paratissimus, & ad orbem ei reconciliandum obsequentissimus ac promptissimus. Tunc enim incredibili accensus charitate, inimicorum crucifigentium & insultantium excusans scelera, pro his rogabat dicens: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Hinc pœnitenti & inuocanti latroni paradisum promittebat, velut de proximo triumpho, & regni sui gloria certissimus. Tum & carissimæ purissimæque genitricis suæ studiosissimus, eandem grauiter afflictam & dolentem, vero veri Filij affectu eandem amantissimo commisit discipulo. Sed neque in his omnibus apparuit despondentis, ac deficientis à Deo animi vllum signum: quin potius Diuina prorsus constantia, temperantia & inexhausta spiritus magnitudo.

*Luc. 23.*

*Ioan. 19.*

DOCT.

DOCT. Ad Patrem denique cõuersus, & pro tali verè agnitus, suos in eius sinum effundit dolores, refert ægritudines, superius expositas renunciat querelas. Postea, légem prædicat consummatam, absolutum redemptionis nostræ mysterium, completamque Patris voluntatem. Ad implendam porrò scripturam clamat, *Sitio*: tandemque inclinato capite, in manus optimi Patris suum emisit Spiritum. Eiusmodi sunt postrema patientis Christi gesta & verba, postremi sermones & actus, postremæ cogitationes & actiones: quibus quid posset vnquam excogitari magis humanum, magis temperatum, magis placidũ, magis religiosum atque diuinum? MIN. Verè, verè à cacodæmone obcæcati sunt, & ab eodem impulsi quicunque eum aut animo à Deo defeciſſe, aut in voces desperatas erupisse post Caluinum vociferantur. Nec dubito huiusmodi nebulones à Satana subornatos esse, vt omnem Christianorum fidem & spem à Christo diuertant & subuertant, vt tandem Maometi, vel propediem vẽturo Antichristo vias præparent ac muniant. 13. *Matth. 27.* *Ioan. 19.*

DOCT. Nec solus profectò, nec abs re, tam turpiter quàm verè Caluinianos cum Alcoranistis aduersus Christũ, & eius fidei synceros professores ac propugnatores conuenire iudicas. Constat enim (vt superius dictum est) non solùm eius hereseos Prædicantes ad illos Christo palam eiurato, defeciſſe; verùm & eorum Columina legationes ad Turcarum Tyrannum destinasse, vt illum ad Christianorũ prouincias populandas & occupandas plus satis intentum, multo magis adhuc stimularent & accenderent; his etiam additis, quod plurimum inter se Caluinismus & Alcoranismus consentirent. Hinc que factum est, vt in publico Mompelgartensi Colloquio, Lutherani Ministri coram omnibus exprobrauerint Bezæ & Comministris: *Si nulla alia dona, præter creata, Christus secundum humanitatem,* (vt dicitis) *habeat: manifestum est doctrinam vestram, hac in parte planè eandem esse cum Turcico Alcorano, qui eadem quoque dona Christo tribuit.* Obmurmurantibus Beza & Gallis, respondit Collocutor: *Qui* 14. *Colloq. pag. 265. & 267.*

*veritatem dicit, non conuiciatur. Recitabo enim verba Alcorani, &c.* His recitatis, tandem conuicti confusique sunt Caluiniani: sed non emendati. MIN. De alio quæso te, capite dicamus.

## *CHRISTVM SVA PASSIONE, obedientia, & morte, quædam sibi homini meruisse, & accepisse; quæ ab initio aduentus sui non habuit: aduersus vigesimam & vigesimam primam, numero autem 138. & 139. hæresim.*

### DOCTOR.

TRiplici errore Christi ampliſſima merita Veſtri deprimere ac extenuare nituntur. Primò cùm negant ipsum sibi quicquam meruisse: secundò, quando huius rationem designantes, aiunt eum ab initio omnem exaltationem, omnemq; gloriam possedisse. MIN. Hæc sunt tibi ex eorum scriptis euincenda. DOCT. Caluinus disertis verbis, vniuersum Sanctorum chorum proscindēs, *eos qui dicunt Christum aliquid sibi meritum esse, appellat Sophistas, à Satana ad profanas cogitationes subornatos, quæ Christi gratiam obfuscant; à Satana instigatos; Pauli verborum tortores; & Sorbonicos sophistas cum tortis speculationibus detestabiles.* MIN. Tot Satanicas appellationes, & conuitiorum plaustra nemo probationis loco admissurus est. Sed dic de secundo eius errore. DOCT. Illum quidem insigni fraude atque malitia conatur abscondere: verùm prudens quisq; illum ex his eius interrogationibus deprehendere potest: *Quis non videat hoc à Satana suggeri, Christum in cruce passum, vt sibi compararet operis sui merito, quod non habebat? Quid noua exaltatione indigebat, qui æqualis erat Patri?* Vult itaque Christum hominem omnem exaltationem, omnemque perfectionem sic habuisse ab initio, vt nullam sibi moriendo comparauerit. Quod & alibi asserit dicens: *Non quòd sibi quicquam priuatim acquisierit Christus, sicut Sophistæ fingunt.* Quod tuum de his iudicium? Tacendum ne tibi tantis de rebus existimas?

*In cap. 2. ad Phil v. 9.*

*Instit. lib. 2. c. 17. §. 6.*

*In c. 2. Heb. v. 9.*

MIN.

MIN. Ingenuè fateor me in his diuinæ Theologię mysterijs parũ versatum esse: proinde ad ea pauliſper illustranda, mihi ad quædam respondeas velim; tunc-que omnia profitebor quę conscientia dictauerit. Vis-ne Dominum IESVM prius aut potius sui causſa veniſſe, quàm ad saluandum populum suum à peccatis eorum? Sibi prius gratiam & gloriam meruiſſe, quàm nobis salutem? Operis sui merito sibi nactum esse, quod prius non haberet? Maiorem partem fructus mortis suæ in eo esse, non in nobis? Num absurdum esset cogitare, hominem meruiſſe honorem Deo debitum? Imò & ipsum Dei thronum? Et quid opus erat Christo noua exaltatione, qui Patri æqualis erat? DOCT. Agnosco Caluini verba, conuicia, & impoſturas, quas vt maiorem sibi pariat fidem, spumando Catholicis imponit; simulq; multa permiscendo confundit, ne facilè quis suos errores inuolutos deprehendat. MIN. Explica ergo diligentius, & apertius quid de his sentiendum sit. DOCT. Perspicuum ac certum est Christũ hominem maximam & intimam illã cum Verbo vnitionẽ personalem non meruiſſe: cùm eam nec duratione aliqua præcesserit; nec præstantiſſimũ illud Dei opus humano merito subesse potuerit. Inde etiam cõsequitur eundem nec infinitam gratiam, qua animo perfusus est, nec sapientiam, aut potentiam summam, nec denique apertam Deitatis visionem, fruitionem, aut animæ suæ præcipuam gloriam, qua primo creationis ac infusionis suę momento donatus fuit, meruiſſe. Hæc namque omnia gratis ei collata, solaque Dei bonitate & liberalitate communicata fuiſſe, & veteres & recentes orthodoxi Theologi, (quos Caluinus tot iniurijs & cõtumelijs suis dilacerat) vno animo oreq; proteſtantur. Sciunt enim Paulum scripſiſſe, *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. Cùm adhuc inimici esſemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius.* Ioannem quoque prædicare, *Deum prius nos dilexiſſe*, quàm gratiam hanc consequeremur. Cum Zacharia concinũt, *Per viscera misericordiæ suæ visitauit nos Oriens ex alto.* Denique

Confutatio 1.

Tit. 3.
Rom. 5.
Ephes. 2.
1. Ioan. 4.
Luc. 1.

*Augu. lib. de præd. sanct. cap 15. Tract. 10. in Ioan. Enchi. c. 40. Lib. de bono perſ. c. vlt. Lib. 3. ſent. diſt. 38.*

nique poſt Auguſtinum, & in templis, & in ſcholis conſtanter docemus, Summam Dei gratiam in eo apparuiſſe, quod Deus factus ſit homo, & homo Deus. Ecce qualia quantaq; Chriſtus homo non ſibi meruit; ſed inæſtimabili gratia Dei vniuerſa eius merita præueniente, ſtatim ab initio conſequutus eſt.

MIN. Quid igitur eum ſibi meruiſſe, ac cum tempore accepiſſe traditis? DOCT. Omiſſa prioris ac poſterioris anxia diſputatione, adfirmamus eundem

2. ſua obedientia, exinanitione, patientia, & morte, corporis ſui in primis reſurrectionem, vnà cum incorruptibilitatis, immortalitatis, impatibilitatis, ſubtilitatis, agilitatis, & claritatis dotibus gloriosis promeruiſſe. Deinde, pro ſuis etiã eximijs in Deum meritis conſtanter aſſerimus, eum ſecundum humanam conditionem magnificentiſſimè exaltatum ſuper omnes cælos; ſuper omnes Angelorum ordines; adeoque vſque ad ipſam Dei Patris beatiſſimam ſedem; ac verum ſummumque caput tam triumphantis, quàm adhuc militantis Eccleſiæ conſtitutum; & vt ad eius nomen, id eſt, authoritatẽ & maieſtatem, velut ſupremi

*Phil. 2.* iudicis viuorum & mortuorum, omne genu flectatur tam cæleſtium, quàm terreſtrium, ac infernorum. Præterea, ſuis etiam operibus meruit, vt à Patre, quem pro nobis perpetuò impẽſiſſimeque exorat, nunquam non exaudiatur: cunctosque nomine ſuo eundem Patrem adeuntes & interpellantes, ab eodem liberaliſſimè exaudiri. Habes ergo dilucidè & diſtinctè quid ſibi Chriſtũ promeruiſſe, & cum tempore in ſua humanitate accepiſſe, aduerſus hæreſes doceant Theologi. Tuum nunc eſt proferre in quam partem magis inclines ac propendeas.

3. MIN. Sanctior longè ac tutior videtur Theologorum ſententia, eò quòd ſumma Dei beneficia in Chriſti humanitatem collata magis ac magis amplificet; ac eiuſdem merita, ingentemque gloriam, vt decet prouehat atque prædicet: Caluini autem è contrario imminuat & conculcet, vt ex eiuſdem ſcriptis facilè & apertè commonſtrabo. Cùm enim hæc poſtrema Do-

*Ioan. 19.* mini verba, *In manus tuas commendo Spiritum meum*, interpre-

terpretatur, agnoscens Christum eximium quid sibi meruisse, ait: *Hac prece ius seruandi animas sibi ipse peperit.* *In c. 27. Mat. v. 50.*

DOCT. Igitur proprio opere suo id sibi meruit & peperit: atque ideo fructus mortis eius non ita totus in nobis est diffusus; quin sibi maximam planeque diuinam quatenus homo sibi authoritatem atque gloriam acquisierit.

MIN. Idem rursum scribit, *Aeternam potestatem quam habuit Filius Dei ante mundi creationē, tunc eius humanitati fuisse concessam, cùm dixit: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: ordinatusque fuit iudex huius mundi.* Et iterum ait: *Christus sedens ad dexteram Patris cæli & terræ potitur imperio: & postquam in cælum ascendit, data est ei omnis potestas, vt ante eum flectatur omne genu.* Nónne ex his eius verbis apertè consequitur, Dominū IESVM iuxta humanam conditionem, nec omnem omnium iudicis authoritatem, nec omnem summi Imperatoris gloriam, ac cultum, ex seipso & ab initio habuisse? Itaque cùm hæc post tot tantosque exantlatos labores, & maxima patientia toleratas passiones à Patre acceperit, in horum proculdubio mercedem & præmiū accepit. DOCT. Hæc adeo aperta & certa sunt, vt amens sit, qui contradicat. 4. *In cap. 28. Matth.* *In c. 14. Luc.*

MIN. Idem iterum ait: *Christus nostram assumendo carnem, & in ea perpetiendo, sibi hoc acquisiuit priuilegium, vt iam mediator noster Deo assistat.* DOCT. Ergo quid magnum & præstans de nouo sibi acquisiuit. Id verò quonam pacto, nisi abiectionis, obedientiæ & patientiæ meritis? 5. *In cap. 9. ad Heb.*

MIN. Proprijs rursum contradictionibus sese implicans, propriosq; errores suos superiores coarguens, scribit: *Ostendit (Paulus) quàm meritò hanc sibi potestatem in nos Christus vindicet, cùm eam tanto pretio ipse acquisierit. Nam mortem pro salute nostra obeundo, dominium sibi acquisiuit, quod nec morte solueretur: resurgendo autem, totam vitam nostram in peculium accepit. Morte igitur & resurrectione sua promeritus est, vt tam in morte quàm in vita, gloriæ nominis sui seruiamus.* DOCT. Hæc verè sunt cum superioribus hæresibus eius pugnantia. Enimuerò cùm Christus quatenus homo sibi omnem in nos, vitamq; 6. *In cap. 14. Rom. v. 9.*

nostram

noſtram pretio mortis ſuæ acquiſierit: aliquid conſecutus eſt, quod prius non habuit. Et cùm idipſum mortem obeundo promeruerit, quid magnum ac præſtans ſibi profectò meruit. Sicque Caluiniſmus authoris ſui ſententia manet impietatis in Chriſti merita conuictus & damnatus. MIN. Hæc ſunt quæ ex illius ſcriptis aduerſus eiuſdem errores proferenda cenſui: tu quod ex diuinis literis ac Patribus paraſti, in lucem educito.

7. DOCT. Dauid in primis Chriſti glorioſiſſimam ſecundum corpus reſurrectionem, & in cælos conſcenſionem, eiuſdem meritis tribuens prædixit: *De torrente*, mortis & paſſionis nimirum, *in via bibet, propterea exaltabit caput.* Præmittitur laborum eius meritum, ſubditur illicò præmium. MIN. Equidem tam certa & manifeſta eſt probatio iſta, vt Beza in noua paraphraſi ſua vi veritatis ſuperatus dicat: *Bibet tamen ipſemet quoque ex torrente, ante hos triumphos: & ærumnas omnes duræ militiæ perferet, quibus abſorptus ac ſubmerſus videri poſſit. Tantum abeſt vt inde detrimenti quicquam patiatur, vt contra, hac ipſa ratione caput ſempiterna gloria coronatum ſit altiſſimè ſublaturus.* Atqui ſempiterna gloria qua vertex eius præcingitur, eſt gloria reſurrectionis, & aſcenſionis ad dexteram Dei triumphus; tum eius imperium toto orbe diffuſum: quod tunc perfectè, completum erit, cùm iudex viuorum & mortuorum ſedens ſuper ſedem maieſtatis ſuæ glorioſus apparuerit. Igitur hæc ſibi promeruit bibendo in torrente mortalitatis noſtræ humanarum calamitatum & miſeriarum maximum & amariſſimum, ſibi à Patre calicem propinatum. DOCT. Etiam ſi id non fateretur, atque ſic Caluini ſui errorem non coargueret Beza, viris cordatis ac verè Chriſtianis ſatis eſſe deberet, quod Euthymius, Chryſoſtomus, Baſilius in Græcis inſignes; Vigilius martyr, Auguſtinus, & Arnobius inter Latinos nobiles Patres, eo modo Dauidis locum ſunt ante multa ſecula interpretati.

*Pſal.109.*

*Com. in Pſal.*

*Lib. 5. contra Eutychen.*

8. MIN. Vnius & alterius iſtorum ſententias audire percupio. DOCT. Chryſoſtomus ait: *Hic oſtendit humilem eius viuendi rationem, quod nullum faſtum præ ſe ferens,*

*rens, nullis stipatus satellitibus, nullo externo apparatu munitus, hæc fecerit: sed tamen victum persequēs, & adeo tenuem, vt ex torrente biberet, mensa panis hordeacei, potus aqua de torrente. Deinde, ostendens quod sit huius vitæ emolumentū, subiunxit, propterea exaltabit caput. Humilitatis enim vitæq; austeræ hic est fructus. Hæc non de Diuinitate dicta sunt, sed de carne quæ bibit ex torrente, & ad ineffabilem euecta est altitudinem.* Hactenus Chrysostomus.

Verba porrò Augustini aliquanto clariora, sunt 9.
ista: *Bibere de torrente Christo erat nasci & mori. Quia ergo de torrente in via bibit, id est, quia humiliatus est, propterea eum Deus exaltauit à mortuis, & donauit ei nomen quod est super omnes.* Hæc iste: ex quibus apparet eos Spiritui sancto, qui per hos Dei sanctos homines scripturarum sensa referauit, impiè resistere, quotquot contrarium efferuerint. Sed institutas meritorum Christi probationes persequor.

Isaias mortis Christi meritis tribuens, quod Gen- 10.
tes ad eum conuersæ, ipsum vt Deum, & Patrem, & caput colere deberent, ait: *Si posuerit animam suam pro peccato, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima videbit, & saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruos suos multos: & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam.* Ecce, ecce quomodo paucis admodum verbis adfirmat Euangelicus Vates Messiam maximas glorias glorioſissimosq; triumphos susceptum in passionis mortisque propriæ compensationem. Atque ita hunc locum Hieronymus, Procopius, Cyrillus Alexandrinus, Vigil. martyr, & alij orthodoxi sunt interpretati: quibus si Oecolampadium addideris, Caluini error omni ex parte cōuulsus damnatusque remanebit. Isa. 53.

Accedo ad Apostoli Pauli testimonia. Cōmemo- 11.
rata Christi humilitate, obedientia, cruce, & morte, de horum laborum mercede subinfert, *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Domi-* Phil. 2.

*Dominus noſter IESVS Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Planè non potuiſſet Apoſtolus merita Saluatoris noſtri, quibus corpus illius reſurrectione, aſcenſione, & glorificatione exaltatum ſuper omnes cęlos, eiuſdem nomen & numen per triplicem mundum agnitum & religioſo cultu adoratum eſt, apertius aut diligentius cõmemorare. Quocirca Geneuanus hæreſiarcha alibi ſubſidium quærat neceſſe eſt. Nam apud nos confregit teſſeram, & ſuam deinceps alijs diuendat ſophiſticam ſubtilitatem dicẽdo, illatiuam dictionem *Propter quod*, magis ſonare conſequentiam, quàm cauſam. Id enim nunquam perſuadebit viris veram IESV Chriſti gloriam amantibus & quærentibus. MIN. Sunt ne ex ſanctis illis ac antiquis Theologis, qui doceant enunciatum iſtud, *Propter quod*, illationem eſſe cauſæ meritoriæ? DOCT. Satis quidem eſſe debet viro Chriſtiano, huiuſmodi verum germanumque verborum Apoſtolicorum ſenſum: veruntamen vt abundantius tibi ſatisfiat, ſcias velim Fulgentium confeſſorem, Vigilium martyrem, Ambroſium, Hieronymum, Chryſoſtomum, Baſilium, Hilarium, quanta Orientis & Occidentis lumina! ita hunc locum verbis & ſcriptis expoſuiſſe. Locos, ſententiasque iam pridem notaui in Appendice aduerſus hæreſes: librum euolues vbi plus otij nactus fueris. *Libro 3.* Ad Paulum redeo.

Idem rurſum ſcribit. *Eum qui modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus IESVM propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum.* Vbi magis conſpicua eſt hæc gloria, vbi magis proſtans honor & ſplendor iſte, quàm in beata corporis reſurrectione, & glorioſa aſcenſione, per quam eleuata eſt magnificẽtia eius non tantùm ſuper cælos, vt Chryſoſtomus ait, ſed ſupra Cherubim aſcendit, vltra Seraphim eleuata eſt, nec ante ſtetit, niſi ſedem Dominicam meruiſſet & accepiſſet? Ibi enim apparet ſua paſſione promeritus honos, quoniam ſic caput Eccleſiæ conſtitutus eſt, atque viuorum ac mortuorum Iudex. Ob eam mortem & paſſionem (ait Cyrillus) ſummæ gloriæ coronã promeruit. Quæ eiuſdem verba citantur & probantur magno & œcumenico Concilio Epheſino, quod vt ſacro-

*Heb. 2.* 12.

*Ser. de Aſc. Domini.*

*Lib. de recta fide ad Reginas.*

ſacroſanctum Geneuani miniſtri ſe admittere profitentur: qua ex re etiam propria confeſſione erroris conuincuntur.

Cùm etiam Dominus diceret, *Pater diligit me, quia animam meam pono pro ouibus meis*, glorioſam ſignificabat remunerationem (ait Vigilius martyr) paſſionis ſuæ merito acquiſitam. Beatitudinis munera ſunt paſſionis eius merito acquiſita. Id quod rurſum apertius declarat, dicens, *Nónne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*? MIN. Hoc planè tam certum ac dilucidum eſt, vt nunquam ſatis mirari poſſim, quomodo Caluinus tam amens fuerit, vt negaret, totque probra in affirmantes conijceret. 13. *Ioan.10.* *Lib.5. cont. Eutych.* *Luc.24.*

Ecquid etiam Chriſtum impediuiſſet, ne ſibi quidpiam mereretur? Libero voluntatis arbitrio præditus, eodemque diuino fauore & amore inſtructus erat. Rurſum, ſecundum corporis ac præſentis vitæ rationem nobiſcũ viator & peregrinus: vniuerſa eius conſilia & opera Deo Patri gratiſſima & iucundiſſima, ſecundum illud: *Quæ placita ſunt ei facio ſemper.* Itaque omnia quæ ad meriti rationem pertinent in eo fuerunt abundantiſſima & efficaciſſima. Præterea, cùm omnibus electis meruerit gratiam, gloriamque animorum & corporum, quid obſiſtere potuit, quò minus corporis ſui reſurrectionem, glorioſam aſcenſionem, ac nominis exaltationem proprijs laboribus acquiſierit & aſſumpſerit? 14. *Ioan.8.*

Dicere porrò illum quatenus homo eſt, (nam ſic tantùm mereri & exaltari potuit ab aduentu ſuo) omnem habuiſſe gloriam & exaltationem; quid magis ineptum ac impium? Conſtat enim eum imbecilli corpore initio conceptum, natum, lactatum, pannis inuolutum, in cunis vagijſſe; circunciſum, in templo oblatum, delatum in Aegyptum, relatum in Galilæam, cunctis corporeis ac infantilibus imperfectionibus circundatum fuiſſe. Quinetiam poſt adultam ætatem & baptiſmum, ſecundũ humanam conditionem verè eſurijſſe, ſitiuiſſe, fatigatum dormiuiſſe, contriſtatum fleuiſſe, ſanguineo ſudore maduiſſe. Et vt Apoſtolicis verbis vtar, Exinaniuit ſemetipſum formã 15. *Luc.1.* *Matth.2.* *Matth.4.* *Ioã.4.& 11.* *Luc.22.* *Phil.2.*

*Heb. 2. 4. & 5.* serui accipiens. Minoratus ab Angelis, per omnia fratribus similatus, tentatus per omnia pro similitudine absque peccato: qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui posſit illum saluum facere *Matth. 26. & 27.* à morte, cum clamore valido ac lacrymis obtulit Qui denique ligatus, consputus, flagellatus, morte turpissima damnatus & affectus est. Cuncta namque huiusmodi redemptionis humanæ mysteria deneget necessum est, quicunque omnem gloriam & exaltationem Christum hominem ab initio consecutum esse cum Caluino dixerit. Insuper, & eundem gloriosè antequã moreretur, resurrexisse: & priusquam in sepulcrum descenderet, in cælos cum triumpho conscendisse: quæ penitus absurda sunt & impia. MINIST. Aliud quæso, caput attingamus. *Sap. 2.*

## *QVOD CHRISTVS PRO CVNCTIS in vniuersum hominibus passus & mortuus sit: aduersus vigesimum secundum, ordine verò 140. errorem.*

DOCTOR.

HOc etiam inter vestrorũ errores numero, quod in fidei Geneuanæ Clypeo recensetur, nimirũ, Iesum Christum nõ pro omnibus hominibus mortuum esse. MIN. Non recordor ea me legisse verba. DOCT. In Dialogo 4. pag 58. Paris à Germano percunctatur: *Christus adimpleuit legem? Mortuus est indifferenter pro omnibus?* Germanus respõdet. *Non ædepol, sed tantùm pro his qui eum recipiunt in tali iustitia, id est, vt perfectũ legis pro seipsis obseruatorem, & qui pro his Deo perfectè satisfecerit.* MIN. Ah, nunc recordor: & quod maius est, eiusdem opinionis authorem esse nostrum Caluinum, scribendo, *Christum proprij gregis solummodo fuisse sollicitum, quodque pro electis suis duntaxat orauit.* Verùm errorem esse non existimabam, tum quòd Dominus dicat, *Pro his rogo quos dedisti mihi, non pro mundo;* tum etiam quòd soli electi eiusdem mortis virtute saluentur. *In c. 17. Ioã.*

**Cõfutatio. 1.** DOCT. Meum est igitur euincere hanc sentẽtiam planè erroneam, ac diuinis literis aduersam esse: demumque

mumque explicare quonam pacto dixerit Dominus se non orare pro mũdo. Num agnoscis Christi passionis ac mortis merita longè ad saluãdum ampliora fuisse, quàm Adæ peccatum ad inficiendum & perdendum? MIN. Impius sum si non credam, dicente Apostolo, *Si vnius delicto mors regnauit, multo magis per vnius iustitiã in vita regnabunt. Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Et ad hæc verba, Censor noster fatetur *maiorem esse gratiam per Iesum Christum acquisitam, ea condemnatione quæ totũ inuoluit genus humanum.* Item, *certissimum esse, Christum potentiorem esse in saluandis hominibus, quàm fuit Adam in his perdendis.* DO. Bene habet. Atqui peccato Adę omnes æquè inficiuntur, cõmaculantur, & deprauantur, Apostolo dicẽte, *Omnes peccauerũt: Omnes declinauerunt et inutiles facti sunt. Omnes nascimur filij iræ*: manifestũ est igitur Christũ pro cunctis indifferenter hominibus sollicitum fuisse, vt hos per passionẽ & mortem suam sufficienter Patri reconciliaret & saluaret. Rom.5. In cap.5. ad Rom. Rom.3. Ephes.2.

MIN. Argumentum istud tam validum est, vt Caluinus hastam abijcere, herbamq; porrigere videatur, scribendo: *Nam & si passus est Christus pro peccatis totius mundi atq; omnibus indifferẽter, Dei benignitate; non tamen omnes apprehendunt.* DO C. Si pro omnibus indifferenter, necesse est Clypeum fidei Geneuanæ frangat & abijciat; & ministrum huius sentẽtiæ propugnatorem & authorem ad Indos relegat & Garamantas. 2. In cap.5. ad Rom.

Sed ad sacras literas redeo. Amplitudinem salutis humanæ per Christum acquisitæ Ioannes describens ait: *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem IESVM Christum iustum: & hic est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mũdi.* Hæc autem propitiatio seu reconciliatio, vt Paulus docet, facta est per mortem Filij Dei. Sequitur ergo eum nõ solũm mortuum esse pro Apostolis, discipulis, cæterisq; electis, verùm etiam pro omnibus indifferenter hominibus. MIN. Tam aperta & firma est hæc probatio, vt Caluinus succumbens, in eum Ioannis locum scribat: *hanc communem scholarum sententiam esse veram, Christus pro toto mundo sufficienter passus est, efficaciter autem* 3. 1. Ioan.2. Rom.6.

*pro solis electis.* DOCT. Vester igitur potius ex fœno quàm feno cõpactus, vt pestifer ac funestus Clypeus procul amandandus est: & hæresiarchæ vestri altera sententia impietatis dãnanda, qua solos electos Christo curæ fuisse iudicauit. Sed ad scripturas redeo.

4. Isaias tam concinnè & appositè de singulis mortis Messiæ actis, quàm si iam contigissent, differens; sine vlla reprobortũ exceptione, inquit: *Omnes nos quasi oues* *Isa.53.* *errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit: & posuit Dominus super eum iniquitates omnium nostrũm.* Audis clarissimam & perantiquam Messiæ tubam paucis admodum verbis tertiò vniuersaliter personãtem, *omnes errasse, omnes declinasse*, ac idcirco *omnium iniquitates*, id est, supplicia iniquitatibus debita, ei exsoluenda fuisse imposita: contra verò Seriphias laci Lemanici ranas coaxantes, cum non pro omnibus indifferenter passum ac mortuum esse? Quibus fidem adhibebis? Quorum potius amplectêris sententiam? MIN Qui diuino vati non crediderit, sancto Spiritui, qui per eum locutus est, planè contumelios us existet.

5. DOCT. Audi rursum etiam ipsummet Filiũ Dei sese totius indifferenter mundi saluatorem efferẽtem, *Ioan.3.* *Sic Deus dilexit mundum vt Vnigenitum daret, vt saluetur* *Ioan.6.* *mundus per ipsum. Carnem meam dabo pro mundi vita Non* *Ioan.12.* *veni vt iudicem, sed vt saluificem mundum.* Ac ideo vniuersos ad se indifferenter inuitans, hisque salutem *Matth.11.* per se partam offerens, ait: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Monet rursus *Matth.7.* vnumquemque petere, quærere, & pulsare ad ostium Patris cælestis. Imò etiam pollicetur confessurum se *Matth.10.* coram Patre suo, omnem eum qui confessus fuerit coram hominibus. Itaque passionis ac mortis eius merita pro cunctis sine vllo discrimine filijs hominum oblata sunt: eorundemque peccatis expiandis ex se copiosissima & sufficientissima fuisse nemo Christianorum ambigere potest.

6. Eam ob rem vniuersos prorsus ad tanti thesauri participationem, velut ad cœlestes nuptias inuitaturus, *Mar.16.* Apostolisque vsus internuntijs ait ad eos; *Eunte in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Qui

*Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluabitur. Ite, docete oēs gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Non ad solos electos ablegat, non solum iustos inuitat: sed prorsus omnes gentes: ergo pro his omnibus indifferenter passus & mortuus fuerat; ringātur, rumpanturque licet ministri Caluiniani. *Matth.28.*

Non semel quoque prædicens Euangelium suum (quo totius salutis humanę munus cunctis offertur & declaratur) prædicandū esse in toto mūdo, antequam adueniat illius consummatio, omnes ad salutem sua morte acquisitam conuocandos esse comprobat. Illorum etiam sententiam refellens, qui fructus aduentus Messiæ ad solos Iudæos spectare putarent, dixit: *Multi venient ab Oriente & Occidente, &c Multi sunt vocati. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, &c. Eritis mihi testes in Ieruſalem, Iudæa, Samaria, & vsq; ad vltimū terræ* 7. *Matth.8 20. Ioan.11. Act.1.*

Putáne Apostolos tam studiosè Christum prædicasse, Reconciliationem mundi, Saluatorem mundi, si minimam duntaxat eius partem reconciliare & saluare studu sset? MIN. Equidem nec Prophetarum oraculis, eum Gentibus æquè ac Iudæis venturum Saluatorem prædicantibus feciſſet satis: nec in fine mundi bonorum & malorum æquus iudex venturus esset; nisi pro omnibus indifferēter & sufficienter redimendis & saluandis aduenisset. 8.

Animaduerte etiam quæso te, & maturo iudicio perpende, quàm sanctè & grauiter Paulus hanc quæstionem soluat & definiat, simulque Hugnosticas exceptiones ac restrictiones improbet. *Aestimantes hoc,* inquit, *quod si vnus mortuus est pro omnibus, ergo omnes mortui sunt. Pro omnibus mortuus est Christus; vt qui viuunt, iam non sibi viuant: sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* MIN. Magnificè profectò fructus Dominicæ passionis amplificat, & ad vniuersum genus humanū spectare confirmat: eâdem opera refellens eos qui ad solos iustos referre contendunt, cùm mortuus sit pro omnibus, mundumque Patri reconciliârit. 9. *2.Cor.5.*

DOC. Audi & alia eius decreta, superioribus adhuc clario- 10.

*Coloſ. 1.* clariora. *Complacuit Patri* (inquit) *omnẽ plenitudinem Diuinitatis inhabitare in eo, & per eum reconciliari omnia, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælis ſunt.* Et rurſum: *In Chriſto inſtaurantur omnia quæ in cælis & quæ in terra ſunt.* MIN. Longè certè magnificentius cæleſtis Patris bonitatem, & Filij eius ſecundum hominem patientis merita, beneficiaq; prædicat, quã faciant lauati iſti gratię & beneuolentiæ illius æmuli.

11. DOCT. Alibi rurſum iubet idem Apoſtolus po-
*1. Timoth. 2.* ſtulationes, gratiarum actiones, orationes, & ſupplicationes fieri pro omnibus, nullis demptis, hominibus: & hanc protinus rationem adfert. *Hoc enim bonum eſt & acceptum coram Saluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionẽm veritatis venire. Vnus enim Deus, & mediator Dei & hominum homo Chriſtus IESVS, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Alio rur-
*1. Timoth. 4.* ſus loco aſſerit eum eſſe Saluatorem omnium hominum, maximè autem fidelium. Addit poſtea, per aduentum eius gratiam Dei apparuiſſe omnibus hominibus. Et vt concludam, altius quàm poteſt intonat,
*Tit. 2.* eundem Chriſtum voluntate & decreto Patris, *pro omnibus mortem deguſtaſſe.* MIN. Oportet certè illos bene & gnauiter impudentes eſſe, qui aliter ſentiunt: quandoquidem ex tot tamque certis ſcripturis diuinis conſtet ſummum illud redemptionis humanæ beneficium tam copioſum eſſe, vt ad vniuerſos homines iuſtificandos & ſeruandos ſufficiat.

12. Placet quædam huic rei & loco conuenientiſſima, ex Colloquio Lutheranorum & Bezanorum Mompelgartenſi, ſubijciam? DOCT. Quæcunque voles. MIN. Beza coram Principe Friderico, vniuerſoque
*Pag. 546. 547. 548. 549.* Germanorum & Gallorum cœtu concionante, *Si Dominus vellet omnibus prodeſſe paſſionem & mortem ſuam, vna gutta ſanguinis ſatis eſſet pro peccatis totius mundi, etiam damnatorum. Chriſtus autem non eſt mortuus pro peccatis damnatorum. Non pro impijs & damnatis effudit ſanguinem in remiſſionem peccatorum, &c.* iuſta indignatione percitus Iacobus Andreas Tubingenſis cancellarius, exclamauit. Hæc in auribus piorum ſunt horrenda auditu. Quin toto corpore perhorreſcunt pij omnes, quando

hanc

hanc vocem horrendam audierint: CHRISTVM NON pro TOTIVS mundi peccatis, hoc est, pro omnibus hominibus mortuum esse & satisfeciſſe. Quis hanc vocem quæso, ferre potest? Ego sanè in stuporem conuertor, & toto corpore horreo, quando hęc nunc audio. Non enim ideo damnantur exitio ęterno adiudicandi, quòd peccauerunt: aliâs quoq; omnes electi damnarentur: sed quia nolunt vera fide (addo, & matura pœnitentia) amplecti Iesum Christum, qui NON MINVS pro ipsorum peccatis passus, crucifixus, & mortuus est, quàm pro peccatis Petri, Pauli, & omnium Sanctorum. Hæc est æterna & immutabilis veritas, aduersus quam portæ inferorum non præualebunt. Sicuti Christus apertè testatur, *Hoc est iudicium, quòd lux venit in mundum; & mundus plus dilexit tenebras, quàm lucem* Item: *Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato, quia non credunt in me. &c.* Ibidem quoque paulo post subnectitur. Cùm tam absurda, horrenda, & manifestè impia diceret Beza de morte Christi, quod videlicet, nō pro omnibus peccatis, & peccatoribus sit mortuus: Illustrissimus Princeps Comes Fridericus D. Iacobum monuit, vt finem colloquio imponeret. Pertæsa enim erat Celsitudo eius talia amplius audire. &c. Hęc ibi: ex quibus Caluiniani satis animaduertere possunt, se ob istas admissas in Christum frequentes & graues blasphemias, meritò odiosos factos esse Deo, & angelis, & hominibus. Si quidpiam ex Augustino in rem præsentē audiero, mihi planè satis factū esse iudicabo. *Ioan. 3.* *Ioan. 16.*

DOCT. Ille tomo operum septimo, quendam habet Libellum, quo sedecim falsò sibi à sycophantis impositos articulos refellit, simulque anathematibus grauissimis ferit, eos quicunque illos asseruerint. Vnus autē eorū is est quem ex fidei vestræ Geneuanæ & Caluinianæ Clypeo disputationis huius principio citauimus, & deinceps coarguimus, videlicet, Christum non pro omnibus indifferenter hominibus mortuum esse. 13.

MIN. Quod de precibus Christi obieci initio, nunc quæso dissolue: & me plurimum tibi debere profitebor. DOCT. Christi preces aliquando singulares ac 14.

pro priuatis amicis fuerunt conceptæ, velut cùm pro Petro rogauit vt non deficeret fides eius: ac etiam frequenter pro seipso, velut ex suscitatione Lazari, & gestis tam in horto Oliuarum, quàm in monte Caluariæ omnibus compertum est. Aliquando verò magis communes ac vniuersæ, quales fuêre quas modò pro suis Apostolis, modò pro credituris per verbum illorum, modò etiam pro crucifixoribus & inimicis suis effudit, dicens, *Pater ignosce illis, &c.* Alias denique preces effudit pro toto mundo, cunctisque filijs hominũ, cuiusmodi fuerunt illę quas in montibus pernoctans diuino Patri offerebat, vt etiam volens, nolens, agnoscit hæresiarcha. Nemoque dubitare potest Dominicas preces omnino pares & cõformes fuisse operibus: cùm ergo pro omnibus indifferenter & sufficiẽter passus & mortuus sit, indubitatum esse debet eundem etiam preces & orationes suas pro omnibus sufficiẽter coram Patre suo fudisse & obtulisse. Quòd autem soli electi reipsa finalem gratiam æternamque beatitudinem consequantur, cæteri omnes in peccatis suis moriantur ac pereant; horum culpis efficitur, non meritorum Christi insufficientia: quemadmodum in illis euidenter apparet, quibus dicitur: *Volui vos congregare, & noluistis.* Et alibi: *Perditio tua ex te Israel, ex me verò salus tua. Vocaui, & audire, venireque renuistis: ego in interitu vestro ridebo. Deus enim reliquit hominem in manu consilij sui, adiecit illi præcepta & mandata, vitam proposuit & mortem, ad quodcunque voluerit apponat manum. Si volueris* (inquit) *seruare mandata, ipsa seruabunt te, &c.*

*Matth.23. Osee 13.*

*Prou.1. Eccli.15. Deut.30.*

MIN. De his iam satis, cętera persequamur. DOC. Imò Deum, si vis, precemur: cras statim exorto crepusculo si adfueris, de his dicemus. MIN. Oremus ergo.

ORATIO. DOCT. Domine Iesu Christe, totius huius mundi empliſſime redemptor & iudex, lumen animarum, iustitia voluntatum, summum afflictarum conscientiarum solatium & gaudium, Deus omnipotens, sanctissime que Saluator, qui forma serui assumpta pro nobis innumeros labores, vigilias, ægritudines, famem & sitim, æstus & algores; insuper ingratissimorum hominum odia, minas, opprobria, flagella, sputa, illusio-

*Phil.2.*

nes,

nes, mortem denique omniũ acerbissimã & ignominiosissimã incredibili caritate & obedientia pertulisti, vt totius huius mũdi peccata deleres, humanumq; genus Patri tuo omnipotenti clemẽter reconciliares: supplices te rogamus & obsecramus per sanctos labores & sudores tuos, perq; salutifera vulnera, è quibus emanauit ille pretiosus sãguis quo abluti sumus, placare, miserere nostri, & non auertas faciẽ tuã à nobis, qui pro nobis redimendis non auertisti faciem tuam ab increpantibus & conspuentibus in te. Fatemur quia peccauimus, conscientia meretur damnationem, & pœnitentia non sufficit ad satisfactionem: sed merita incarnationis, conuersationis, & mortis tuę superant omnem offensionẽ. Noli pijssime & sanctiss. Redẽptor, noli sic obliuiscì bona tua, vt solũ intuearis delicta nostra. Noli scribere aduersum nos amaritudines, vt intres in iudicium cũ seruis tuis: noli secundũ iniquitates nostras facere nobiscum; sed secundum multitudinem miserationum nostrarum eas dele. Miserere, ne desperemus, sed bene de te sperando respiremus. Et si commisimus vnde dãnare potes, tu non amisisti vnde saluare soles. Tu non vis mortẽ peccatorum, nec lętaris in perditione morientium: imò vt mortui viuere possent, tu mortuus es: & mors tua mortem peccatorum occidit. Et qa ipsi te moriente vixerunt, obsecramus Domine, vt te iam viuente, secunda morte non moriamur. Mitte manum tuã de alto, & libera nos de manibus inimicorum visibilium & inuisibilium, ne supergaudeant nobis dicentes, deuorabimus eos. Quis vnquam, bone IESV, de tua misericordia diffidat, qui cùm inimici tui essemus, redemisti nos in sanguine tuo? Ecce sub crucis, passionis, & mortis tuæ vmbra protecti ad thronum misericordię tuę currentes & accedentes pulsamus, & clamamus donec miserearis nostri. Ergo miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multũ repleti sumus despectione. Exurge in adiutorium nostrũ, & dic animabus nostris, Salus vestra ego sum. Tu itaq; Domine, qui iubes petere, fac accipiamus: qui consulis quærere, da vt inueniamus: qui doces pulsare, aperi pulsantibus regnũ beatorum, in quo viuis & regnas Deus & homo benedictus in secula. AMEN.

*Aug. Medit. cap. 39.*

# DIALOGVS SEXTVS, IN QVO EXAMINANTVR, SIMVLQVE REFELLVNTVR 16. ERRORES CALVINianorum, totidem articulis de mortis, resurrectionis, & ascensionis Domini nostri IESV CHRISTI fructibus contrarij. Ac primò de quatuor hæresibus circa descensum illius ad inferos. Ordine contra 141. 142. 143. & 144. hæresim.

MINISTER.

EN adsum vt iusseras, optime Doctor, & promissa exigens obnixè precor, vt Caluinianorum aduersus mortis, resurrectionis, & ascensionis Christi fructus maximasque vtilitates, impia dogmata persequaris. Id enim ad eius amplificandam gloriam, fidemq; ac spem omnium piorum augendam & corroborandam plurimum refert. DOCT. Quatuor simul pestiferas hæreses moliuntur contra hunc Apostolici Symboli articulum, *Descendit ad inferna.* MINIST. Quid ais? Quatuor ne aduersus duo verba? DOCT. Ita me saluet Christus, quatuor. Ac primo quidem loco, hunc fidei Christianæ articulum multis artificijs conantur vel omnino tollere de medio; vel saltem suspectum ac dubium, velut de nouo inuentum, & symbolo assutum, reddere. Nam Beza in magna fidei suæ Confessione tam Latina, quàm Gallica, dum singula illius refert, & suo more interpretatur capita, *nullam huius facit mentionem*, ac si nullum de illo verbum extaret. MINIST. O verè diabolicam fraudem. DOCT. Idem præterea in suo Græcolatino nouo Testamento, vbi D. Petrus illud ex Dauide citat, *Non derelinques animam meam in inferno*, quo constan-

Beza.

*Psalm. 15. Act. 2. 13.*

constantissimè probat Christū verè secundum animā descendisse ad inferorum loca, Beza vertit, *Non relinques cadauer meum in sepulcro*, Satanica planè malitia, beatissimam Christi animam, in putidum cadauer; & infernum, in tumulum, quo reconduntur humana corpora, transmutans, vt omnem veri descensus ad inferos tollat memoriam. Id quidem semel emendare Collegarum suorum consilio, simulauit; sed postea in suo Psalterio Londini edito 1580. ipse cum Mollero suo velut impurus canis redijt ad vomitum, vertendo, *Non derelinques animam meam in sepulcro*: ac si beatorum spiritus in sepulcris defossi laterent, aut nulla essent inferorum loca præter eadem corporum sepulcra. Rursum ad delēdam omnem inferorum memoriam, Christique ad eos descensus, quotics inferni meminit, meminit autem viginti & octo locis, toties aut tumulum, aut sepulcrum vertit, ac si nulli alij essent inferi. Caluinus autem hunc articulum de nouitate suspectum redditurus, ac pondus eiusdem eluaturus, ait: *Particulam illam quæ legitur in Symbolo, apparet non adeo fuisse olim in Ecclesijs vsitatam. Conijcere licet, post aliquantum temporis insertam, non protinus, sed sensim Ecclesijs insueuisse.* Quando autem, vel quorum authoritate id factum sit, non indicat: nec enim potuisset, aut poterit vnquā alius Sectarius: quoniam non nisi Apostolos totum symbolum habuerit authores. Hos duces cæcos imitati, insuper audentiores effecti Angliæ ministri, statuerunt in synodo Londinensi *supradictum articulum è Symbolo penitus oblīterandum esse*, vt publicè testatur Richardus Chœnius, qui huic adfuit: iisdemque obiecerunt Campianus Christi martyr, ac Duræus ex societate I E S V insignes Theologi. Bucerani, Ramistæ, Zuingliani *descensum Christi ad inferos* confundentes cum hoc alio articulo, *Passus est*, posteris audaciam suppeditant ad eum delendum, vt superfluam eiusdem rei repetitionem. M I N. Equidem certè quicunque sex allatas per te coniecturas accuratè perpenderit, non dubitabit Caluinianos huius fidei Christianæ articuli lituram meditari.

*Instit. li. 2. c. 16. §. 8.*

*Ad Academ. Oxon. Confutat. ref. VVithakeri.*

Sed quid ad Erasmum dices opinantem hunc articulum

*In Catech.*

culum Symbolo adiectum à Diuo Thoma Aquinate? DOCT. Eum non solum turpiter, sed & flagitiosè aberrasse: quandoquidem ignorare non potuit Veteres omnes illius meminisse.

*Expos. Sym.* MINIST. At Ruffinus scribit, eundem articulum suo tempore neque in Symbolo Græco, neque in Latino fuisse. DOCT. Fallitur apertissimè, qui adhodum plusquam viginti Ruffino antiquiorum Patrum manifestis cuicunque testimonijs, tum Annotationibus in Irenæum, tum libro secundo Appendicis, contra nouam hæresim.

MINIST. Satis de prima hæresi, seu potius diabolico sacrilegio: secundam nunc propone. DOCT. Ea est Buceri, Caluini, Gualtheri, Vireti, & aliorum eiusdem farinæ virorum, qui aniles putant esse fabulas, quicquid de tertio inferorum loco (Limbum Patrum, aut Abrahæ sinum communiter vocamus) in quem veterum Sanctorum animæ Christi aduentum expectaturæ descenderent, hactenus docuerunt Theologi. Nam Caluinus hanc piam & Catholicam sententiam superbissimè contemnens scribit: *Nescio quâ factum sit, vt posteritas locum putaret esse subterraneum, cui affinxit nomen Limbi. Sed hæc fabula est, tametsi magnos authores habet, & hodie quoque à multis seriò pro veritate defenditur, nihil tamen quàm fabula est.*

*Instit. lib. 2. ca. 16. §. 9.*

MINIST. Quam tertiam putas eorum hæresim? DOCT. Illam qua impudentissimè pernegant Christi animam illicò vt à corpore recessit, terram penetrasse, & in supra nominatum locum reipsa vereque descendisse: sed descensus huius loco, superius commemoratas de salute dubitationes, damnatorum pœnas, flammas inferorum, & horrendas desperationes sine vllo Dei verbo, imò aduersus expressissima Dei verba flagitiosissimè comminiscũtur, vt superiori dialogo abundè probauimus.

MINIST. Cedo iam hæresim eorum quartam, quæ aduersus illum fidei Christianæ articulum pugnet. DOC. Negant Christum ab inferorum locis redeuntem, inde secum animas veterum Patrum eduxisse, easdemque cælo in die Ascensionis suæ donasse.

Nam

Nam illas vel alicubi adhuc quasi sopitas dormitantesque vltimum Christi aduentum expectare; vel longè antea in cælis beatas regnasse contendunt, vt alio in loco fusius disputabimus. Atque hæ sunt quatuor hæreses nunc examinandæ ac eluẽdæ: si prius tuam de his sententiam indicaueris.

MINIS. Toto corde credo, oreque confiteor, hæc quæ in Symbolo Apostolorum continentur, idque iuxta ordinem, germanumque sensum verborum, quibus de Christo dicitur: *Passus, mortuus, sepultus, descendit ad inferna*: quodque ijsdem fermè apicibus recitatur & confirmatur in Symbolo Magni Athanasij, *Qui passus est pro salute nostra, descẽdit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis*. At verò non descendit ad inferos secundum corpus, sed illud in sepulcro nouo excisso in petra cõditũ fuit: ergo ad animam solam pertinet hic descensus. Nec anima eius quandiu corpus proprium informauit & vegetauit descendit ad inferos: cùm mors præcedat, & descensus iste sequatur: igitur iuxta ordinem à Spiritu sancto per Apostolos in symbolo constitutum verè ac reipsa illuc descendit posteaquam moriens exclamauit, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*. Non autem descendit ad inferos reproborum ac in perpetuum damnatorum, quoniam exeo nulla est redemptio: igitur ad eum locum descendit, qui vel Sinus Abrahæ, vel communiter Limbus Patrum appellatur. Nec ambigo verba ista, *Descendit ad inferos* tam in propria significatione sua capienda esse, quàm ista eisdem coniuncta, *passus, mortuus, sepultus, resurrexit tertia die*. Non autem descendit ad eos Patrum spiritus frustra: igitur vt eos illuminaret, solueret, & beatos secum in cælos abduceret. Cùm itaque verus ac germanus sit iste Apostolicorum verborum sensus, eos omnes Apostolicæ fidei ac doctrinæ hostes esse constanter adfirmo, qui glossematibus impijs aut illa peruertere, aut etiam penitus abnegare & delere conantur.

Cõfutatio. 1.

*Sym. Nicen. & Athan.*

Accedit, quod etiam hunc fidei articulum ita interpretandum, credendum, ac profitendum esse contestantur non inferioris notæ in Germania ministri Luthera-

2.

therani Illyricus, Iudex, VVigandus, Faber, quatuor primarum Centuriarum coaceruatores: hinc Vrbanus Rhegius & Lucas Lossius in Catechismis, Erasmus Sarcerius in locis communibus; & de Sacramentariorū furfure Pellicanus, Bullingerus, in cap. 2. Act. ac Oecolampius. Ex quibus liquet Caluinianos à symmistis & in oppugnanda Romana fide commilitonibus pro sacrilegis iure haberi, cùm negant aut obliterant; pro infidelibus, cùm non credunt; & pro peruersissimis hæreticis reputari, cùm nolunt nobiscum sibi persuadere, Christi animam verè descendisse ad quædam inferorum loca, vt veterum seruorum suorum animas illinc educeret, secumq; in cælis bearet. DOCT. Rectè hæc quidem: sed si quid in Caluinianis scriptis occurrit, quod his hæresibus suis aduersetur, vt hactenus præclarè fecisti, illud ipsum proferas velim.

3. *In cap. 14. Ioan. v. 2.*

MIN. Iam non recordor omnes sententias, quibus se suosq; condemnat, sed tantùm huiusce: *Exoritur quæstio, Quales fuerit Patrum conditio post mortē, antequam Christus in cælum ascenderet. Vulgò enim colligunt, fideles animas in Limbo fuisse inclusas, quia dicat Christus suo in cælum ascensu paratum iri locum. Sed responsio facilis est, quòd locus hic parari dicatur in diem resurrectionis, &c. Ante reconciliationem peractam fideles animæ, velut in specula, erant intentæ ad redemptionem promissam, & nunc beata quiete fruuntur vsq; dum cōpleatur redemptio.* Hinc enim primū agnoscit Limbi sententiam, vulgò, id est communi omnium Christianorum consensu receptā & probatam fuisse: quam & alibi fatetur magnos habere authores, hodieq; etiā à multis pro veritate seriò defendi: vnde consequitur contrariam sententiam à magnis authoribus, id est, veteribus Theologis, cunctisq; pijs viris dānari & reprobari. Deinde, nemini ante diem resurrectionis locum in cælo patere: quæ alia hominis hæresis est. Postremò, animas Patrum ante Christi aduentum, quadam quidem felici quiete donatas; sed velut in quadā specula, intentas adhuc ad venturā per illū redemptionē. At verò hæc specula, non erat cælū: hæc expectatio venturæ redemptionis non consistebat in cœtibus angelicis: igitur in subterraneis quibusdam inferorum locis, ex quibus tandem aliquando per Christum sunt liberatę.

Idem rursum, Commentarijs in primam D. Petri Epi- 4.
stolam, fatetur, *Animas fideliũ corporibus egressas in carcere detentas fuisse, vbi erant constrictæ ardenti studio aduẽtus Christi, quod libertatis spiritu nondum planè essent donatæ.* DO. O magnam veritatis vim, quæ etiam ex inuitis hostiũ faucibus erumpit! Animæ Patrum ante peractam à Christo redemptionem (de his enim nunc sermo est) detinebantur in carcere: ergo non conscendebant in cœlos. Constringebantur, ingenti studio ac desiderio aduentus Christi: itaq; nondum clara Dei visione & fruitione beatæ erant. Spiritum libertatis necdum erãt adeptæ: igitur in receptaculis adhuc inferioribus vinctę atq; constrictę, suum vindicem & assertorem Christum venturum adhuc præstolabantur. Non sunt autẽ tot pij viri qui in Saluatorẽ crediderant & sperauerant, fraudati à desiderio suo, cùm ad eos perrexit. *In 1. epi. Pet. cap. 3.*

MIN. Pertractans etiam locum, quo monumenta 5.
moriente Christo aperta, & multos ex mortuis surrexisse refertur, ait: *Hoc speciale portentum fuit, quo testatus est Deus Filium suum mortis carcerem ingredi, non vt illic clausus maneret; sed vt omnes educeret qui captiui tenebantur. Nam quo tempore in Christi persona spectata fuit contemptibilis carnis infirmitas, magnifica & diuina virtus eius ad inferos vsque penetrauit.* DO C. Atqui carcer ille, quem ingressus est ad captiuos educendos, non fuit cælestis gloria. Quis enim beatas illas sedes sanctorum carcerem aut captiuitatẽ esse censeret? Igitur locus subterraneus, qui à Catholicis Limbus seu vestibulum inferni propter viciniã rectè nominatur, ante Christi mortem erat: quẽ anima sua penetrans, inde vinctos seruos suos planè magnifica diuinaque virtute liberauit. *In cap. 27. Matth. v. 52.*

MI. Scribit etiam alibi, *Manifestationem gratiæ Christi ad animas fidelium peruenisse, efficaciamq; viuificantis spiritus super eas effusam, virtutẽq; liberatoris & Redemptoris vsq; ad mortuos extensam fuisse.* DOC. Id autem non potest de reprobatis & damnatis animis intelligi, quoniã nõ fuerunt in vitam aut gratiam reparati. Sed neq; de his qui gloria æterna (si qui tamen tum fuerint) potiebantur: igitur virtus illa Christi vsq; ad animas defunctorũ effusa, gratia Redẽptoris ad eas perueniens, & viuificans 6.
*In c. 4. prim. epist. Petri.*

spiritus

ſpiritus vſque ad mortuos extenſus, ad animos bonorum & piorum Patrum pertinet: quos Chriſti Spiritus de corpore egreſſus in inferis viſitãs & illuminans inde in cælos ſecum abduxit. Atque ſic manent Caluinicæ hæreſes, ab ipſomet Caluino conuulſæ, & Catholica de Chriſti ad inferos deſcenſu, Patrumque veterum è Limbo aſſertione, etiam ab hoſte comprobata ſententia.

7. Nunc certiores ex Prophetis, Apoſtolis, Sanctisque Patribus Catholicarum ſententiarum aſſertiones, ac hæreſeon confutationes adferam. Atque in primis hic Dauidis verſus, *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*: Beatis Apoſtolis Petro & Paulo tam expreſsè & appoſitè Chriſti deſcenſum ad inferos, atque glorioſum eiuſdem inde aſcenſum ſignificare viſus eſt, vt ex eo aduerſus Iudaicam infidelitatem pro fide Chriſtiana ſemel & iterum pugnare nequaquam dubitauerint. MINIST. Profligata certè impudentia eſt, animam immortalem hoc loco in corpus de mortuum, aut, vt impurus Beza loquitur, *in cadauer*, commutare: cùm & Beatus Lucas longè aliter ſentiat, doceatque corporis ſepulturam antea ſatis expreſſam his verbis, *Caro mea requieſcet in ſpe*: & poſtea repetitam iſtis, *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*. Infernum autem in quem deſcendit ea anima, in ſepulcrum quo defuncto rum corpora conduntur, tranſmutare, quanta dementia? Itaque ex Dauide & Apoſtolis rectè colligis, & Chriſti animam ad inferiora terræ loca deſcendiſſe; & inde poſtea remeaſſe, vt corpus reſumeret atque glorificaret, ne quam incurreret corruptionem. Mirarer autem vehementer ſi priſcos Theologos non haberes eiuſdem ſenſus interpretes.

*Pſalm. 15. Actor. 2. 13.*

8. DOCT. Ante multa ſecula Cyprianus Martyr, Hieronymus, & Auguſtinus, Eccleſiæ Latinæ præclara lumina; ex Græcis quoque Patribus Euthymius, Theodoretus, Cyrillus Alexand. Baſilius, Athanaſius Magnus, vnanimi conſenſu hunc ſcripturæ locum de Chriſti ſepultura ſecundum corpus, de eiuſdemque deſcenſu ad inferos, atque demum reditu, Patrumq;

inde

inde liberatione constanter sunt interpretati. Loca & verba illorum signaui in Appendice: vnius itaque tantùm Cyrilli Ierosolymitani ante mille & trecentos annos Patriarchæ sententiam vice omnium subijciam. Descendit Christus ad inferos, inquit, vt & illinc iustos liberaret. Cur enim vellet, viuentes quidem frui gratia, qui verò cum Adam à longo tempore conclusi erant, deinceps non potiri libertate? Isaias tanta de illo prophetauit, & nō vis vt Rex descendens liberet suum præconem? Dauid illic erat, & Samuel, & omnes Prophetæ, ac ipse Ioannes, qui ad eum per suos nuntios dicebat, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Non vis vt descendens liberet tales? Qui descenderat ad inferos, rursus ascendit: & qui sepultus erat, verè resurrexit. Manifestissimè etenim dicit, *Quia non derelinques animam meam in inferno, neq; dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Non dixit, videre mortem, alioquin non esset mortuus: sed corruptionem inquit, non videbo, in morteque non permanebo. Hæc ille.

*Cyrill. Ieros. Catech. 4.*

*Matth. 11.*

*Catech. 14. Psal. 15.*

MIN. Vis etiam ipsius Lutheri interpretationem his subijciam? DOCT. Quid ni, modò verum dicat? MIN. Ait in hunc Psalmi locum. *Sensus apertissimus est, per Apostolos tanta copia & diligentia explicatus. Verùm, & hic cœperunt homines de ingenijs nihil non præsumentes, disputare, An Christus secundum animam seu substantiam fuerit in inferno: & quid sit, eum fuisse in inferno. Magna pars ausa est Spiritui contradicere, animam Christi non fuisse in inferno, nisi per effectum. Optimi scilicet glossatores verbi Dei, Non derelinques animam meam, id est, effectum animæ meæ in inferno. Descendit ad inferos, id est, effectum fecit apud inferos. Verùm, contemptis his friuolis & impijs nugis, verba Prophetæ simpliciter dicta, simpliciter intelligamus: & si intelligere nō possumus, fideliter credamus. Maior est huius scripturæ autoritas, quàm totius humani ingenij capacitas, ait Augustinus. Verè enim anima Christi secundum substantiam descendit ad inferos.* Hactenus ille, verum & realem Christi secundum animā ad inferos descensum ex præsenti Psalmorum testimonio, aduersus Bezæ, aliorumque fanaticas interpretationes comprobans. Sed ad Prophetarum locos redeas.

9.

*Tom. 3. operationе in Psalm. 15.*

10. DOCT. Christus per Oseam defunctis seruis suis omnem ex inferis liberationem, & morti acerba quæque comminatur his verbis: *De manu mortis liberabo eos: de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero inferne.* MIN. At non sic legitur in Biblijs Geneuę excusis. DOCT. Caluiniani plus æquo Iudaizantes, à Rabbinis inuectas scripturarum deprauationes nimium sunt amplexi. Nobis aũt satis esse debet, Septuaginta interpretes in natiua lingua sua Hebraica nouis his sectatoribus lõgè peritiores, & post hos, Rabbi Iehosuam Ben-Leui, Rabbi Mose Hardasan doctissimos & antiquissimos synagogæ doctores, ita hunc Prophetæ locum extulisse ac intellexisse. MIN. Equidem quicunque recusauerit Prophetæ per tantos viros explicato assentiri: nec Iesu Christo, opinor, fidem habuisset, sed cum perfidis recutitis aduersus eum subclamasset, *Tolle, tolle, crucifige eum.* DOCT. His connecto veterem alium Rabbinum, quem ob insignem reuerentiam vocauerunt, *Rabbenum Hoccadosch*, id est, Sanctum magistrum nostrum. Is enim libro, quem nominauit, *Reuelatorem secretorum*, Messiam ita loquentem introducit: Decreui descendere ad inferos ad redimendas animas iustorum, quas Pater meus illuc detrudit. Postmodum adfert alterius quoque Rabbini longè se antiquioris, nimirum R. Schimeonis filij Iochai, huiusmodi quoque loci Oseæ paraphrasin: Iudæi posteriores suum Messiam occident. Tunc anima eius descendet ad inferos, apud quos triduò morabitur, vt inde oẽs animas Patrum & iustorum educat: & in Paradisum cęlestemq; gloriam secũ deducat, vt scribitur in Osea, *Visitabit nos infra biduum, tertia die suscitabit, & tunc viuemus ante faciem eius.* En verba sanctorũ Prophetarum, cum veterum Synagogæ Doctorum germanis interpretationibus. Scabunt igitur Iudæi in iudicio contra Caluinianorum generationem prauam &c.

Ioan. 19.

Osee 13.

Osee 6.

11. Ecce rursum & alterius Prophetę de Limbo Patrum, Christi ad illum profectione, & sanctorum liberatione apertum testimonium. *Tu autem* (ait Zacharias) *in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* Hunc enim locum ad Christum pertino-

Zach. 9.

tinere nemo Christianus ambigere potest, cùm præcedentem sententiam, *Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi, &c.* Euangelistæ magno consensu ad eum referãt. De sola verò liberatione è captiuitate Babylonica intelligendũ censere, Iudaica planè cæcitas est. Docet ergo Propheta Messiam mori oportere, ac sanguinem suum effundere, quò captiuos seruos suos educat de lacu, id est, infernorum loco, in quo non erat aqua saliens in vitam æternam. Atque hunc esse prophetiæ sensum tradiderũt ante multa sæcula Remigius, Theodoretus, & Hieronymus: quibus auctuarij loco, ad conuincendos Sacramentarios addo & Sacramentarium Oecolampadium. MIN. Tutò etiam adijce Lutherum, scribentem in hunc Prophetæ locum: *Quod quidam sententiam olim sic intellexerunt, Hunc lacum esse vestibulum inferni, in quo fuerint Patriarchæ, ad quos Christus venerit cùm descenderet ad infernũ, & eos eduxerit, permitto eorum simplici deuotioni & arbitrio. Sanguinem Messiæ opponit sanguini veteris testamẽti, quasi diceret; Moses eduxit populũ suum ex Aegypto in sanguine sui testamenti: sed tu Rex, aliud nouum testamentum constitues in sanguine tuo, quo tuos captiuos educes ex alia Aegypto, videlicet ex lacu, in quo non est aqua.* Hæc ille: ex quibus patet hæreses Hugnosticas omni ex parte damnatas manere. *Ioan. 7.* *Tom. 5. com. in c. 9. Zach.*

DOC. A Prophetis ad Apostolos accedo. Verum ac realẽ animę Christi ad inferorũ loca descensum Paul. hac breui, sed cõstanti interrogatione confirmat: *Quod autẽ ascendit, quid est, nisi quia & descendit in inferiores partes terræ?* Nam Primasius, Augustinus, Hieronymus, & Ambrosius Patres Latini; Oecumenius, Euthymius, Theophylactus, Theodoretus, & Chrysost. Græci, rectè ex hoc loco colligunt, Christum iuxta corpus post mortem in sepulcro inter mortuos iacuisse, iuxta animam verò ad inferorum loca circa terræ centrum collocata descendisse, vt illinc Veterum seruorum animas retrahens, cum gloria & triumpho resurgeret. MIN. Caluinus profectò nugiuendulus, imò & impius est blatero, dum fabulas aniles reputat quicquid de Limbo Patrũ hactenus traditũ fuit: quandoquidem Apost. tam apertè de illo scribat & loquatur, In su- *Ephes. 4.* 12.

per, nequissimum se Scripturarum diuinarum corruptorem manifestat, quando comparatiuum *inferiores partes terræ*, per suum positiuum gallicum transfert, *et besses parties de la terre*: vt sic Apostolici argumenti virtutem pro viribus suis eludat & deprimat.

13. DOCT. Paulo coapostolum Petrum annecto: Hic duobus locis Christi ad inferos profectionē, Patrumq; inde liberationem tam perspicuè ac dilucidè prædicat, vt vix clarius fieri posset. Ait enim: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo mortificatos carne, viuificatos autē Spiritu. In quo & his qui in carcere erāt spiritibus veniens prædicauit.* 1. Pet. 3. Idem paulò post cōfirmans & explicans subijcit: *Propter hoc enim & mortuis Euangelizatum est, vt iudicentur quidem secundum homines in carne, viuant autem secundum Deum in spiritu.* 1. Petr. 4. Hæc Apostolorum princeps, summusque secundum Christum Christianorum omniū pater atque Pontifex: ex quibus tria præsertim quæ ad præsentem quæstionem maximè pertinent, sunt diligenter obseruanda: Primū est, quod sub mortis Dominicæ temporibus, quidam hominum spiritus detinebantur in carcere. Quosnam fuisse putas? MIN. Caluinus fatetur *animas fuisse fideles è corporibus suis egressas.* Et Geneuenses Ministri in Bibliorum Gallicorum annotationibus, volunt *eas in infernorum pœnis fuisse detentas.* DOC. Bene res habet. Spiritus illi è corporibus egressi alij non erant quàm veterum Patrum, qui ante Christi mortem ex hac vita migrârant. Hi porrò nec beati erant cælestis gloriæ fruitione, cùm essent in carcere & quibusdam pœnis inferorum: sed neque in æternum reprobati, cùm postea seruati fuerint: superest ergo vt in tertio quodam ac medio loco Christi aduentum expectarent. Hic autem ille est, quem nos Catholici & sinum Abrahę, & Limbum Patrū, & tertium animarum receptaculum appellamus. MI. Non video quomodo his possit cōtradici.

DOC. Secundum in Apostolicis verbis notandum est, Christi spiritum à corpore suo morte digressum, spiritus illos visitasse, completamq; totius mundi salutem eisdem nunciasse atque prædicasse. MIN. Id Caluinus prefractè negat. DOCT. Id verò B. Petrus Apo-

stolus

stolus constantissimè prædicat & adfirmat. Cui nam magis credendum? Apostolica verba sunt, *In quo (spiritu*, de quo dixerat, *In manus tuas commendo spiritum meum*) *veniens prædicauit spiritibus qui in carcere erant.* Et paulò post: *Mortuis euangelizatum est.* MIN. Certè Geneuenses Ministri Annot. fatentur, *Pœnitentiam & remissionem peccatorum his fuisse significatam, qui longè ante è vita migrauerant.* DOCT. Quo præcone significatam & prædicatam, quàm Christi spiritu, de quo Petrus ait, *In quo veniens prædicauit*? MIN. Alius certè nec posset excogitari, aut excogitatus probari. DOC. His adde, quòd veteres omnes tã Græci quàm Latini Patres, ac inter hos, Aug. Hieron. Ambr. Hilar. Cyrillus, Athan. Clemens Alex. Origen. Irenæus, Spiritu sancto doctore & illustratore, ita hunc Apostoli locum intelligendum esse docuerunt. &c.

Patrum locos & sententias signauimus lib. 3. Append. contr hæres. 9.

MIN. Quid tertio ac postremo loco in verbis Apostolicis notandum censes? DOCT. Spiritus illorum defunctorum in carcere detento, per aduenientem ad eos Christi spiritum liberatos & solutos fuisse. Ait enim Petrus, *Vt viuant secundum Deum in spiritu.* MIN. Geneuenses in suis Annot. idipsum admittunt dicentes, *quòd licet secundum corpus, perditi & morti traditi fuerint: attamen non desinunt viuere secũdum Deum, eo quòd eos Christus suo spiritu viuificauit.* DOCT. Patet igitur ex apertissimis scripturis, Patrum, Hebræorum, imò & hæreticorum interpretationibus, tertium quendam olim fuisse locum, quo animæ Patrum ante Christi mortẽ colligebantur: deinde, Christum à morte sua secundũ animam ac spiritum suum verè ad eas profectum esse: præterea, redeuntem ab inferis eàsdem secum extraxisse: atque sic Descensus eiusdem Christi *ad inferos* articulum ab Apostolis symbolo insertum, totoq; orbe susceptum & decantatum, summa religione & pietate retinendum atque prædicandum: quicquid Satanas mendaciorum fœcundissimus parens per Ministros suos contra obganniat & blasphemet. MIN. Mihi planè factum satis confiteor: quare alium discutiamus articulum.

Vide Tertu. lib. de Anima ca. 55. & Iren. lib. 5. cap. 31.

CHRISTVM CLAVSO TVMVLO verè resurrexisse: *aduersus quintum, ordine verò 145. errorem.*

DOCTOR.

ABerrant etiam vestri, negando Dominum nostrum Iesum Christum resurgendo lapidem sepulchro impositum corpore suo glorioso, vique diuina penetrasse: sed illi volunt opus fuisse, vt aliquis lapidem reuolueret, viamque patefaceret. Petrus Vermilius, libro de Eucharistia, Rodolphus Gualtherus Homilia 133. in Marcum, Hugo Surreus & Ioannes à spina Disputatione Lutetiæ habita 1568. huius erroris authores sunt & patroni: Propugnatores verò omnes Ministri Sacramentarij: ne cogantur confiteri vnum & idem corpus posse simul esse in multis locis, si duo simul eundem tenuisse locum admittere sint compulsi.

Confutatio 1.

MIN. Noui Caluinianos & Zuinglianos omnes, quantumcunque dissimulent, in hoc errore volutari. Verùm, cùm infinitæ Dei omnipotentiæ hac in re sint contumelioſi: deinde, ab vniuersis coarguantur scripturis & miraculis, quæ pro asserenda eadem diuina virtute & omnipotentia superius ad euertendas alias eorum hæreses copiosissimè allata fuerunt: satis quoque conuulsa & labefactata ista iam mihi esse videtur. Si enim verè omnipotens est Deus faciens quæcunque vult in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis, nihilque eidem obesse aut resistere possit: certè IESVS CHRISTVS illi per omnia æqualis & consubstantialis potuit glorioſissimum corpus suum per sepulcrum clausum traducere, & sepulcralem lapidem penetrare. Et quicunque negarit id eum potuisse, aduersus diuinam omnipotentiam blasphemus erit: Deiq; Filium præcipua virtute atq; gloria sua spolians, Deum verum esse negabit. Quare solus hic Christianæ fidei articulus, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, satis mihi est ad superiorem hæresim conuincendam & refellendam: atque fidem meam de glorioſissima Christi ex sepulcro clauſo resurrectione confirmandam.

*Pag. 89. 90. 91. &c.*

*Psal. 134.*

Acce-

Accedit, quòd etiam à superioris Germaniæ ministris hac in re Caluiniani damnentur, catholicum verò dogma de egressu Christi per sepulcrum clausum confirmetur, dicente in publico Mulbrunnensi Colloquio, Iacobo Andrea: *Christus corpus suum, corpus glorioſum esse ostendit, cùm ad Discipulos suos per ianuas clausas est ingressus, & per clausum sepulcrum egressus est.* Et posteà: *Sancti Patres crediderunt & scripserunt, eum per clausam ianuam, & lapidem sepulcralem transiisse, æquè ac salua Matris virginitate natus est. Hæc tria illi in insignibus & humanæ rationi imperuestigabilibus miraculis numerauerunt,* Augustinus, Serm. 138. & 159. & Epist. 3. Chrysostomus in illum Ioan. locum. Hieronymus ait: Angelum non putemus ideirco venisse, vt aperiret sepulcrum Domino resurgenti: sed postquam Dominus resurrexit, indicasse quod factum est. Hîc quiesco. 2. *Actione 6. pag 95. 112. 113. 114.*

DOCT. Rectè id quidem: veruntamen glorioſior erit aduersus istos potentię diuinæ ac miraculoſę resurrectionis Dominicæ hostes victoria, si proprijs ipsorum armis eos prostraueris. MIN. Caluinus certè contendit, *eos nimium restrictè & malignè sentire de operibus Dei, qui non plus facturum credunt, quàm secundum naturam credibile est: quasi eius manus vel sensui nostro subiecta, vel terrenis medijs inclusa esset.* Alibique idem palam contestatur, *Nullum obstaculum par esse diuinæ virtuti: ac proinde nullam contra eius verbum impossibilitatem obijci debere.* DOCT. Eo igitur iudice, & Vermilius & Gualtherus, & Ecebolius Sureus, & omnis Prædicantum Caluinianorum turba, malignè & de operibus Christi & de natura Dei sentit, cùm negant eum potuisse clauso prodire sepulcro: atque sensibus suis infinitam Dei potentiam subijciunt, medijsq; terrenis turpiter & flagitiosè includunt; dicentes, opus fuisse vt quis sepulchri apertione viam ei patefaceret. 3. *In cap. 1. Luc. v. 18. & 37.*

MIN. Idem iterum scribit, *Impijs omnibus nimis esse consuetum, potentiam Dei metiri præsenti aspectu, vt quicquid non facit, existiment non posse: ideóque debilitatis ipsum insimulent, quoties peruersæ eorum cupiditati non obtemperat.* DOCT. Quoniam verò superius nominati auctores animaduertebãt Lazaro fuisse apertum sepul- 4. *In cap. 27. Matth. v. 24.*

crum vt exiret, & in Dominica resurrectione multorum tumulos apertos esse vt rediuiui prodirent; potentiam Dei præsenti aspectu metientes, existimauerunt & Filio Dei prius aperiendum fuisse sepulcrum, vt resurgeret: ideoque per summam impietatem Deum sic debilem ac impotentem fingunt, vt nulla vi sua cælesti id aliter facere potuerit. Sed ad præsentis hæreseos refutationem propius accedas.

5. In cap. 28. Matth. MIN. Idem insuper diserte tradit, *Angelum non aperuisse tumulum, vt Christus exiret, cùm ea virtute & potentia qua resurrexit, eadem exire potuerit, eodem tumulo clauso firmoque manente. Sed reuoluit lapidem, vt mulieribus pariter & Apostolis ostenderet corpus non esse amplius in eo, sed verè resurrexisse, & ante lapidis reuolutionem inde exiuisse.* DOC. Perpende maximam veritatis virtutem, quam tantus hostis agnoscere & prædicare compellitur. Si corpus dominicum ante omnem tumuli apertionem exiuit: lapidem profectò penetrauit, sicque duo corpora eundem simul locum tenebãt: quod alibi tam peruicaciter (vel Deo ipso authore) fieri posse Caluiniani pernegant. Rursum, si eodem miraculo ac portento exiuit è sepulcro, quo seipsum à morte excitauit: nihil opus fuit, vt quis ei viam patefaceret. Quod si neque Angelus exitum illi parauit, certè ante aduẽtum illius iam viuens glorioſusq; exierat sepulcro clauso remanente: quod hæresim eorum penitus labefactat, & catholicam sententiam omninò probat.

6. MIN. Præceptori Discipulum subijcio, Bezam nimirum scribentem in Dialogo, cui nomen est ἱερωφαγία, siue Cyclops. Ibi enim ad illud Heshusij antecedens, Christi corpus egressum est è sepulcro clauso, respondet. *Ita esto.* Deinde, respondendo ad Cancellarij Tubingensis theses, idem rursum confitetur, dicẽs, *An clauso lapide sepulcro resurrexerit Dominus, quoties à nostris dictum est? Sit ita.*

7. Quod si Caluiniani vlterius pergant esse impudentes, & id Christum Deum non potuisse facere clamitent, quòd legibus naturæ repugnet; Salustij proprij eorum poëtę versibus vt firmissimis vinculis illos co-

ercę-

ſrecebo. Canit enim de diuina, abſoluta, cunctaque exſuperante potentia:

*Gaudet nonnunquam ſummi Moderator Olympi,* Hebdom. in die 2.
*Vt ſurſum in terris naturæ rumpere leges.*

Eos igitur ſic teneo ſuis laqueis inuolutos, proprijſque teſtimonijs euictos; vt iam ſine turpiſſima palinodia vel cõtradictione diffiteri nequeant, Chriſtum potuiſſe, voluiſſe, & reipſa feciſſe, vt glorioſiſſimum corpus ſuum clauſi ſepulcri obicem penetrarit ac exiuerit. Atque hæc de eorum codicibus aduerſus illos.

DOCT. Ego verò quatuor ſimul Euangeliſtarum iudicijs eoſdem nefariæ hæreſeos conuictos & damnatos habeo. Illi enim ſatis apertè demonſtrant, Chriſtum ſecundum corpus reſurrexiſſe, & è ſepulcro exiuiſſe antequam Angelus aduenies terram motu concuteret, aut ſepulcrum reſeraret. Ait namq; Matthęus, *Ecce terræ motus factus eſt magnus, Angelus enim Domini deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & dixit mulieribus, Nolite timere. Scio enim quod Ieſum qui crucifixus eſt quæritis. Non eſt hîc, ſurrexit, ſicut locutus eſt. Venite, & videte locum vbi poſuerunt eum.* Matth. 28. Marcus & Lucas aiunt, eas ſummo mane ad monumentum veniſſe, & illud iam vacuum inueniſſe. Marc. 16. Luc. 24. Ioannes verò adfirmat eaſdem perrexiſſe ad monumentum, *cùm adhuc tenebræ eſſent.* Ioan. 20. Atqui certiſſimum eſt in Angeli aduentu & terræ motum contigiſſe, & monumenti apertionem factam eſſe ſub aduentu mulierum, vt ipſæ conſpicerent antea Dominum à mortuis reuocatũ, ante quàm ſepulcrum recluderetur: igitur perſpicuum eſt ac indubitatum, eundem ſepulcro clauſo reſuſcitatum exijſſe. Etenim magnus Athanaſius libro de Virginitate, ſiue de Meditatione, docet, Dominum media nocte ſurrexiſſe à mortuis: atque ideo factum eſſe vt pij viri eadem hora excitati, hymnis Dominum Deum religioſiſſimè colant atque celebrent. MIN. Nullum exiſtimo his contradicere poſſe, quia ſimul ſanctiſſimis Euangelijs ſeſe opponat. 8.

Et cùm id tam conſtanter ac euidenter iam probatum ſit: ſupereſt tantùm, vt veterum Theologorum ſententijs ac conſenſionibus illud ipſum corrobores, 9.

quò omnes videant veterum fidem à verbo Dei non recessisse. DOCT. Bernardus, Hildephonsus, Augustinus, Authorque Responsionum ad orthodoxos apud Iustinum martyrem, tria inter se conferunt miracula, quorum vnum per alterum, tertiumque comprobari omni constantia credunt & affirmant. Primum miraculum est, mirandus Christi pueruli exitus ex vtero prorsus integræ atque inuiolatæ Virginis Mariæ: adeo vt æquè post partum, & in partu Haalma, id est, virgo clausa manserit corpore, atque ante conceptum & partum. Secundum, eiusdem exitus ex sepulcro nondum reserato, sed lapide & sigillis Iudæorum communito & signato. Postremum, ingressus ad Discipulos suos ianuis clausis. Hæc enim diuina virtute ita contigisse non solùm isti, sed & tota antiquitas credidit & docuit: nec fuit vnquam, nisi sub his nouissimis temporibus, qui ausus sit contradicere.

10. MIN. Alios tantùm memora, qui disertè asseuerint Christum clauso sepulcro à mortuis surrexisse, & per consequens sepulcri molem sua virtute penetrasse; vt commodiore otio donatus in horum lectione animum meum solari, & fidem nutrire possim. DOC. Euthymius, Oecumenius, Theophylactus, & Chrysostomus, comment. in cap. 28. Matthæi, & 20. Ioannis: Nicephorus Calixtus historiæ libro primo, cap. trigesimo secundo: Anastasius Antiochenus libro quinto: Eusebius Emissenus homilia prima, & nona in Symbolum: & ex Latinis proceribus, August. serm. 158. de tempore: Hieronymus quæstione sexta ad Hedibiam, & lib. aduersus Heluidium & Iouinianum: Ambros. libro decimo in Lucam: Prudentius in hymnis: Chrysologus Rauennas serm. 75. 77. 80. & 84. Leo Papa Epistola 81. & serm. 1. de Resurrectione Christi. MIN. Hactenus satis, ad alia pergamus.

CHRI-

## CHRISTVM IANVIS CLAVSIS AD discipulos suos in Cœnaculum intrasse: aduersus sextum errorem, ordine verò 146.

### DOCTOR.

PAri rursum impietate contendunt Vestri, eundem Dominum nostrum non potuisse clausis omnibus foribus Cœnaculi, in quo Discipuli congregati erant propter metum Iudeorum ad illos intrare: sed necesse fuisse, ingressum illi patere quocunque modo id fieri potuerit. Berengarius vt Sacramentariorum primipilus, sic primus hanc hæresim, & diuinæ potentiæ aduersam, & in Christum contumelioſam adinuenit: vti de illo ante aliquot sæcula testatus est Guitmundus Auersæ Episcopus. Eam sequutus est postea Ioannes VViclefus Anglus: eandemque hoc sæculo sibi retinendam & propagandam sumpserunt Caluiniani, Zuingliani, & reliqua fex Sacramẽtariorum, sicut ex Bullingeri, Musculi, Gualtheri, Vermilij, Lauateri, Boquini, Bezæ, Danæi, Spinei, & similium scriptis in Appendice nostra consignauimus. *Libr. 3 de Euchar.*

MIN. Hic error satis mihi conuictus esse videtur, tam ex his quæ iam superius dicta sunt pro Omnipotentia Dei aduersus multos eorum errores asserenda: tum etiam quæ proximè ad confutandum nouissimum errorem sunt producta. Cùm enim constiterit virtutem diuinam nihil fugere, ac eius voluntati nullum posse obicem proponi, insuper Christum grauissima sepulcri saxa, cunctaque humana obstacula tum vi diuina, tum glorioſi corporis sui dotibus penetrare potuisse; facilè ei fuisse necessum est, vt Cœnaculi foribus reclusis, intrauerit ad suos discipulos. DOCT. Appositè certè: nihilominus si quid nosti ex Caluino, quod Caluinianorum huic errori repugnet; quæso te ne dissimules. Confutatio 1. *Pag. 94. 95. 96. &c.*

MIN. Superiorem suorum Ministrorum errorem apertè profectò damnat, scribens, *Circumstantiam istam, cùm* 2

Com. in cap. 20. Ioan. vers. 19. *cùm fores essent clausæ, disertè additam fuisse: quia Diuinæ in Christo potentiæ illustre specimen continet. Nam quòd putant quidam*, ait, suos subnotans, *reseratas illi fuisse fores per aliquem, & humano more ingressum: prorsus à mente Euangelistæ discrepat. Sic igitur habendum est, Christum non sine miraculo ingressum esse, vt documentum ederet suæ Diuinitatis, quo suos discipulos magis attentos redderet.* Ex his autem sic aduersus errorem tam veterum quàm nouorum Berẽgarianorum ratiocinor: Ingressus Christi ad Discipulos ianuis clausis continet illustre specimen Diuinæ in eo potentiæ. Illud autem aliud signari non potest, nisi quòd per medios parietes vel asseres penetrauerit. Igitur quantitatum seu dimensionum penetratione facta, duo corpora simul eundem habuerunt locum. Deinde, ab Euangelistæ sententia discrepat, Christo homine fuisse fores reseratas per aliquem. Ergo verè ianuis clausis, seu quod in idem (quantumuis ineptè reclamet Caluinus) recidit, per ianuas clausas CHRISTVS homo ad Discipulos intrauit.

3. DOCT. Istud profectò tam manifestè comprobat vel simplex Euangelistę narratio, vt mirum ac stupendum sit, Satanam quosdam inuenire potuisse, qui tantæ luci tenebras suas offundere niterentur. Ait enim: Ioan. 20. *Cùm fores essent clausæ, vbi erant Discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit IESVS, & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. Et cùm hæc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gauisi sunt Discipuli viso Domino.* Et post pauca. *Post dies octo, iterum erant Discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit IESVS ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. Deinde, dicit Thomæ. Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* In his primùm attende, Christum in eodem numero corpore suo quod in cruce clauis confixum, lanceaque militis confossum fuerat, seipsum conspiciendum oculis, & contrectandum manibus Apostolorum exhibuisse. Deinde idem corpus, sed iam immortale, 1. Cor. 15. impatibile, agile, clarum, subtile, (& vt Paulus loquitur) spiritale factum, verè stetisse in medio Discipu-

cipulorum suorum: ab hisque contrectatum, iunctis cœnaculi fenestris, clausisque foribus, ac omni prorsus humano aditu, vt semel & iterum notandum Euangelista proponit. Necesse est ergo eum cuncta naturæ obstacula & obiecta eodem corpore suo vique cælesti penetrasse, vt verum corpus suum illic sisteret, & palpandum offerret Discipulis; sicque eos omnibò certos de sua vera resurrectione, vita immortali, immensaque ac inexhausta potentia certissimos redderet: cuius hostes perpetui ac infesti sunt, quicunque negauerint id aut verè feciſſe, aut facere potuisse.

MINIST. Hæc tantam fidem apud me faciunt, vt ampliora ex Scripturis argumenta non requiram: Veterum tantummodò Patrum interpretationem consensumque postulo. DOCT. A magno Cyrillo Alexandrinorum Patriarcha exordior. Clausis foribus repente Dominus Omnipotentia sua, natura rerum superata, ingressus est ad Discipulos. Nemo quærat, quomodo clausis ianuis corpus Domini penetrauit, cùm intelligat non de homine nudo, vt modò nos sumus, sed Omnipotente Filio Dei, hæc ab Euangelista conscribi. &cæt. Audis fores clausas fuisse? Audis Omnipotentiæ Dei effectum? Audis rerum communem superatam naturam? Audis denique clausarum ianuarum penetrationem? Is hoc quoque illicò referens inter præclara Domini miracula, iniquum iudicat opinari (vt Sacramentarij faciunt) eidem viam aliquam factam fuisse. Eadem quoque est sententia Chrysostomi, adeo vt ille ab isto hausisse videatur. 4. *Lib. 12. Com in Ioan. cap. 53.* *Hom. 85. in Ioan.*

MIN. Mihi sufficiunt hi duo Græcanicæ Ecclesiæ Patres, totidem Latinæ producas, & mihi satis erit. DOCT. Primus prodeat Augustinus, scribens: Moli corporis Christi vbi Diuinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe foribus non apertis intrare potuit, quo nascente, Virginitas Matris inuiolata permansit. &c. An non his manifestè docet humanitatem Christi per clausas fores ad Discipulos intrasse, pa- 5. *Tract. 121. in Ioan.*

se, pari miraculo quo ex inuiolato Virginis vtero exierat? Id rursum confirmat Serm. 156. & 160. de tempore. Has autem grauissimas & sanctissimas adijcit sententias, Serm. 159. Miraculum est quod Dominus noster in carne vera intrauerit ad Discipulos per ostia clausa. Requiris à me forsitan, rationem. O homo, si rationem à me poscis, non erit mirabile. Exemplum quæritur? Non erit singulare. Quibus verbis docet tantum id fuisse miraculum, vt simile non habeat, & ratione inuestigari nequeat. Eadem repetens Epistola tertia, quæ est ad Volusianum, superioribus adijcit: In his ac similibus rebus, totam rationem facti, esse potentiam facientis. M I N. Oportet planè hominem saxo & adamante durius cor in pectore gerere, qui his non flecteretur ad pietatem, aut suum errorem non deponeret.

6. Tantum certè est huius venerandæ antiquitatis pondus, vt doctiores Germaniæ Ministri huic cedentes, cum Catholicis in hac re aduersus Caluinianos sentiant, adeo vt Brentius Lutheranæ professor Theologiæ, in Epitome Colloquij Malbrunnensis, Sacramentarijs Palatinis exprobrans, quòd huiusmodi errore suo Christum nimis infirmum ac imbecillum comminiscerentur, ait: *Volui id commemorare, vt videre possitis, quàm parum roboris ac virtutis Christus Palatinorum habeat, cui nisi Angelus lapidem amouisset, virtute humanitatis suæ sepulcro exire non potuisset.* Et vt alius testis accedat, Tilemannus Hesshusius Libro de præsentia corporis Christi in Cœna Domini, huic assertioni plurimum insudat, & Caluinianos contrarium asserentes multis erroribus damnat. Nouerant enim suum præceptorem Martinum Lutherum scripsisse, Libro defensionis verborum Cœnæ Domini fol. 394. *Testimonia Scripturæ manifesta sunt, quòd Christus ad Discipulos suos per fores clausas transierit: & ex suo sepulcro per obsignatum lapidem prodierit, &c.*

7. Sed illorum veterum Patrum locos tantùm mihi fideliter designari requiro, vt horum lectione per occasionem datam animum explere valeam. DOCT: Vt recentiores prætermittam, illi sunt ex Latinis Hilde-

Hildephonſus Toletanus, libro de Parturitione Virginis: Gregorius Papa Homilia 26. in Euangelia: Caſſianus libro 3. de Incarnatione: Leo Magnus Epiſtolæ decimæ cap. 5. Epiſtolæ 81. cap. 1. Sermone primo de Paſſione, & 15. de reſurrectione: Hieronymus in Epitaphio Paulæ: Libr. 2. aduerſus Iouinia. & libro contra errores Ioannis Ieroſolymitan. Sedulius poëta libro 5. Chryſologus ſerm. 8. Hilarius libro 3. de Trin. Ambr. lib. 9. in Lucam.

Hos ſequuntur & alij nouem Eccleſiæ Græcæ Doctores, Damaſcenus libro 4. de Fide cap. 18. & 19. Nicephorus libro 1. cap. 32. & 34. Euthymius in cap. 20. Ioannis: Amphilochius Iconienſis Dialog. 2. Theodoreti: Sophronius Oratione ſynodica: Epiphanius aduerſus hæreſim 34. Gregorius Emiſſenus homil. 9. & 10. in Paſcha: Origenes libro 2 contra Celſum: Author reſponſionum ad Orthodoxos apud Iuſtinum martyrem, quæſt. 117. & vt concludam, quotquot ex Oriente ad ſacrum & Oecumenicum Chalcedonenſe concilium iamdudum conuenerunt. MIN. Certè quiſquis poſt ſacras literas tot ſanctorum Patrum, id eſt, IESV CHRISTI in terra militantis Eccleſiæ conſenſum, ſententiamque non audierit, is mihi perpetuò erit inſtar ethnici & publicani. *Actione 2.*

## *CHRISTVM PERFECTE RESVRrexiſſe, effuſum ſanguinem ſuum quantum oportuit cum carne ſua reſumendo: aduerſus ſeptimum, ordine verò 147. errorem.*

DOCTOR.

INtegritatem veritatemque reſurrectionis Domini noſtri IESV CHRISTI in eo Caluiniani pernegant, quòd dicant eum reſurgendo ſanguinem ſuum non reſumpſiſſe, aut corpori ſuo iterum iunxiſſe. Ait enim Caluinus: *Docentes ſanguinem Chriſti cum carne eius coniunctum eſſe, ideoque totum Chriſtum ſub* *In cap. 26. Matt. v. 27.*

*sub vnica specie Sacramenti, cum ratione furunt.* Existimat ergo corpus Christi quantumuis rediuiuum, immortale, & glorioſum effectum, eſſe penitus exangue, ſicq; vero atque naturali ſanguine ſuo carere. In eadem hęreſi perſtiterunt duo ſententię illius Miniſtri Sureus & Spina, in ea diſputatione quam inſtituerũt, & poſtmodum typis euulgauerunt, Lutetiæ 1568. vnde manifeſtè conſequitur vniuerſam Geneuanorum & Zuinglianorum cohortem in hoc eodẽ luto hærere. Hanc ne amplecteris?

**Confutatio 1.** MIN. Mea me coargueret conſcientia. Etenim video illos non veritatis, ſed contentionis ſtudio, in hanc opinionem incidiſſe; nimirum vt Communionis ſub vtraque ſpecie Euchariſtiæ neceſſitatem tueantur. Cùm itaque iſtud confinxerint non vt gloriam Chriſti, aut veritatem Euangelicam aſſerant: ſed commenta ſua ſuſtineant, nunquam illis hac in re conſentiam.

**2.** Deinde, cùm nullo expreſſi verbi diuini (quod in alijs tantopere requirunt) teſtimonio, nullius aut Prophetarum, aut Apoſtolorum, aut veterum Patrum ſententia, nulla denique ratione nixi adfirment *ſanguinem Chriſti carne ſua immortali reipſa abeſſe*: certè ipſi potius dementes furunt & inſaniũt aduerſus perfectam Domini IESV reſurrectionem. Humanum inuentum eſt, fermentumque Phariſaicum, à quo maximè cauendum. Plantatio eſt non quam plantauit Pater cæleſtis, ſed adinuenit Caluinus: ideòque eradicanda eſt, & in ignem mittenda, vt ardeat.

**3.** DOCT. Verè profectò dixiſti hanc hæreſim aduerſus perfectam reſurrectionem Chriſti militare. Nam Reſurrectio, conſentientibus cũctis Theologis, eſt eius quod cecidit iterata ſurrectio. In morte autem Chriſti ſanguis de vulneribus totoque corpore defluens in terram cecidit, ipſo prædicente. *Hic eſt ſanguis meus qui effundetur in remiſſionem peccatorum*: & Ioanne qui aderat teſtificante, *De latere eius percuſſo exiuit ſanguis & aqua*: ergo neceſſe fuit vt reſurgens à mortuis eundem ſanguinem reſumeret: alioquĩ non totus CHRISTVS verè reſurrexiſſet, vt totus verè

*Tert. lib. de reſur. Ambr. lib. de fide reſur. Damaſc. Matth. 26. Ioan. 19. Aug. epiſt. 146.*

verè mortuus est; sed adhuc victus, oppressus exanguisque iaceret.

Deinde, omni diligentia notandus est hic fidei nostræ articulus, tot scripturis, totque symbolis expressus, *Tertia die resurrexit à mortuis.* Non enim partim resurrexit, partim autem mortis legibus adhuc subiacet. Nam *resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo.* Itaque perfectè, completeque resurgẽdo, nihil quod ad perfectionem veri corporis humani pertinet, aut in horto, aut in prætorio, aut in monte Caluariæ dereliquit. 4. Rom. 6.

A Caluinianis etiam peto, An credant tres mortuos ab Elia & Elisæo suscitatos, verè cum carne, ossibus, & sanguine suo in vitam reuocatos esse? Tres item à Domino huic vitæ restitutos, adolescentem, filiam Iairi, & Lazarum? Duos rursum qui Petri & Pauli precibus simile sunt beneficium consequuti? Resurrectionem denique omnium nostrûm futuram cum eadem numero carne, ijsdem neruis & venis, ijsdem membris & artubus, eodem demum sanguine; An non? MIN. Id suspicor omnino affirmabunt, quoniam Iob ait, *Rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, & non alius.* Dauid quoque asserit, Deum *custodire omnia ossa sanctorum, adeo vt nec vnicum horum omninò conteratur.* Quinetiã capilli nostri coram Deo numerati sunt, & vnus eorũ non peribit. DOC. Quomodo igitur pretiosissimus Christi cruor à carne illius perijsset? Aut in terram delapsus, in eadem absumptus exhaustusque perpetuò mansisset? MIN. Oportet sanè Christi resurrectionem omnium suscitatorum fuisse perfectissimã & absolutissimam: ergo si alij in completis corporibus surrexerunt, multo magis ipse cum toto sanguine suo resurrexit, nec inde postea fuit, aut vnquam sine eo erit. 5. Luc. 7. Luc. 8. Ioan. 11. Act. 9. 20. Iob. 19. Psal. 23. Matth. 10. Luc. 12.

DOCT. Post resurrectionem verum ac integrum corpus suum ostentans Apostolis dicebat: *Palpate & videte, quoniam Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ergo nec caro sine venis, nec venæ sine sanguine suo erant: quemadmodum nec corpus sine 6. Luc. 24. Ioan. 20.

ossibus, nec ossa sine medullis, reliquaq; compage, qua verum corpus humanum coalescit. MIN. Nemo fidelis contradicet: quare complexum tuum euidentissimum ac certissimũ est, quod qui sanguinem Christi reipsa seiunctum facit à corpore suo, veræ ac integræ resurrectioni illius contradicit.

7. DOCT. Corpus Dominicum eiusdem fuisse substantiæ, essentiæ, ac naturæ post resurrectionem, atque antequam vita fungeretur, fateãtur Caluiniani necessum est. Atqui sanguis ad eius substantiã & naturam maximè pertinet. Est enim sedes animæ, scriptura dicente, *Anima eius in sanguine est.* Igitur eodem prorsus sanguine suo coalescit corpus Christi post resurrectionem, atque cùm adhuc inter mortales ipse mortalis degeret.

*Leuit.17.*

8. Denique, totus sanguis nõ posset abesse à quolibet corpore humano, sine manifesta certaq; totius hominis pernicie. Christus autem iam immortalis & impatibilis est. Igitur vbicunque fuerit illius corpus, & sub quacunque specie latuerit, illic & totus eius sanctissimus & pretiosissimus sanguis: adeo vt tam non valeat separari vnũ ab altero, quàm vlterius mori non possit. MIN. Hæc sufficiant, de alio capite agamus.

## *PRIMVM OMNIVM FILIORVM Adæ Christum hominem in cælos euasisse: aduersus octauum errorem, numero autem 148.*

DOCTOR.

RVrsum, Vestri eundem Dominum nostrum Iesum Christũ quoad possunt, maxima triumphi sui parte & gloria spoliant, dicentes, Eum non esse primum omnium filiorum Adæ, qui in cælos ascenderit, in ijsdemq; sit receptus: sed Adã, Abel, Noe, & reliquos veteres Patriarchas atq; Prophetas ex hac vita commigrantes, non in Limbo (de quo diximus) sed in cælis sedibusq; beatorum longè antea receptos esse volũt. Caluinus enim scribit illos similesque *post mortem in sinum Abrahæ collectos esse, quia eiusdem cum eo fidei*

*In c.16 Luc. v.22.*

*fidei fructum percipiunt, eodemq; in cælis domicilio perfruuntur.* Et paulò post: *Colligere licet, Patres sub Lege cælestis vitæ hæreditatem, in quam mortui recepti sunt, fide amplexos esse dum viuerent.* Superius quoque cum audisti *semel & iterum fabulã appellare* quicquid de tertio & subterraneo loco, seu Limbo, ab antiquis magnisq; authoribus dictũ fuit. Bucerus, Vermilius, Gualtherus, Marloratus, Beza identidem prædicant. MIN. His quoq; Poëtam Salustium Barthasium addas licet. Nam in primo die septimanæ secundæ, confingit Adamum *in regno cælorum receptum Deo colloqui.* Et paulò post, comminiscitur Henoch ipso raptus sui tempore, *clara Dei visione beatum esse redditum.* Nec ambigere debes vniuersam Caluinianorum scholã in pari opinatione versari. Cùm enim Purgatorium quendam locum esse, deinde etiã Limbum pernegent, nec instar Marcionis audeant sanctos veterum spiritus ad inferos relegare: consequens est vt in cælis collocatos fuisse, etiam longè antè quàm Christus in hos conscendisset, illos omnes credant ac teneant. *Inst. l. 2. cap. 16. §. 9.*

Mihi aũt (vt ingenuè dicam quid sentiam) videtur hic error, in primis illi fidei Christianæ articulo repugnare, quo Apostolis doctoribus, profitemur, *Christum descendisse ad inferos*: deinde, cunctis eis Prophetarum & Apostolorum testimonijs, quibus paulò superius ostensum est Descensum illum inniti expresso Dei verbo. Porrò si iam in cælis beatorumque sedibus ipsi iam beati collecti fuissent, nec Christus ad inferos descendisset: nec eos inde liberasset. Constat ergo è contrario, cùm ad eos illuminandos & eripiendos descenderit, quod nondum in cælis recepti essent. **Confutatio 1.** *Symb. Apo.* *Pagin. 508. &c.*

Nec minus hac in re, quàm in plerisque alijs, Caluinus turpissimè secum dissidet atque repugnat. Ait enim, etiam vt superius notatum est, *Fidelium animas ante peractam à Christo reconciliationem, velut in specula, intentas fuisse ad redemptionem promissam.* At istiusmodi specula, cælũ non est: hæc ad redemptionem promissam attentio, alia esse non potest, quàm Spes, id est, certa expectatio futuræ Beatitudinis, quæ locum non habet in his, qui iam cælesti hæreditate perfruuntur. **2.**

3. Ait rursum, *easdem Patrum animas ante aduentũ Chri-*
*Com. in 1. epi. Pet. c. 2.* *sti, in carcere detentas, & aduentus eius desiderio constrictas fuisse, eò quòd libertatis Spiritum nondum essent consequutæ.*
& 4. *Virtutem autem Liberatoris ac Redemptoris vsq; ad mortuos extensam esse.* Nemo autem Christianorum scriptorum cælum appellauit carcerem; nemo beatos in cælis spiritus iudicauit spiritu libertatis carere: nemo cõspectu diuino fruentes, reputauit detineri constringiq; liberatoris desiderio: supereſt igitur vt Caluiniani, proprio authore suo iudice, cum Catholicis fateãtur, Animas Patrum sub Mosis lege defunctorum in cælos ante Christum nequaquam conscendisse: sed gloriã istam Verbo Dei caro facto à Patre cælesti ita seruatam & datam, vt primus omniũ ad hanc penetraret; eademq; reliquos vt caput membra, in sua Ascẽsione donaret.
DOCT. Perge porrò, & aliorum Caluinianorum iudicijs istam rursum sectæ nefariam, Christoque contumelioſam hæresim coarguere.

4. MIN. Qui Marlei Plessæi Dominus vulgo solet
*L. de verita. relig. Christ. c. 27.* appellari, Iudæorum errores Rabbinorum testimonijs expugnans, *fatetur cum Rabbino cognomine Haccadosch, Meßiam morte sua Adami stirpem saluasse, Patrum animas ab inferis eduxisse, ac proinde rectè iureque Saluatorem appellari.* Quinetiam Carolus Molinæus eiusdem sectæ propugnator acerrimus, veritatis pondere victus, hac in re herbam dextramq; Catholico dogmati porrexit: cùm in Harmonia sua Scholasticorum & priscorum Theologorum sententiam de Limbo, Patrum animabus in eo detentis, Christi autem ad inferos descensu tum demum liberatis, vt sacris literis nixam & probatam plurimum laudauit.

5. Superius quoque notatum fuit Pellicanum, Bullingerum, ac Oecolampadium Ministros Sacramentarios, Descensum Christi ad inferos Catholicorũ more interpretari: quo fit vt animas Patrum in inferis antea fuisse, non in cælis doceant. Atque ita, suo Marte cadunt subiti per mutua vulnera fratres. Hæc quæ mihi venerunt in mentem. Nunc age.

6. DOCT. Omnis scriptura clamat, Deum Patrem
*Deut. 34.* Filio suo incarnato hanc gloriam seruasse, vt primus cuncto-

cunctorum hominum in cælos ascenderet, viamque aliis præmuniret, & locum pararet. Vbi enim præfiguratum docet fuisse per Iosue filium Nun, qui solus, & post excessum Moysi, populum Hebraicum in terram sanctam feliciter perduxit: ibi palam ostendit, solius Christi Domini morte & ascensione, terram viuentiũ, id est, cælos hominibus reseratos fuisse, non antea. Ad hæc enim spectãs Apostolus ait de Christo: *Ad interiora velaminis* (quę beatificum Dei conspectum significabant) *præcursor pro nobis introiuit*. Quorsum autem, & quorum præcursor, nisi primus introisset, alij verò omnes subsequuti essent? Idem etiam obseruat, quod vt Iudæi sancta sanctorum nequaquam ingrediebantur, sed solus summus Pontifex, insculpta habens in rationali nomina duodecim tribuum Israëlis: sic ascendens in cælos Christus supremus Sacerdos, illos patefecit electis. *Ioſ.1. 2. &c.* *Heb.11.* *Heb.6.* *Heb.9.10.*

7. Ecqua nam virtute aut industria in illos euasissent, antequam Agnus Dei sustulisset peccata mundi? Carnem suam dedisset pro mundi vita? Sanguinem effudisset in remissionem peccatorum? Cùm etiam dicat Apostolus, *Legem ad perfectum nihil adduxisse, sed vmbram fuisse futurorum*? *Ioan.1.& 6.* *Matth.26.* *Heb.10.*

8. Idem de veterum Patrum ante Christi mortem, resurrectionem, & ascensionem, conditione palam pronunciat: *Nondum propalata erat sanctorum via, adhuc priore tabernaculo statum habente. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.* Atqui cælorũ via non solùm propalata, sed & latissimè patens fuisset, si tot Patriarcharum, tot Prophetarum, tot Sanctorum, ac innocentum myriades ante Christum in eos fuissent translati. Christus quoque non futurorum, sed præteritorum bonorum Pontifex exstitisset, si veterum animæ cælestium opum fuissent antea in cælis participes. *Heb.9.* *Heb.7.*

9. Quonam etiam pacto cælos conscendissent sub ea Lege, quam Apostolus appellat imperfectam, inutilem, mortis administrationem in tabulis lapideis descriptam, virtutẽ peccati? Asserit vniuersos sub illius *2.Cor.3.* *Rom.7.*

*Heb.11.* fide ac religione defunctos, non accepisse repromissiones, sed à longè eas salutasse? MINIST. Equidem certè cùm veteres illi ad exitum festinarent, sese in cælos commigrare nequaquam profitebantur: sed ad portas seu vestibula inferorum. *Descendam ad filium meum lugens in infernum. Deducetis canos meos cum mœrore ad inferos. Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me? Si sustinuero, infernus domus mea est.* Hinc Samuelis anima visa est ascendere de terra, *vt post mortem* (ait Sapiens) *prophetaret. Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi.* Anima denique Lazari dicitur portata ab Angelis, non ad regna cælestia, sed *in sinum Abrahæ.* Ex quibus certum ac manifestum esse puto, neminem veterum sanctorum ante Christum, cælos petiuisse: huicque illam gloriam seruatam à Patre, vt adoptione fratres & cohæredes suos in beatis sedibus illis collocaret, ascendens, vt ait scriptura, *& iter pandens ante eos.*

*Gen.37.* *Gen.42.44.* *Iob.7.& 14.* *1.Reg.28.* *Eccli.47.* *Isa.37.* *Luc.16.* *Mich.2.*

10. DOCT. Rectè omnino. Hac enim de re, Christus seipsum vocat ostium, quo intrandum est: & viam, qua pergitur ad Patrem: seq; hinc pergere ad eum à quo missus fuerat, vt suis pararet locum; quoniam antea nemini hominum paratus aut datus fuerat. Ad quod etiam pertinet, quod Paulus ex Psalte producit, *Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Id enim contigit quando veteres sanctos astu Satanæ in subterraneis locis captos & detentos, in libertatem secum asserendo Christus suos captiuos effecit, educens (iuxta prophetiam) *vinctos suos de lacu, in quo non erat aqua*, sed sitis incredibilis Messiæ venturi redemptoris.

*Ioan.10.14.* *Psal.67.* *Ephes.4.* *Zach.9.*

11. MINIST. Si quorundam veterū Theologorum addideris testimonia, sat mihi erit. DOCT. Hieronymus scribit: Ante Christum Abraham apud inferos: post Christū latro in Paradiso. Et alibi: Sanguis Christi clauis est Paradisi. Terram enim viuentium, quam primus Adam perdidit, secundus inuenit: immò ab illo perditam restituit. MINIS. Verè etenim Christus in Euangelio Abrahamum olim cōstitutum fuisse docet in inferno, ex quo facilè cum damnato epulo-

*Epist.ad Heliod.& epist. ad Dardan.*

epulone colloqueretur: Latroni verò pœnitẽti dixit, *Hodie mecum eris in Paradiſo*, quod nemini vnquam Veterum ſanctorum dictum fuerat. *Luc. 16. 23.*

DOCT. Ambroſius quoque tradit, Cælum mortalibus fuiſſe inacceſſibile. Quod veluti latius explicans non minor præceptore diſcipulus eius Auguſtinus, ſcribit: Filius Dei carnem in ſepulcro poſuit, & comitante ſecum anima ad inferna deſcendit. Per hanc electi, qui quamuis in tranquillitatis ſinu, tamen apud inferni clauſtra tenebantur, ad Paradiſi amœna perducti ſunt. Quod ante paſſionem dixit, in reſurrectione ſua adimplenit, *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Omnia etenim traxit, qui de electis ſuis apud inferos nullum reliquit. Illos ex inferni clauſtris rapuit, quos ſuos in fide & actibus recognouit. Vnde per Oſeam dicitur: *Ero mors tua, ô mors: ero morſus tuus, inferne.* Quia ergo in electis ſuis funditus occidit mortem, mors mortis extitit. Quia verò ex inferno partem abſtulit, & partem reliquit, non occidit funditus: ſed momordit infernum. Hactenus ille, & ex Prophetis, & ex Euangelio Catholicam ſententiam confirmans, hæreſim verò refellens. 12. *In c. 9. Heb. Serm. 137. de temp.* *Ioan. 12.* *Oſee. 3.*

MINIS. De Latinis Patribus ſufficit, his Græcos ſubijcias. DOCT. Chryſoſtomus expendens, cur ſolummodo ſub Euangelio dictum fuerit mortalibus, *Appropinquauit regnum cælorum*, nunquam verò antea, ſcribit: Legens legem, legens Prophetas, legens & Pſalterium, nunquam cælorum regnum audiui, niſi in Euangelio. Quia antequam Chriſtus aperiret ianuam regni, omnes animæ iuſtæ detinebantur in inferno. Cyrillus Alexandrinus ex beati Petri Apoſtoli teſtimonio omni adſeuerationc contendit, Chriſtum ſecundum animã prædicaſſe ſpiritibus veterum ſanctorum, qui in inferorum carcere detinebantur: ſi- mulque ſempiternam gloriam tum eis cõtuliſſe, cùm dixit: *Egredimini*: & exiſtentibus in tenebris, *Reuelamini*. MIN. Iam de hoc ſatis: aliud perſequamur. 13. *Homil. 4. in Marcum.* *L. 12. in Ioã. c. 36. l. de fide ad regin. & l. de fide ad Theodoſ.*

## CHRISTVM INCERTVM AC DEfinitum quendam locum cælorum aſcendiſſe: contra 9. errorem, ordine autem 149.

DOCTOR.

GLorioſiſſimæ Aſcenſionis Chriſti myſterium ſibi quoque multis modis deformandum & lacerandũ Miniſtri Caluiniani ſumpſerunt, quando poſt ſuum hæreſiarcham aiunt, *Locum aliquem imaginari non conuenire, in quem aſcenderit: quum metaphoricè dextera ſecundam à Deo poteſtatem ſignificet.*

*Calu. in c. 16. Mar. v. 19.*

Confutatio 1. MIN. Aperta ſunt eorum verba: ſed longè apertior eſt eorũ hac in re contradictio atque repugnantia. Primùm enim aduerſantur maximo totius doctrinæ ſuæ Sacramentariæ fundamento ac principio: videlicet, Corpus Chriſti cùm ſit creatum, finitum, certisq; quantitatum dimenſionibus circumſeptum, debere omnino aliquo cõtineri loco, extra quem verè & ſubſtantialiter, etiam per abſolutam ac infinitam Dei potentiam, ſimul conſiſtere non poſſit. Hæc enim Caluinus, hæc Beza, hæc Vermilius, hæc Zuinglius, & vniuerſa Sacramentariorum colluuies; aduerſus Brentium, Heshuſium, Holderum, Pappum, Iacobum Andream, & alios Lutheri ſectatores.

2. Inde factum eſt, vt Dillerus, Boquinus, Oleuianus, Dathenus, & Vrſinus Sacramentarij Heidelbergenſium miniſtri, in Epitome colloquij Malbrunnenſis, contra miniſtros VVittebergenſes ſuſtinuerint, *Chriſti noſtraque corpora, in cæleſti gloria, certo aliquo loco eſſe oportere.* Et paulò poſt aiunt. *Velint, nolint aduerſarij, fateantur neceſſe eſt, Chriſti & electorum corpora, non niſi vno loco eſſe, ſiue in cælo, ſiue alibi pro ipſorum gloriæ ratione.* Itaque contra Caluini pronunciatum, aliquis locus eſt animo concipiendus, in quem aſcendens reſideat in cælis.

*Anno 1564.*

*Pagin. 225, & 230.*

3. Adhæc, in nouiſſimo Caluinianorũ & Lutheranorum colloquio Mõpelgartenſi, Beza & Faïus nomine Genevanorũ, Abrahamus Muſculus noïe Bernenſiũ, Claudius

Claudius Alberius Lauſanenſium, cum Iacobo Andrea & Luca Oſiandro Tubingenſium miniſtris diſputantes, *Profeßi ſunt primum doctrinæ ſuæ fundamentum eſſe, Veram carnem Chriſti ex quo in cælos aſcendit, à nobis abſentem, & perpetuam eiuſdem carnis eſſentiam, vt circumſcriptione organica & localitate ſita ſit.* Et poſtea Beza ſic Iacobum Andream alloquitur: *Nos dicimus corpus Chriſti mentipræſens eſſe, licet in vno loco cæli contineatur, & abſens ſit à terra.* Eidem poſtmodum Iacobo Andreæ à Beza percunctanti, *Quoniam adſcenſum Chriſti localem, & commorationem eius in cælo localem, mihi Reuerentia tua obiecit & vrſit, quæro, An adſcenſus ad Deum Patrem fuerit localis?* Beza reſpondit: *Non dubito*: Cùm itaque præſenti errore in quem diſſerimus, videlicet, *nullum oportere imaginari locum, vbi Saluatoris humanitas in cælis reſideat*, ſacramentariæ doctrinę ſuæ fundamentum ipſi ſubuertũt; etiam ſequentibus placitis velut mendaces, ac indigni quib. fides in perpetuũ habeatur, proprijs aduerſantur.

*Anno 1586. Colloquij pagin. 23.*

*Pagin. 104.*

*Pagin. 145.*

Quartò, ſemetipſum proprio gladio confodiens Caluinus ſcribit: *Cùm dicitur Chriſtus eſſe in cælo, non ita debemus accipere, quemadmodum ſi inter ipſas reſideret ſphæras: Sed in his loquẽdi formulis, cælum ſignificat locum, omnes ſphæras ſuperantem, qui deſtinatus eſt Filio Dei poſt reſurrectionem ſuam.* DOCT. Habere verò deſtinatum, & nullũ eſſe imaginandum locum, manifeſta ſunt contradicentia: neceſſe eſt igitur alterum falſiſſimum eſſe.

4. *In c. 1. Epheſ.*

Quintò, hanc Auguſtini ſententiam, *Spatia locorum tolle corporibus, nuſquam erunt: & quia nuſquam erunt, non erunt*; tanquam clypeum Aiacis, nunquam non obijciunt, vrgent, impellunt. Igitur ex hac conſequitur Chriſti in cælis corpori deſignandum eſſe aliquem locum. DOCT. Rectè Auguſtinus loquitur de corporibus modo naturali & conſueto exiſtentibus: atque ſecundum hanc expoſitionem Auguſtini verba ambabus brachijs excipimus.

5. *Epiſt. 57. & Tract. 30. in Ioan.*

Sextò, Henricus Bullingerus libro de duabus naturis Chriſti, Petrus Vermilius Dialogo de loco corporis Chriſti, Beza libro de vnione hypoſtatica, omnibus modis inſectantur, dilacerant, damnantque Brentiũ, Andream, Oſiandrum, aliosque Tubingenſes, pro-

pter nouam suam Vbiquitatem, è contrario verò constantissimè adfirmãt, Corpus Dominicum etiam post resurrectionem & ascensionem eius, esse in certo ac definito cælorum loco. Necesse est igitur Caluinum turpissimè hallucinatum fuisse, cùm dixit, *Nullum oportere locum imaginari in quo resideat.*

7. Septimo, Philippus Melanthon, quem Caluiniani & suum, & totius Germaniæ præceptorem vocitant, scribit: *Necesse est Christum esse in certo loco cæli quo ad carnem: vbique autem quo ad Diuinitatem.* Iuxta huius decretum Saxoniæ ministri, vnà cum Leypsensibus, & VVitebergensibus in synodum Dresdensem conuenientes 1571. publicis sententijs decreuerunt, *Corpori Domini immensam naturam attribuere, rem esse prodigiosam, & horrendam articulorum fidei corruptionem.* Insuper, *statuerunt contrariam doctrinam esse vnum ex fidei Christianæ capitibus: atque ita credendum, Corpus illud Seruatoris in determinato cæli loco permanere.*

Com. in c. 3. ad Colos.

8. DOCT. Sufficiunt hæc septem pugnantia ad sententiam Caluinianorum labefactandam ac omnino expugnandam, catholicam autem doctrinam ab ipsis hostibus constituendam: nunc quæ aduersus hæresim istam in promptu habeo, proponam. Tria Christianæ fidei symbola inter religionis nostræ articulos, istos tres expressè commemorant de Christo: *Ascendit ad cælos, Sedet ad dexteram Dei Patris, inde venturus iudicare viuos & mortuos.* Quicunque his fidem detrectat, non Christianus, sed Iudæus, Turca, aut Ethnicus iure censetur. Caluiniani etiam contestantur illos ab his corrumpi ac deprauari, qui negant corpus Domini in certo cæli loco residere. Necesse est igitur vt Caluinum suum inter hos infideles connumerent. MIN. Equidem vt verbum *ascendit*, certum connotat locum vnde ascenderit, nimirum, ex monte Oliuarum: ita & alium locum in quem ascenderit. Tum etiam aduerbiũ *Inde*, non significat infinitam quandam extensionẽ, sed locum, vnde venturus est ad iudicandum viuos & mortuos.

9. DOCT. Christus ipse ascensurum se in cælum, deinde assumpturum ad se Apostolos & electos prædicens,

cens, locum sibi & illis designatum disertè commemorat dicens: *Vado parare vobis locum, & si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* MIN. Cùm semel & iterum *locum* nominet, Caluinianam sententiam apertè damnat, prohibẽtem locũ aliquẽ imaginari. Deinde, aduerbijs loci *quò & vbi* vtens, locum certè designat quo excipiendus erat. Mansiones etiam varias cõmemorans, docet apertè vnumquemq; electorum accepturum esse sedem in illa beatitudine suis laboribus decretam à Deo omnium bonorum compensatore: iuxta id quod à Sapiente scribitur: *Misericordia Dei faciet vnicuiq; locum secundũ merita sua.* Et Paulus ait: *Vnusquisq; mercedem accipiet secundum proprium laborem.* Ioan. 14. Eccl. 16. 1. Cor. 3.

DOCT. Iam ipsas Euangelistarum & Apostolorum de Ascensione Christi conciones erectis animis audiamus. Marcus ait: *Postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.* Lucas verò, *Eleuatis manibus benedixit eis, & ferebatur in cælum.* Et in Actis Apost. *Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorũ. Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid aspicitis in cælum? Hic IESVS qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Dicit quoq; Petrus: *Oportet eum cælum suscipere, vsq; ad tempora restitutionis omnium.* MIN. firma certè ac euidentia argumenta, quæ ascensionem corporis Dominici in præscriptum cæli locum transuectum denotant. Nam si in cælum elatum est, determinatum locũ obtinet, Apostolicis oculis diligenter signatum. 10. Marc. 16. Luc. 24. Actor. 1. Actor. 3.

DOCT. Paulus quoq; non solùm prædicat eum sua ascensione cælos penetrasse, sed & in cælestibus exaltatum fuisse super omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem: hoc est, super omnes Angelorũ ordines, atq; spirituum hierarchias, qui habitant in cælis. *Qui descendit*, ait idem, *ipse est, qui & ascendit super omnes cælos.* MINISTER. Hæc Apostoli testimonia nequaquam significant infinitam quandam extensionem, in qua Domini verum corpus 11. Ephes. 1. et 2. Ephes. 4.

euanuerit: sed glorioſiſſimam quandam exaltationem in ſupremum totius mundi locum: vt quia infra omnia ſeſe demiſerat, ſuper omnia creata exaltaretur.

12. DOCT. Attende etiam morientis beati Stephani geſta. *Intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & IESVM ſtantem à dextris virtutis Dei, & ait: Ecce video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei.* MIN. Clarum eſt profectò quod vultum in cœlum erigens, acie oculorum Chriſtum hominem in aliquo certo loco contueretur regnantem, & in auxilium ſuum paratum: atque ita illos aduerſus veri corporis eius naturam, & gloriam cœleſtem graues gerere inimicitias, qui huic doctrinæ non conſentiunt.

Actor. 7.

13. DOC. Præterea, vera immenſitas, id eſt, ſuapte natura preſens eſſe vbiq;, ita propria eſt Diuinitati, vt alijs per ſe conuenire nequeat. Quocirca cęli licet ampliſſimi, elementa latiſſimè diffuſa, habent tamen loca ſua terminata & finita, quibus contineantur. Angeli quoque tam boni quàm mali, & animæ corporibus ſuis digreſſæ, ſunt in locis à Creatore ſibi definitis. Quare Chriſti Domini ſubſtantia humana, cùm ſit Dei opificium, à Spiritu ſancto concepta, formata, veraque creatura, etiam poſt reſurrectionem & aſcenſionem, profectò in certo ſibique decreto cæli loco cum ſuis quãtitatibus atque dimenſionibus conſtituitur.

14. MIN. Quorundam veterum Theologorum, qui de hac re diſſeruerint, locos tãtùm mihi deſigna, vt cũ otio abundauero eos conſulere poſſim. DOCT. Auguſtinus in primis copiosè rem pertractat Epiſtola quinquageſima ſeptima, & Tractatu 78. in Ioannem: deinde Theodoretus Dialogo ſecundo & tertio: Vigilius martyr libris contra Eutychen: Leo magnus ſerm. de Aſcenſione: Ambroſius libro ſecundo de fide: Fulgentius libro ſecundo ad Thraſimundum, & alij qui aduerſus Eutychianos ſtylum exercuerunt.

(.·.)

EVNDEM

## *EVNDEM DOMINVM NOSTRVM super cælos sine horum diuisione aut fractione, cum corpore suo glorioso ascendisse: aduersus errorem decimum, ordine verò 150.*

DOCTOR.

ERrore decimo tam stupidi sunt Vestri Geneuani, vt nolint cum vniuerso Christianorum cœtu sibi persuadere, Christum cum glorioso suo corpore super omnes cælos conscendisse, *sine vlla ipsorum corruptione aut reali partitione: sed per hiantem fracturam intrauisse contendunt*: ne fateri cogantur diuina potestate fieri posse, vt duo corpora simul eundem locum habeant. Duo Ministri Sureus & Spina in publico Parisiensi colloquio, hunc errorem primò verbis, deinde scriptis contra datam fidem euulgatis, sibi peruicaciter propugnandum assumpserunt.

MIN. Legi, & relegi, sed nunquam probaui. Nam impium est tam obcæcatè intellectus humani limitibus infinitam Dei potestatem & virtutem restringere, vt id non credant Christum Dei Filium fecisse, aut facere potuisse, quod carnali sensu suo non capiunt: cũ tamen data sit ei omnis potestas in cælo & in terra, qua plura maioraque efficere possit, quàm capimus aut intelligimus. Ac ideo mihi satius esse videtur, intellectum suum obsequio fidei captiuum reddere: quãdo in huiusmodi operibus diuinis tota ratio facti, sit potentia facientis. Confutatio 1. *Matth.28.* 2.Cor.10.

Ad confutandum porrò errorem istum mihi sufficere videtur hic primus Christianæ fidei articulus, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*. Cùm enim in cælo, terra, & omnibus abyssis omnia possit efficere, vt scripturæ docent, infinita quoque miracula contestantur: insuper, nemo possit eius resistere voluntati, qua vniuersa ex nihilo facta condidit, regit, administrat; potuit sanè idque nullo labore præstare, vt assumpta humanitate sua Christus aërem, ignem, & cuncta corpora cælestia magnificè penetraret, & sine eorum aper- 2. *Symbol. Ap.*

tione

tione aut hiatu eadem transcenderet. Enimuerò si radij solis sua luce & virtute vitrum, quod est solidum corpus, sine illius iniuria penetrant, quanto magis cælestia illa corpora verus sol iustitiæ Christus id potuit? Quicunq; ergo istud diuinæ potestati detrahit, Deũ maxima gloriæ suæ parte nequissimè exuit.

3. *Matth.11. Ioan.5.10. & 13. Ps.8. et 109.* Dum etiam mecum perpendo, quantam hic Filius Dei à Patre suo potestatem acceperit, vtpote qui dicat, & verè dicat, *Omnia quæ habet Pater mea sunt: Pater in me manens, ipse facit opera: Pater dedit illi omnia in manibus: Omnia subiecit sub pedib. eius etc.* mihi iure optimo videtur in toleranda horum nebulonum audacia, imò diabolica planè temeritas & impudentia, qua sic Deo omnipotẽti, & coæquali eius Filio præscribere volunt, vt vilissimus quisq; Ministellus in suæ hæreseos præsidium audeat dicere: Deum hoc aut illud efficere nõ potuisse: Cælos ingredi non potuit, nisi prius diuulserit, fregerit, & viam sibi fecerit, eo planè modo quo lupus aut aper obiecta sibi disrumpunt obstacula: aut fures muros sibi effodiunt vt furentur.

4. DOCT. His adde, quod diuinis priuilegijs, dotib. ac perfectionibus Christi corpus, nostrorum omnium corpora adeò superauerit, vt nulla possit esse inter hæc satis iusta collatio: tametsi natura & substantia planè sint eiusdem generis atq; speciei. Nam à solo Spiritu *Luce 1.* sancto, sine vlla viri opera conceptum fuit in vtero Virginis, inde miraculo natum, & ad nulla vitia procliue. In eodem quadraginta diebus & noctibus Do- *Matth.4. & 14. & 15.* minus ieiunauit, super aquas incessit, in nube sole ipso clarior apparuit, inuisibilem & incomprehensibilem hostibus cùm libuit, effecit: quæ omnia caducis nostris *Luce 4.* corporibus impossibilia sunt. Ea propter, etiamsi in viribus nostris non est situm, vt alia, eaque solida corpora sine apertione viæ perrumpamus: non tamen inde hoc ipsum statuendum est de glorioso, immortali, atq; Filio Dei in vnitate personæ coniuncto corpore.

5. MIN. Hæc tam manifesta & certa sunt, vt nunquam mirari desinam, homines esse, qui velint illis aduersari: atque sic præfractè diuinæ maiestati, potentiæ, gloriæ, & miraculis sese opponere, vt dicant Filium Dei in su-

fuum thronum cælestem integris cælis nequiuisse conscendere. Sed quid ea de re prisci Patres Ecclesiæ censuerunt? DOCT. Satis supra commemoraui, dum egi quo pacto saluis vteri Virginalis claustris, ex matre natus prodijt, sepulcro clauso sigillisque Iudæorũ munito exiuit, denique non apertis Cenaculi foribus ad discipulos suos intrauit. Nemini dubitãdum, quin idem & senserint & docuerint de eiusdem Christi Domini super omnes cælos ascensione.

Denique ex te quæro, An beati Angeli quoties ad nos è cælis descendunt, aut à nobis in cælos redeunt, toties cælos effringant & aperiant, vt viam aditumq; sibi muniant? MIN. Nequaquam. Sunt enim puri spiritus nulla carnis aut quantitatis mole concreti, qui his non indigeant. DOCT. Quale verò corpus Christi à sua resurrectione, aliaque corpora Sanctorum, post iudicium postremum futura existimas? MIN. Apostolus certè adfirmat illa fore glorioſa, incorruptibilia, spiritualia, & cælestia. DOCT. Ergo corpora illa, cuiusmodi maximè fuit corp⁹ Christi à resurrectione sua, nihilo plus indigent ostio aut foramine, vt obductum quemlibet locum ingrediantur; quàm Angeli, aut alij beati spiritus, cùm & ipsa sint cælestibus & spiritalibus prædita qualitatibus. Atque hoc sensu Paulus scribit, *IESVM Pontificem nostrum cælos penetrasse,* cùm super illos ascendit: indeque venturum in voce Archangeli & tuba Dei, vt iudicet viuos & mortuos. MIN. De his iam satis, aliam ineamus disputationem.

6.

1. Cor. 15.

*Heb. 4.*
*Ephes 4.*
*1. Thess 4.*

## *CHRISTVM PROPRIE SEDERE AD dexteram Patris: aduersus errorem vndecimum, ordine autem*

## *151.*

DOCTOR.

VT Satanas infestissimus gloriæ diuinæ atque salutis humanę aduersarius, nihil intactum & inuiolatũ relinqueret, Caluino vestro persuasit, ipsam Christi ad dexterã Patris sessionem quibuscũq; posset

posset artificijs & locis deprauare. Ait enim: *Sessio ad dexteram, metaphoricè accipitur pro secundo, vel proximo gradu, quem Dei Vicarius occupat.* Nec his contentus adhuc alibi repetit: *Dicitur Christus sedere ad dexteram Patris, quia summus Rex constitutus, quasi secundam ab eo honoris & imperij sedem obtinet, quia eius est vicarius.* Rursumque idem inculcans scribit: *Consedit à dextris Dei, perinde est ac si vocetur Dei vicarius, qui eius personam sustinet. Quare locum aliquem imaginari non conuenit, quum metaphoricè dextera secundam à Deo potestatem significet.*

In c. 21. Mat. v. 44.

In cap. 26. Matt. v. 64.

In c. 16. Mar. v. 19.

MIN. Hæc Caluini verba esse non diffiteor: sed non satis video quid in his reprehendendum censeas. Num Deum Patrem corporeum esse iudicas, qui in throno aliquo resideat, veram habens dexteram, in qua Christus & ipse sedens vt fessus resideat? DOCT. Minimè gentium: nam Anthropomorphitarum crassa hæresis quondam fuit hæc imaginatio, ex verbo Dei damnata & repressa in veteri Ecclesia. MIN. Quid ergo? Caluinum damnas, quod dexteram Dei metaphoricè intelligendam censeat? DOCT. Nec istud quidem: imò in verbis istis, *Sedet ad dexteram Patris*, duplicem metaphoram cum sanctis Patribus agnoscimus & profitemur. Non hoc inquam, in Caluino coarguimus, quod dexterã Dei metaphoricè dici iudicet: sed metaphoræ ab eo designatæ interpretationẽ, impiam, ac sceleratam esse constanter pronunciamus. Nimirum, quod Sessionem Christi ad dexteram, *censeat tantùm esse, secundum vel proximum gradum, quem apud Patrem obtineat; quod secundam ab eo honoris & imperij sedem habeat; quodque sit Vicarius Patris*, quasi absentis vel otiosi. His namque substituuntur vicarij, seu locum tenentes.

**Confutatio 1.**

MIN. Cedo autem duplicem metaphoram, quam in hoc symboli articulo constituis: & quo pacto sensuque pio vtraque sit intelligenda. DOCT. Si sessionem Christi ad eius Diuinitatem referas, ipsammet Patris essentiam, maiestatem, gloriamque diuinam significat, quæ Filio etiam ab æterno cum eodem Patre vnà & communis est, vtpotè consubstantiali, coæterno, & coæquali: Per hunc consessum, ait Basilius, naturam

*Lib. De Spiritu sanct. c. 6.*

Dei

Dei ſolidam ac immutabilem ſcriptura ſignificat, iuxta illud: *Tu ſedes in æternum.* Et Cyrillus Ieroſolym. adfirmat hanc dignitatem non conuenire Chriſto poſt aduentum eius in carnem: ſed ante omnia ſecula: quia vnigenitus Filius Dei à dextris Patris ſemper aſſiſtebat. Cyrillus quoque Alex. vult ſedere ad dexteram Patris, eſſe ita proprium Chriſto Deo, vt nulli creaturæ conuenire poſſit. Quę ex Paulo ſumpta videntur, quando ex hac Filij æqualitate, Diuinam eius naturam comprobat, dicens: *Sedet ad dexterã Patris in excelſis. Ad quem autem Angelorum dixit, Sede à dextris meis?* MIN. Hoc ſenſu explicata Seſſionis metaphora veriſſima & certiſſima eſt: Caluini autem interpretatio planè nefaria, quoniam Filij Dei conſubſtantialitati, & cum Patre æqualitati planè contradicit: quod eſt Arrianorum, Iudæorum, atque Turcarum impietatem inuehere. *Baruch 3.* *Catech. 14.* *L. 12. theſauri cap. 7.* *Hebr. 1.* *Pſalm. 109.*

DOCT. Sin verò Seſſio iſta ad Chriſtum hominem referatur, non vnum ſignificat. Primò enim denotat, Chriſtum hominem poſt grauiſſimos plurimoſq; labores, quos propter nos aſſumpſit, perfectamq; ſalutis humanæ œconomiam, in cæleſti tandem patria conquieuiſſe. Qua de re dixit in Euangelio: *Oportuit Chriſtũ pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Paulus quoque huc reſpiciens, ait: *Videmus IESVM propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum.* Alibi etiam hanc Seſſionem conſtituit velut vltimum terminum & ſcopum laborum eius, ſcribens: *Chriſtus IESVS mortuus eſt, & reſurrexit, & eſt ad dexteram Dei.* Et rurſum: *Suſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam, &c.* Et hoc ſenſu de viuis membris eius etiam dicitur. *Recumbẽt cum Abrahã, Iſaac, & Iacob, in regno cælorum. Dicit Spiritus, vt requieſcãt à laboribus ſuis.* MIN. Hæc quoq; interpretatio valde appoſita eſt, & verbo Dei nixa: Caluini autem nefaria. 2. *Luc. 24.* *Hebr. 2.* *Rom. 8.* *Epheſ. 1.* *Matth. 8.* *Apoc. 14.*

DOCT. Significat ſecundò hæc ſeſſio, Chriſtum hominem habitare quidem in gloria cæleſti, ſed cum tanta dignitate, maieſtate, & gloria, vt omnis ei poteſtas data ſit in cælo & in terra, conſtitutus ſit caput ſuper omnẽ Eccleſiam, tanquam ſummus omnium Rex præſit omnibus, & velut viuorũ & mortuorũ Iudex in ipſomet Dei reſidens ſolio, à cunctis religioſè colatur & 3. *Matth. 28.* *Epheſ. 1.* *Philip. 2.*

tur & adoretur. Hoc enim sensu *Sedere* in scripturis solet assumi, vt diligenter notauit Augustinus, videlicet, vt sit gloriosè regnantium, cum æquitate iudicantiũ, & cum eximia potestate dominantium. M I N. Et hoc apertis expressisque verbis diuinis innititur. Hinc Dauidis & Salomonis regum potentissimorum throni & solia frequenter commemorantur. Dominus quoque dicitur *sedere in solio excelso & eleuato*: & senex dierum in Daniele, *sedere*, id est perfectè absoluteque regnare. Paulus quoq; *Sessionis* istius metaphoram explicat per verbum regnandi, cùm dicit: *Oportet illum (Christum) regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius*: alludens ad id quod in Psalmo à Patre Christo dicitur: *Sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorũ.*

*L 2. de symb. c. 7. & lib. 3. quæst. in Leuit. quæs. 24.*
*3. Reg. 2.*
*1. Reg. 2.*
*Isa. 6.*
*Dan. 7.*
*1. Cor. 15.*
*Psalm. 109.*

4. Atque hactenus satis de priore metaphora, quæ est, *Sedere*: secundam explica, nimirum, quid per *dexteram Patris* cogitandum & credendum sit denotari: DOCT. Iam diximus quandam corporis partem quæ dextera nominetur, Deo nequaquam tribuendam esse, cùm spiritus sit immensus & omnis materiæ atq; quantitatis expers. M I N. Quid ergo designat *dexteræ* metaphora? D O C T. Primò iuxta DD. Athanasium, Damascenũ, ac vtrumq; Cyrillum, diuinam omnipotentiam, maiestatem, gloriam, & naturam, quæ Filio Dei Christo ab æterno cõmunicata fuit, secundum quod ipse ait, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt: Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.* Verba magni Athanasij sunt; Quid significat sedere ad dexteram Patris, nisi germanitatem Filij, ac Deitatem Patris, eandem quoq; esse Deitatem Filij?

*Li. de cõ ess. Li. 4. de fide cap. 2. Cate. 14. L. 12. thesau. c 7. Matth. 11. Ioan. 17. Orat. 2. cont. Arrian.*

5. M I N. Sed hæc ad æternam diuinamq; naturam eius pertinent: quæro autem de humanitate, secundũ quã magis propriè dicitur sedere ad dexterã Patris? D O C. Secundò igitur *dextera Patris* designat supremam illam dignitatem, excellentiam, potestatem, & gloriam, quę ratione coniunctionis hypostaticæ homini Christo cõuenit: cuius ratione etiam quatenus homo est, cum Deo pari cultu honoratur & religiosè adoratur: iuxta quod ipse dixit: *Pater omnẽ potestatem dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrẽ qui misit illum.* Et hac de re Pau-

*Ioan. 5.*

re Paulus: *Dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Hinc verò Leo Papa: Neq; vllis sublimitatibus modum suæ prouectionis habitura (humana Christi natura) nisi æterni Patris recepta confessu, illius sociaretur in throno, cuius naturæ copulabatur in Filio. Et Theodoretus exponens hæc Pauli verba, *Sedere eum fecit ad dexteram suam,* scribit: Certum est Apostolum hæc omnia posuisse, tanquam de homine: ea enim de causa etiam admiratione ductus est. Quod enim qui Deus est, vnà cum Deo sedeat, & qui est Filius vnà cum Patre regnet, non est admirabile: quod autem sumpta ex nobis natura, eiusdem honoris cum eo qui sumpsit, sit particeps, hoc omne miraculum superat. *Philip. 2.* *Serm. 1. & 2. de Ascens.* *Cō. in c. 1. ad Ephes.*

MIN. Num & aliud vlterius significat *dexteræ Patris* metaphora? DOCT. Significat tertiò Iudiciariam illam in viuos & mortuos potestatem, quæ homini Christo à Patre pro meritis data est: vt idem ipse Christus testatur: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Et Petrus concione publica istud declarat his verbis: *Hic constitutus est à Deo iudex viuorum et mortuorū.* Paulus denique ait: *In hoc mortuus est, & resurrexit, vt viuorum & mortuorum dominetur.* Hoc clarius latiusq; explicat Augustinus libro 2 de symbolo, c. 7. & octauo. 6. *Ioan. 5.* *Act. 10.* *Rom. 14.*

MIN. Quid denique *dexteræ Dei* metaphora nobis de Christo homine sentiendum ac credendum designatur? DOCT. Quartò, quod summa omnium beatitudine in cælis corpore & animo perfruatur: cùm non solū electos omnes, sed & ipsos Angelos, Archangelos, Cherubinos & Seraphinos hac in re tantum superet, quantum est à centro terræ ad summum cælorum fastigium. MIN. Agnosco verba diui Pauli: *Constituit eū Pater ad dexteram suam in cælestibus supra omnē principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomē quod nominatur non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro.* Dauid etiam nomine *dextræ Dei* omne genus fœlicitatis & beatitudinis comprehendens scribit: *Delectationes in dextera tua vsque in finem.* 7. *Ephes. 1.* *Psalm. 15.*

DOCT. Explicatis ergo Sessionis Christi ad dexterā

Patris duabus metaphoris, earundemq; interpretatione expressis scripturæ ac veterũ Theologorũ testimonijs confirmata, superest, vt in quibus quantisq; aduersus hunc fidei Christianæ articulum Caluinus cum suis aberret exponamus: ac deinceps errores illos paucis refellamus. Primò enim fallitur, quando Sessionem ad dexteram Patris, vocat, *secundum vel proximum ab eo gradum*: quoniam huiusmodi diuersitas graduum non potest esse inter diuinas Patris & Filij personas, in quib. est summa æqualitas; vt iam supra disseruimus. Secundò, aberrat, eandem *sessionem* appellans *quasi secundam à Patre honoris & imperij sedem*: quandoquidem eadem sit omnino sedes, authoritas, & potestas, idemq; Regium solium, Patris & Filij & Spiritus sancti. Tertiò, dignitatem Christi Filij Dei imminuit, vocans eum, *Vicarium Patris*, quasi Pater ipse cælis aut terris abesset; aut instar Dei ab Epicuro conficti alicubi feriãs resideret; nec res creatas curaret: atq; idcirco *Vicario* illi opus esset. Quartò, contumelioſus est in Christum hominem, *nolens eũ esse personaliter inuocandum & adorandum*, eodem cultu religioso quo Patrem adoramus & inuocamus: quod etiam superioribus dialogismis diffusè confutauimus. Quintò denique à veritate fidei Christianæ omninò deficit, autumans *Christum non esse enumeratas dignitates & glorias consequutum ex proprijs meritis*: cuius contrarium supra ex scripturis verum esse non semel euicimus. Atq; hi eius errores: aduersus quos, si quid ex eodem, sibi pro more repugnante, habes in promptu, deprome.

Pag. 82. 83. 84. &c.

Pa. 223. 224.

Pa. 233. 234. 235. &c.

9.

MIN Certè alicubi summum imperium, ipsamq; Dei maiestatem Christo apertè tribuit, scribens: *Hoc elogio*, Sede à dextris meis, *Christus statuitur summus et vnicus Rex, qui inter omnes fideles emineat. Nec vlla exceptio admitti debet, quin vbi præficitur Ecclesiæ redemptor, ad vnum omnes in ordinem cogantur*. Et non multò post: *Christus pro confesso sumit, eum qui numero hominum eximitur, & in eum honoris gradum euehitur, vt sit summum totius Ecclesiæ caput, non esse merum hominem; sed Dei quoque maiestate præditum*. DOCT. Atqui vnicum est regnum Patris & Filij: imò Pater & Filius nõ duo sunt Reges aut Domini,

In c. 22. Mat. v. 43.

sed

ſed vnus Rex & Dominus: igitur Caluinus impius eſt ſecundum tantùm gradum tribuens Filio. Deinde, vnica quoque eſt Patris & Filij eius maieſtas: igitur nec Chriſto ſecunda quædam honoris ſedes adſcribenda eſt, nec pro Patris vicario ſolùm reputandus.

MIN. Alibi rurſus ait: Chriſtum dicendo, Data eſt mihi omnis poteſtas &c. non abs re de ſua poteſtate præfari. *Nec enim ſufficeret mediocris authoritas, ſed ſummo diuinoque imperio pollere oportet, qui ſuo nomine vitam æternam promitti mandat.* Et paulò poſt: *Nunquam tam arduum manus aggredi Apoſtolis perſuaſum foret, niſi ſcirent in cælo ſedere ſuum vindicem, cui ſummum imperium datum eſſet.* Denique, eodem loco ſubijcit: *Meminerimus, quod Chriſtus iure ſuo ſemper apud Patrem habuit, hoc illi in carne noſtra datum eſſe. Non enim æternam potentiam iactat, qua præditus fuit ante creatum mundum: ſed quam nunc accepit, dum ordinatus fuit mundi iudex. quo etiam pertinet illud Pauli, Exinaniuit ſeipſum, propterea exaltauit eũ Deus, et dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.* DOCT. Rectè, & contra eiuſdem errores. Etenim non ſecundam honoris & imperij ſedem Chriſtus in dextera Patris obtinet; non ſecundum dignitatis gradum vt aliquis Vicarius poſſidet, vt in hæreſi blaterat; ſi ſummo diuinoque (vt hîc loquitur) imperio pollet: quoniam nec ſummo datur maius, nec Patris diuinum bipartitum eſt per varios gradus imperium, vt ipſe quidem primum, Filius autem ſecundum tantùm obtineat locum. Deinde, ſi Chriſto datum eſt ſummum in cælo imperium, Seſſio eius ad dexteram Patris, quid longè auguſtius & præſtantius eſt, quàm ſimplicem vicarium Dei eſſe. Præterea, cùm ſedendo ad dexteram Patris hoc illi datum eſt in carne noſtra, quod iure ſuo ſemper apud Patrem habuit, profectò datum eſt illi vt in carne noſtra religioſo cultu adoretur & inuocetur: quod Caluiniani flagitioſiſſimè alibi negant. Poſtremò, cùm tanta gloria, poteſtas, & authoritas regnandi atque iudicandi, illi donata ſit in carne, & donata *propterea quod exinaniuit ſemetipſum obediens Patri vſque ad mortem, mortem autem crucis*: equidem certè nequiſſimus eſt Caluinus alibi negans Chriſtum ſibi quicquam meruiſſe.

10. In c. 28. Mat. v. 18.

Philip. 2.

11. Caluinus demum iam nolens Christum vicarium esse, aut in secundis tantùm residere; primas eidem cum Patre tribuit, dicens: *Christus per resurrectionē mortis victor emersit, ac de eius potentia triumphauit. Et plus etiam Apostolus addit, nempe ipsum nunc sedere in Patris dextera: quo significatur, ipsum cæli ac terræ dominium obtinere, plenumque rerum omnium arbitrium ac moderationem, sicut habetur Ephes. 1. v. 20* Et in Institutione de hac re ex professo differens, suos vicariatus, & secundas imperij ac honoris sedes penitus oblitus, ait: *In Patris dexteram receptus dicitur, ac si diceretur cæli ac terræ dominio inauguratus, commissæ sibi administrationis possessionem solenniter adijsse: nec semel adijsse tantùm, sed in ea perstare, donec ad iudicium descendat. Sic enim Apostolus interpretatur, cùm ita loquitur: Constituit illum Pater ad dexteram suam supra omnem principatum & potestatem, &c. Vides, quorsum pertineat illa sessio, nempe, vt eius Maiestatem tum cælestes tum terrenæ creaturæ suspiciant, manu eius regantur, virtuti subiectæ sint.* DOCT. At hoc ipsum est proprium & verum imperium, hoc idem regnū Dei Patris: ergo Christo sedenti ad dexteram eius, non est datus tantū secundus locus aut gradus imperij & honoris: sed idem vnicus ac primus, vt verè cū Patre sit vnicus & verus omniū rex, imperator, rector, Deus atq; Dominus.

*In cap. 8. Roma. v. 34. & in cap. 10. Heb. v. 11.*

*Lib. 2. ca. 16. §. 15.*

*Eph. 1.*

12. Si quid porrò ex Protestantibus etiam occurrit tibi, quod vltimam Caluini sententiam corroboret, primam verò ac hæreticam oppugnet, lubens audiero. MIN. Palatini ministri, qui contra VVirtebergicos in Colloquio Mulbrunnensi steterunt, multis primùm Scripturis euincunt, *Christi sessione ad dexteram Patris significari eius Regale officium, gubernationem & gloriā, vtriusq; naturæ summam perfectionem, & cultum ab Angelis & hominibus debitum* Deinde, idipsum confirmant Augustini, Cypriani, Theodoreti, & Basilij magni testimonijs. Præterea, Melanthonis hic locus productus fuit. *Sedere ad dexteram Dei, est regnare pari potentia cum Deo.* Denique etiam Lutheri scribentis: *Christus iubetur sedere ad dexteram Patris, hoc est, idem regnum, eandem potentiam, eundem honorem & gloriam tenere.* Citantur etiam ibidem hæc Brentij verba, *Omnia videre, audire,*

1564. *In Epitom. pag. 184. 185. 186. &c.*

*In Psal. 119. In eundem Psal.*

*audire, gubernare, & administrare, verè est ad dexteram Dei sedere. Et ad dexteram Dei sedere, est omnia videre, omnia audire, omnia administrare, quæ summa est Maiestas, quam Deus soli homini Christo, nulli verò Angelorum aut hominum dedit.* DOCT. Sed Christus Deus simul & homo est idem cum Patre Rex, eadem præditus perfectione, potestate ac prouidentia, vt simul cum eo cuncta moderetur; & ea ratione dicitur ei adesse in dextera: non ergo ratione cuiusdam vicariatus, aut secundæ potentiæ. *Epitomes pag. 206.*

MIN. Atque hæc mea aduersus eum argumenta: tu ex scripturis nunc age. DOCT. Caluiniana figmenta redarguunt, & doctrinam Catholicam de vera Christi ad dexteram Patris sessione corroborant plurimi & grauissimi Scripturarum loci, quibus ea exprimitur, declaratur, inculcatur. Quemadmodum in Dauide, *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedũ tuorũ.* Apud Matthæum: *Videbitis Filiũ hominis sedentem à dextris virtutis Dei.* Apud Marcum: *Assumptus est in cælum, & sedet à dextris virtutis Dei.* Apud Lucam: *Ex hoc erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.* Paulus quoq; de eadem frequenter concionatur, vt in Epistola ad Romanos: *Christus Iesus mortuus est, imò resurrexit, qui & est ad dexterã Dei.* Et ad Ephesios: *Suscitauit eum Pater à mortuis, & constituit eũ ad dexterã suam in cælestibus, &c.* Et ad Philippẽses, metaphorã dexteræ & sessionis explicans, ait: *Omnis lingua confiteatur quia Dominus noster Iesus Christus est in gloria Dei Patris.* Eandẽ explicationẽ postea quoq; confirmans, & summum imperiũ & vnicum cũ Patre possidet, describens & annuncians scribit: *Christus est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cælis & in terris, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Et ipse est antè omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinẽ inhabitare.* Et postea: *In ipso habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Nec multum post: *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.* Denique, *Psal. 109. Matth. 22. Matth. 26. Mar. 16. Rom. 8. Ephe. 1. Philip. 2. Coloss. 1. Coloss. 2. Coloss 3.*

etiam tertiò eiusdem meminit in epistola quæ est ad Hebræos, inquiens. *Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. In perpetuum sedet in dextera Dei. Propositò sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta, atq; in dextera sedis Dei sedet.* MIN. Oportet sanè Caluinum hominem fuisse nequissimum & flagitiosissimum, qui tot tamque sanctis de Sessione Christi ad dexteram Dei testimonijs, nescio quæ Vicariatus & secundarum sedium figmenta ausus est substituere: Apostolis præsertim tam clarè illam per virtutem, maiestatem, gloriam cælestẽ, summum rerum omnium dominium & primatum, plenitudinem deniq; Diuinitatis in eius humanitate inhabitantem, interpretantibus atq; declarãtibus. Nec ad maiorem hæreseon eius condemnationem, quid amplius requiro.

*Heb. 1. Heb. 10. Hebr. 12.*

## *QVOD IDEM DOMINVS NOSTER sedens in dextera Patris, non solùm effusi sanguinis sui efficacia & merito, sed etiam precibus ferentissimis & assiduis pro nobis apud eum intercedat: aduersus errorem duodecimum, ordine autem*

## *152.*

## DOCTOR.

NOn solùm à Catholicis, verùm etiam à Tilemanno Hesshusio Lutheranę Theologiæ professore, alterius quoq; impietatis in Christum dã natur vester Caluinus: eius nimirũ, qua negat CHRISTVM in cælis mediatoris officio fungentem, feruẽtes preces ac orationes assiduè pro nobis ad Patrẽ fundere.

*L. de aliquot err. Cal.*

*In c. 16. Ioã.* MIN. Equidẽ in eius operib. legi: *Virtus sacrificij Christi, quo semel Deum placauit, semper vigens et efficax sanguis quo expiauit peccata nostra, obedientia quam præstitit, continua est pro nobis intercessio.* Quibus verbis, in toto officio Mediatoris Christi nullas alias preces aut intercessiones agnoscit, quàm virtutem passionis, & sanguinis effusi efficaciam semper vigentem. Alibi rursum ait, *CHRISTVM semper adesse coram Patre cum sua morte*

*morte & resurrectione, quæ locum perpetuæ orationis, & virtutem feruentis intercessionis ad nos Patri conciliandos obtinent*: nullas alias preces seu mente conceptas, seu verbo explicatas & fusas agnoscens in toto Mediatoris officij exercitio. *In cap. 8. ad Rom.*

DOCT. Tu quid de hoc articulo sentias palam edicito. MIN. Planè hæreo, nec in quam partem magis inclinem nondum statui: quoniam eundem Caluinum & Bezam hac in re nutantes comperio. Deinde, quædam obiici, nec facilè solui posse sentio; quæ duo in ancipites cogitationes me distrahunt. DOCT. Dic prius in quo vacillēt Caluinus & Beza: cætera suo ordine discutiemus. MIN. Caluinus alio à superioribus loco confitetur, etiam Orationes tam mente conceptas, quàm voce expressas ad Mediatoris officium pertinere, quando id explicans quod Matthæus scribit, Christū dimissis Discipulis atque turbis, ascendisse in montem ad orandū, ait: *Verisimile est Dei Filium suorum salutem non neglexisse in precibus: mirum tamen est, cur non potius occurrat periculo, quàm intentus sit ad orandum. Verùm vt mediatoris partes impleret, verè se Deum & hominem esse ostendit, ac vtriusque naturæ documenta præbuit quatenus res ferebat.* His enim verbis, & mente & verbo apud Patrem fundere preces pro nobis, ad officium partesq; veri Mediatoris spectare docet. Beza verò in colloquio Mompelgartensi palam pronunciauit; *Mediatoris officium est, non solùm per passionem & mortem suam, nos Deo Patri reconciliare: sed etiam Mediatorem agere in cælis, vbi pro nobis apud Patrem adhuc intercedit. Item officium eius est, nos quoque accersere, vt cum ipso simus, sicut scriptum est: Pater, volo, vt vbi ego sum, sint etiam mecum quos dedisti mihi.* Atqui huiusmodi intercessio non est sola mortis efficacia, aut solius effusi sanguinis virtus: sed oratio tam mente concepta, quàm voce effusa coram Patre, pro nobis. Igitur, non sola passionis efficacia, sed & precibus & orationibus assiduis Christus nobis coram Patre suffragatur. Confutatio 1. *Matth. 14. In cap. 14. Matth. v. 23. Colloquij pag. 329. & 330. Ioan. 17.*

DOCT. Rectè & scitè ita colligis. Nam idipsum nunc apertissimis rationibus, firmissimis scripturis, euidentissimisque veterum Patrum testimonijs ad- 2.

uersus superiorem Caluinianorum errorem comprobabo: tum ea quæ vereris his repugnantia diluam. Credis sanctissimam Christi hominis voluntatem in cælis non esse otiosam, vel in diuina charitate ac gloria dormitantem aut torpescentem? MIN. Non dubito eam cunctis viribus Deum diligere; & tam in communi quàm in particulari cunctorum hominum salutis appetentissimam esse: alioqui non solùm otiosa, sed & omni charitate in cōsanguineos, fratres, & proximos suos exuta esset: quod nefarium est solùm cogitare. DOCT. Atqui huiusmodi appetentia, votum, ac desiderium ad eam veræ orationis speciem pertinet, quæ mentalis nominatur. Igitur ex fide certum & manifestum est, eum propriè pro nobis apud Patrem etiam per orationes intercedere atq; patrocinari, non sola mortis ac sanguinis efficacia.

*Instit. lib. 3. cap. 19. §. 23. & 24.* MIN. Caluinus certè concedit, Angelorum orationes passim in Scripturis reperiri: & quæ in cælis sunt sanctorum animæ nos magna prosequi dilectione, regni Dei complementum flagrare, charitatem earum inclusam esse in corpore Christi, & eas hoc modo pro nobis precari: vnde concludo, vehementes affectus, sanctaque sanctarum voluntatum desideria, veras & efficaces esse preces coram Deo. Atque ita indubitatum erit Christum etiam expressè fusis precibus suis apud Patrem partes Mediatoris adimplere, non autem solo passionis aut obedientiæ merito.

3. DOCT. His addo, Patrem solenni ac religioso iu-

*Psalm. 109. Heb. 5. 7. & 9.* ramento Christum constituisse verum sacerdotem & summum Pontificem nostrum, non ad breuissimum vitæ suæ mortalis curriculum, neque ad aliquot secula vt lege Mosaica statuti fuerant Leuitici pontifices, *sed in æternum*. Ad officium autem Pontificis non tantùm spectat sacrificia offerre, sed & preces mente & voce pro alijs effundere coram Deo. Quare certissimum est, Christum adesse coram Patre, tantum orationibus suis & precibus assiduis, quantum sua passione morte & sanguine. MIN. Sic omni ex parte scripturis innixum mihi videtur hoc tuum argumentum, vt nullo pacto queat dissolui. Dauid namque &

Paulus

Paulus testificantur, Deum Patrem iurasse, quod nullo vnquam tempore retractabit magnum iuramentum, Christo Filio suo Seruatori nostro: *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec.* In lege autem frequens est præceptum de oratione à Sacerdotibus & Pontificibus pro populo apud Deum facienda: prostantque Aaronis, Eleazaris, Heli, & aliorum de his illustria exempla. Non est ergo dubitandum, quin Christus æternus Sacerdos & Pontifex noster perpetuis orationibus pro nobis apud Patrem intercedat. 3. *Leuit.12.14. Num.11.21. 1.Esdr.6. 1.Reg.12.*

DOCT. Ad hoc etiam pertinent hæc Pauli clarissima de Christo verba: *Hic eò quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Vtitur igitur non sola vi mortis & passionis suæ, sed & interpellationibus precum, vt Patrem nobis conciliet. 4. *Heb.7.*

Quod adhuc apertius idem Apostolus declarat, scribens eundem resurrexisse à mortuis, sedereque ad dexteram Patris, & interpellare pro nobis. Hoc Augustinus explicans ait: Nunquid interpellat, & non etiam postulat? Imò verò quia postulat, pro eo positum est interpellat. Et hoc altero euidentiori scripturarum testimonio confirmans, subijcit. Euidenter quippe alibi de eo dicitur: *Si quis peccauerit, aduocatum habemus ad Patrem, Iesum Christum iustum. Ipse est exoratio pro peccatis nostris.* Quod & à diuo Ambrosio, vtpotè discipulus à præceptore didicisse videtur, quoniam hic etiam scribit: Christus semper causas nostras agit apud Patrem: cuius postulatio cõtemni non potest, quia in dextera Dei est. 5. *Rom.8. Epist.59. 1.Ioan.2. Com. in c.8. Rom.*

MINIST. Hæc profectò tam certa & aperta sunt, vt etiam Petrus Vermilius, qui viuens in delitijs se Martyrem cognominauit, Caluinismũ hac in re condemnans, in hunc Apostoli locum scripserit: *Quum regnet in cælis Christus, Patrem pro nobis orat.* Et postea: *Preces quas pro nobis assiduè fundit, Patri sunt gratissimæ & acceptissimæ.* Quibus apparet Caluinum aduersus Apostolicam doctrinam, etiam à symmistis obseruatam & explicatam insurgere, cùm hanc Christi intercessionem 6. *Com. in c.8. Rom.*

ceſſionem ad efficaciam & quādam virtutem tantùm reſtringit.

7. DOCT. Omnium autem apertiſſimum pro precibus Chriſti teſtimonium eſt hoc quod idem morti vicinus ait: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternũ Spiritus veritatis.* Non enim poteſt ad ſolam mortis efficaciã, aut perpetuam obedientiæ, aut effuſi ſanguinis virtutem reſtringi, cùm tam diſertè dicat, *Ego rogabo*: igitur Chriſtus mediatoris officio ſuo fungitur non ſolius mortis & paſſionis ſuæ coram Patre oblatione: ſed & precibus feruentiſſimis, aſſiduisque pro ſalute noſtra rogationibus.

Ioan. 14.

8. MIN. Iam de hac parte nihil dubito; tantùm poſtulo, vt ſi quod tibi occurrit conueniens Auguſtini teſtimonium, illud nunc depromas. DOCT. Ille Patrem per Filij orationes ſic piè deprecatur. Sic te omnipotens Pater, per omnipotentis Filij charitatem poſtulo, educ de carcere ad cõfitendum nomini tuo animam meam: Libera me à vinculis peccatorum, per coæternum flagito vnicum tibi natum: neque eui propria merita letalem minantur ſententiam, pretioſiſſimæ ad dexteram tuam cõſedentis prolis interpellatione reſtaura placatus ad vitam. Quem enim alium dirigã interceſſorem tibi, neſcio, niſi hũc qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris, qui ſedet ad dexterã tuam interpellans pro nobis. Ecce aduocatus meus apud te Deum Patrem. Ecce Pontifex ſummus, qui non alieno eget expiari ſanguine, quia proprio refulget perfuſus cruore, &c.

L. Medi. c. 5.

1. Ioan. 2. Rom. 8. Heb. 7.

9. MIN. Hæc mihi ſatis ſunt, quandoquidẽ videam Caluinianam impietatem apertiſſimis rationibus, ſacris Scripturis, Patrumque teſtimonijs certiſſimis refutatam & damnatam. Tantùm ad hoc reſpondeas velim. Cùm ſtatuis Chriſtum pro nobis preces ad Patrem fundere, num cum imaginaris genua ponere, manus extendere, humiq; prouolui, vt olim in horto oliuarum fecit: aut cum clamore valido & lacrymis ad eum exclamare, vt cùm adhuc mortalis de cruce penderet? DOCT. Abſit, abſit à nobis hæc tam craſſa de

Matth. 26. Heb. 5.

sa de Christo nunc immortali, & glorioso cum Patre regnante cogitatio. Huiusmodi etenim demissio ad tempus exinanitionis illius pertinet, non ad tempus glorificationis & exaltationis, in quo data est illi omnis potestas in cælo & in terra; simulque omnis infirmitatis expers sedet ad dexteram maiestatis in excelsis, vnde venturus est iudex viuorum & mortuorum. Imò verò cum Chrysostomo docemus, eum esse in omnibus Patri æqualem, eiusdem solij ac gloriæ consortem: & cunctam habere nos exaudiendi, saluandi, & liberandi potestatem. Humiles autem supplicis conditiones istas tum ei solùm conueniisse, cùm adhuc formam serui gereret: non autem cùm omnis honoris & gloriæ coronam adeptus, ad excelsum diuinumque thronum euectus est, vbi diuina maiestate collucet & regnat. *Matth. 28.* *Homil. 15. ad Rom.*

MINIS. Quid? Negares mortis Christi fructum semper recentem, virtutem sacrificij in cruce peracti perpetuam, sanguinem pro nobis semel effusum locum efficacissimæ orationis coram Patre obtinere? 10.

DOCT. Imò hæc omnia constanter credimus atque prædicamus. Insuper, cum sanctis Patribus profitemur, eundem Dominum nostrum Patri suo suscepta pro nobis vulnera perpetuò contemplanda obijcere, vt peccatorum nostrorum obliuiscatur. Ad hæc, quòd seruatæ in corpore suo plagæ salutis humanæ exigant pretium, & obedientiæ donatiuum requirant. Hæc omnia vicem efficacissimæ orationis subeunt. Sed vt ex scripturis, Patribus, imò & hæreticorum ipsorum iudicijs ostendimus, super hæc omnia, idem Christus vt mediatoris officio omni ex parte respondeat, etiam precibus tam mente cōceptis quàm ore expressis apud Patrem pro nobis interpellare non cessat, nec in æternum cessabit, tam copiosa est apud eum redemptio. *Ambr. l. 10. in Luc.* *Aug. ser. 145. de temp. & Tract. 121. in Ioan.* *Hilar. l. 3. de Trinit.* *Cypr. ser. de bapt. Christi.*

## CHRISTVM AB ASCENSIONE *sua in cælos, aliquoties secundum humanitatem verè apparuisse in terris: aduersus Caluinianorum 13. errorem, ordine autem 153.*

DOCTOR.

CONtra diuinarum Scripturarum fidem, historiarum Ecclesiasticarum veritatem, veterumque Patrum consensionem, Vestri pertinacissimè contendunt, Christum secundum assumpti hominis veram præsentiam, ex quo semel cælos conscendit, nunquam in terris verè apparuisse: ne in Sacramentarij erroris sui præiudicij admittere cogantur, vnum & idem corpus posse vi diuina in duobus aut pluribus locis simul subsistere. Etenim quinque ministri Heidelbergenses Sacramẽtarij, qui aduersus totidem Tubingenses Lutheranos in Colloquium Mulbrunnense conuenerunt, verbis & scriptis defenderunt, *Christum suo corpore non hic infra in terris, sed supra in cælo & esse, & manere, donec rursum inde descendat, viuos & mortuos iudicaturus.* Quos perstringens Brentius scripsit: *Facilè intelligi potest, qua ratione Cingliani Christum hominem in certam aliquam sedem collocent, in qua vsque ad nouissimum diem permaneat, cuius famulus sit Diuinitas, quæ omnia in cælo & in terra administrat; & ad hominem Christum de omnibus actionibus suo tempore referat. Aliter enim (ita me Deus amet) illorum opinionem intelligere non possumus.* MIN. Quod de Cinglianis dicitur, non satis capio. DOCT. Mentem adhibe, & facilè capies. Legisti ASINVM AVEM? MIN. Ex Africa forsan, nouus hospes reuenis, vt nobis spectra nouaque monstra canas. DOCT. Tubinga, Heidelberga, Tigurum, sunt ne tibi Africæ ciuitates? MINIST. Minimè gentium. DOCT. Ex his tamen oris verè prodijt in orbem memoratus Asinus auis: qui à plurimis adhuc videtur, auditur, & legitur. MINIST. Dauus sum fateor, non Oedipus: ænigma tu dissolue. DOCT. Tubingensis minister librũ edidit in Sacramentarios, quem cùm ob plurima alia, tum maximè eorundem

1564. *Epitome pag. 215.* *Pag. 206.*

argu-

argumentorum cocyſmos, appellauit CVCVLVM CALVINISTICVM. Vt hi par ei referrent, Libellum & ipſi emiſerunt nomine FALCONIS, qui in Vbiquitarium Cuculum ferociter inuolans, illum roſtro, vnguibusque deplumaret, laceraret, & miſerè perderet. Ne cauſæ ſuæ tum videretur deeſſe Tubingenſis, hoc quod putas Africanum monſtrum, ego verò librum, concepit, peperit, euulgauit, orbi ſpectandum exhibuit, nuncupariq; voluit, *ASINVS AVIS, hoc eſt, Metamorphoſis noua, qua nouitius quidam Sacramentarius Marcus Bomlerus, dum temere in auem falconem tranſire voluit, ridiculo errore in aſinum commutatus eſt*: itaque quantis poteſt argumentis efficit, Bomlerum ſtupiditate, inſcitia, & ruditate Aſinum ſe, non Falconem demonſtraſſe. Hoc igitur Libello Tubingenſis ait: *Scripſerat Cinglius*, (alij Zuinglium nominant) *de Chriſto: Abeſſe ſinamus, donec veniat, præſertim cùm corpore eius nihil opus habeamus. Id cùm non poſsit defendere, pernegat, inquiens illud in ſuorum ſcriptis non reperiri. Reſpondeo: Bona verba, mi Aſelle, expecta pauca, & patefaciam tibi & tuis ſocordiam & negligentiam tuam. Sunt ergo hæc Cinglij verba in Exegeſi ſua. Ecce tibi Aſine, librum. Iam attende locum integrum: Abeſſe ergo ſinamus, ait ille, donec redeat: cùm corpore eius nihil opus habeamus. Iam iudicent fratres tui Aſine, egóne calumniator ſim, an verò tu ignauus & impudens Aſinus.* Pag. 54. 55.

MIN. Adeóne honeſtis titulis ac verbis inter ſe fabulari, & de rebus ſacris ac ſerijs colludere, placet Lutheranis & Sacramentarijs? Ac in ſeipſis adimplere, quod Apoſtoli dudum prædixerunt; *In nouiſſimis diebus venient illuſores, iuxta proprias concupiſcentias ambulantes?* Neſciunt ſcriptum eſſe, *Abominatio Domini eſt omnis illuſor? Ipſe deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam?* Sed inſtitutum perſequamur. Video quidem ex his Cinglianos ſeu Zuinglianos ita Chriſtum hominem cælis claudere, & corpus eius ſic faſtidire, vt eo ſe nihil opus habere iactitent. 2. Pet. 3. Iudæ v. 18. Prou. 3.

Sed quid hoc ad Caluinianos, quorũ gratia inſtituta eſt hæc quæſtio? DOCT. Multùm per oẽm modum: quoniam in eodem prorſus hærent luto. Quod vel ex his Bezę in publico Mompel. colloq. verbis manifeſtũ ac cer-

Pag.150. ac certũ est: *Christus post ascẽsum suum in cælum*, inquit, *suo corpore in terris nunquã amplius præsens fuit.* Prodijt etiã ex hoc grege quidam nomine Fortunatus, qui respõsionibus suis ad argumẽta Gregorij Valentiani ex Societate Patrum præclari perdoctiq; Theologi, eodẽ se errore inuoluẽs commaculat. Quinetiam author Clypei vẽstræ fidei omnem Christi humanã præsentiam è terris relegans, sic in cælorum quodam loco eandem claudit, vt nec posset inde ad diem vsque iudicij exire, vt alibi vsquam sese exhiberet. *Ecquid* (ait impius Domini nostri irrisor atque contemptor) *otiosus degeret in terris, cùm sic nec posset docere, nec signa facere, nec nobis nec sibi aliquid prodesse?* MIN. Iam plus satis huiusmodi probationum: supersit vt euidentissimis ac firmissimis argumentis sententiam istam refellas, & aduersam constabilias.

Cõfutatio. 1. DOCT. Agedum, ab eo exordior, quo Christus aliquãto post Ascensionem suam refertur à beato Luca Paulo apparuisse, idque clara luce, atque in via, qua Damascum multo satellitio stipatus pergebat, vt si quos inuenisset religionis Christianæ ꝓfessores, vinctos perduceret in Ierusalem. Ac primò certum est istam apparitionem nec purè spiritalem, nec imaginariam, sed verè corpoream fuisse, tam ex parte Domini in vero corpore sese exhibentis, & humana voce loquentis; quàm ex parte Pauli eundem cernentis, audientis, & respondentis. Hoc enim manifestè probat verum colloquium inter hos factum: deinde, ista Christi hominis apposita descriptio: *Ego sum IESVS NAZARENVS, &c.* omnino eadem cum illa, qua se Iudæorum militibus in horto verè se manifestauerat & exhibuerat: omniũ autem maximè, quòd Paulus ex hac Christi hominis sibi facta exhibitione, veram eius resurrectionem confirmat. Hoc autem argumẽtum eius nullum prorsus esset, si non in vera carne sua illum conspexisset & audiuisset. MINIS. Non possum non tibi hac in re cõsentire, adeo ex sacris literis confirmatæ sunt singulæ probationis tuæ partes: nisi cum Beza & Palatinis dixero, Christum de cælis sursum visum esse, non hîc in terris deorsum. DOCT. Imò verò in

*Actor. 9. & 26.*
*1. Cor. 15.*
*2. Cor. 12.*
*1. Cor. 15.*

terris

terris propè & visus & loquutus est, dicente ad Paulũ beato Anania: *Saule frater, Dominus misit me IESVS, QVI APPARVIT TIBI IN VIA, QVA VENIEBAS.* Item: *Deus Patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius, & videres Iustum, & audires vocem ex ore eius.* Itaque non de cælorum immensa sublimitate Christus Paulo fuit conspicuus: sed de via prope, qua ambulabat: & cum eodem de via colloquutus est, ita vt facilè vtriusque vox ex ore procedens auribus caperetur. M I N. Hæc omnia aperta & certa sunt: & iccirco Sacramentarij verè contra diuinarum Scripturarum fidem insurgũt, cùm omnem Christi hominis in terris a sua Ascensione exhibitionem inficiantur. Act. 9. Act. 22.

2. Illud porrò etiam mihi nunc in memoriam reuocat, quod legerim Caluinum huius argumenti ponderè & virtute sic superatum & conuictum, vt volens nolens veritati cesserit, scribens: *Quod Christus in vita sua immortali seipsum Paulo manifestauit. Et quia non falsa id visione factum est, sufficiens fuit ad confirmandam resurrectionis fidem.* His si addideris Theologorum VVittenbergensium, qui Colloquio Malbrunnensi adfuerunt aduersus Heidelbergenses, aperta certaque iudicia de Christo homine Paulo seipsum in via manifestante; adeò vt tunc verè fuerit simul in cælis & in terris; habebis præsentem Sacramentariorum errorem non solùm verbo Dei, sed & Caluini & Lutheranorum iudicio confutatum atque damnatum. In cap. 15. 1. Cor. ver. 8. Pag. 265.

3. DOCT. Audi & alteram non minus certam eiusdem Christi in terris, eidem quoque Apostolo factam visionem & colloquutionem. *Sequẽti nocte*, postquam cum Saddũcæis & Pharisæis disputauerat Paulus, *assistens ei Dominus ait: Constans esto, sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romæ testificari.* Ecce Dominus, nimirum Christus Deus simul & homo: nam duæ istæ in eõ naturæ semel vnitæ nunquam postea a se inuicem distractæ sunt. Ille inquam, in vero corpore cum quo resurrexerat, & cælos petierat, apparet Paulo, cum eodem familiarissimè loquitur, [illegible] inter vincula & cruciatus animos; & quid de Act. 23.

sua captiuitate sit futurum, indicat. Et ne de hac vera Christi in terris altera manifestatione & secundum hominem vera præsentia dubites, ecce Chrysostomum, Theophylactum, ac Oecumeniũ doctores Græcos; Bedam quoque inter Latinos venerabilem habes eiusdem interpretes & assertores.

4. MIN. De horum fide & assertione non dubito: sed tantùm quæro, Quid Bezæ respondendum sit, dicẽti, *Reuelatio, de qua Act. 23. scribitur, qua Christus Paulo apparuisse dicitur, nocturna visio fuit?* DOC. Idẽ quod Tubingẽses responderunt, nimirum: *Inspiciatur textus, & manifestum fiet omnibus, quod hanc glossam nõ possit admittere. Sic enim verba sonant: Sequenti autem nocte assistens ei Dominus,* ἐπιστὰς αὐτῷ κύριος, *ait: Bono animo esto Paule, &c. Vbi expressè ponitur vocabulum* ἐπιστὰς, *ASSISTENS, quod non de visione intelligi potest. Id dum vestri interpretes* (subijciunt Tubingenses, ad Bezam & alios Geneuanos) *contra expressam literam negant, tam varias interpretationes adferunt, vt se inuicem miserè iugulent & confutent. Quod fieri necesse est, cùm veritati manifestæ cedere nolunt.* Hęc Lutherani aduersus Caluinianos.

Colloquij Mompelgartensi pag. 150. & 151.

5. MIN. Inde sanè plurimum confirmatur à me concepta ea de re fides, aduersus Hugnosticum errorẽ: sed ad maiorem eius amoris, quo Deus suos in terris complectitur, probationem, alias rursum ex Patribus, Christi in terris apparitiones referas quæso. DOC. Ab illa ergo incipiã, cuius antiquissimi & sanctissimi viri Dei Egesippus, Orig. Athanas. & Ambros. sunt authores. Nimirum Christũ cum corpore suo, Romæ, apparuisse Petro, ex carcere Neronis consilio & adhortatione Christianorum fugienti. Tam clarè aũt & familiariter se ei manifestauit, vt Petrus quæsierit, Domine quò vadis? Petro autem cùm respõdit Dominus: Romam, iterum crucifigi, illicò disparuit, sicut Discipulis euntibus in Emmaus olim contigerat. Quod Petrus intelligens id in persona eius amplius fieri non posse, in carcerem rediit propediem crucifigendus. MIN. Certè vt historia grauissima est, sic adeò graues habet authores, vt fidem illis detrahere insignis sit impudentiæ.

L. 3. de excidio. Tract. 21. in Ioan. Apolog. de Fuga. Epist. 32. Luc. 24.

6. DOC. Refert etiam vir planè Apostolicus Dionysius

sius Areopagita, beatum Carpum, cuius Paulus quoq; meminit, semel vidisse IESVM de sede cælesti consurgentem, & ad terram descendẽtem, vt opem ferret quibusdam hominibus, & dicẽtem: *Paratus sum iterum pro saluandis hominibus pati.* Idem quoque de magno Antonio, & ipse multis nominibus magnus Athanasius refert in eius vita. *Epist. 8.*

7. Sed omnium celeberrima fuit illa Christi facta sanctissimæ Matri suæ apparitio, qua cum multitudine Angelorum occurrit beatissimæ illius animæ illicò vt è corporis ergastulo discessit; vt eam secum in cælestia loca deferens in perpetuum bearet. MIN. Hoc si testibus fide dignis confirmaueris, tecum credam & profitebor. DOCT. B. Anselmus ante quadringentos annos scripsit: Ipse Iesus Deus & Dominus omnium, huius castissimæ Virginis & dominæ, sicut suæ vnicæ Matri totus festiuus occurrere volebat. Et post pauca subijcit: Stipatus mille millibus, imò innumerabilibus Angelorum agminibus, Deus ipse huic pijssimæ matri suæ, de hoc mundo migranti occurrit. MIN. Hoc quidem sancti & perdocti Patris testimoniũ ædificat: sed antiquiores audire peroptarem. DOC. Hildephonsus Toletanus Anselmo plus 500. annis superior, ea quoque de re scripsit: Ideo Christus humilis ad humilem Virginem venit, vt de tam profunda humilitate triũphũ erigeret salutis, & exaltaret eam super choros Angelicos. Sophronius vtroq; adhuc superior, ait: Creditur quod Saluator omnium ipse quantum datur intelligi, per se totus festiuus Matri occurrit, & cum gaudio eam secum in throno collocauit. Alias autem quomodo impleuisse creditur, quod in lege præcepit, *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam?* *Lib. de excell. virg. cap. 8.* *Ser. 3. & 4. de Assumpt.* *Ad Paulam & Eustoc.* *Exod. 20.*

8. MIN. Si Patres Græcos ac Orientales idem sensisse intellexero, nõ parua fidei meæ fiet accessio. DOC. Per hoc non stabit quominus tibi satisfaciam, & studium tuũ expleam. Niceph. Calixt. Ioãne Lango, qui magis vobis quã nobis studuit, interprete, de hoc diuino Filij occursu ait: Cælitus Filius eius cũ innumerabili Angelorũ exercitu descendit, animã illius sanctam assumpturus. Damasc. eo adhuc antiquior, eâdem fide scripse- *Lib. 2. hist. cap. 4.*

*Serm. de Dormit. San ctiſ. Deiparæ*

*Orat. de vita & dormit. Deiparæ.*

rat: Chriſtus aduenit ad ſuam parentem, diuiniſq; & ab interitu alienis manibus ſuſcepit eius puram, & nulli culpæ affini animam. Tertium Patrem Græcum adducam, Simeonem Metaphraſten, inquientem: E cælo quidem deſcendit Mariæ Filius, illius diuinam aſſumpturus animam. Et obitum ejuſdem Deiparæ ita deſcribit: Videbat iam Dominum ad ſe venientem cùm multitudine Angelorum. Et cùm rurſus ipſa dixiſſet, Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum, emiſit tanquam in ſomno ſpiritum, & eum in amicis deponit Filij manibus. Audiſti tres Latinos totidemq; Græcos Patres conſtanter credidiſſe, docuiſſe, & ſcriptis poſteris reliquiſſe, Dominum noſtrũ cùm ſua humanitate glorioſa in monte Sion Matris ſuæ obitui adfuiſſe, & animam eius ad ſe ſuſcepiſſe.

MIN. Profectò ſi in ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum, multò magis in tam ſanctorum, doctorum, & perantiquorum ſeruorum Dei conſenſione, veram Apoſtolorum de hac re traditionem agnoſco & tecum profiteor. Lætorque plurimum hodie, tam ex diuinis literis, quàm ex multorum veterum vnanimi conſenſu didiciſſe, Dominum IESVM tanto amore quoſdã electos ſuos complexum eſſe, vt etiam poſt aſcenſionẽ in cælos his ſeipſum verũ Deum & hominem exhibuerit conſpiciendũ & adorandum: nec à cætero idipſum in concionibus, aut ſcriptis affirmare diſſimulabo, tametſi impiorum Sacramentariorum rumpantur ilia.

9. *Epiſt. 34. In vita S. Martin. Lib. 4. Dial. cap. 16.*

DOCT. Omittam igitur longioribus verbis recitare, quemadmodũ teſtificatur Paulinus, Chriſtum prope locutum eſſe beato Victori: Sulpitius Seuerus, eum apparuiſſe B. Martino: Gregorius, B. Tarſillæ: Metaphraſtes, Mercurio, Theodoro, Acyndino, Meñę, Hermogeni, Epiſtemo, Euſtachio, &c. Sigebertus, Maclotio: Bonauentura, Franciſco: & alij alijs pluribus ſanctis martyribus, confeſſoribus, atque virginibus: quos huiuſmodi veris & cæleſtibus apparitionibus mirũ in modum in ſui reuerentiam & amorem accendit.

10. MIN. Sed quid tum? Num falſum erat, quòd legitur, & conſtanter nobis de eodem perſuademus, *Chriſtus ſedet ad*

*det ad dexteram Patris?* DOC. Minimè gentium. Sed vsus illa quã recepit à Patre suo, omnipotẽtia, effectum est, vt idem simul staret in duobus aut etiam pluribus locis: tumque verum ac certum erat, Christum hominem & in cælis verè residere, simulque cum hoc aut alio electo suo verè in terris colloqui atque differere. MIN. Equidem certè cùm hoc ad eius potestatem, maiestatem, & gloriam amplificandam pertineat, totque habeat assertores, nunquam diffitebor. Sed de alio capite differamus.

## *MANIFESTAS IN CORPORE SVO vulnerum cicatrices seruans, Christus veniens ad iudicium ostentabit: aduersus errorem 14. ordine verò 154.*

DOCTOR.

IN hoc etiam Vestri plurimum fallunt atq; falluntur, quod negent Christum acceptarum in passione plagarũ præcipuas cicatrices seruasse; easdemq; in futuro iudicio palam in ore ac oculis omniũ ostentaturum esse. Nam Caluinus hoc deridens ait: *Stultum & anile delirium fuit, plagis adhuc confossum Christum imaginari, cùm aduenier mundi Iudex.* MIN. Sed non potuit resurgendo corporis sui plagas oblinire, earundemq; vestigia omnino tollere? DOCT. Potuit planè, sed non decuit ob certas & vtiles causas. MIN. Si iustas retuleris, & ex Scripturis, Patribusque comprobaueris, me quoque Caluiniani erroris iudicem & tecum reprobatorem habebis. *In cap. 24. Luc.*

DOC. Id primò factum docent Theologi, vt Apostolorum, Discipulorum, omnium denique nostrũm animi cõfirmarentur de vera, eiusdemq; numero corporis Christi resurrectione; videlicet, quòd cũ eodem prorsus corpore quod in cruce clauis & lancea cõfossum fuerat, omninò resurrexit, ascendit in cælos, sedet in dextera Patris, inde venturus iudicare viuos & mortuos: quod certissimis & apertissimis notis cõprobandum fuit ad euertendas multorum hæreticorum fanaticas opiniones, huic fidei nostræ articulo repugnan- Cõfutatio. 1.

Irenæus, Tertull. Epiphan. Theodor. Augustin.

tes. MIN. Scio Valentinianos, Cerdonianos, Marcionistas, Manichæos, alioſque multa nefanda cõmentos eſſe aduerſus veram veri corporis Chriſti tum aſſumptionem, tum paſſionẽ, reſurrectionem, & aſcenſionem: ac proinde iuſtiſſimum fuiſſe, vt fides noſtra aduerſus illorum furores præmuniretur. DOC. Secundò, cùm in hiſce veſtigijs promptiſſimæ abſolutiſſimæq; obeditionis ſuæ, ante faciem Patris ſe quotidie referat: eum procul dubio nobis cõciliat, mitigat, & veri mediatoris munus ſuum ſedulò præſtans, homines cum eo in gratiam reducit. MIN. Hęc certè ratio etiam

*Hebr. 9.* à Paulo deſumpta eſt, ſcribente, *quod vultui Dei continuò pro nobis apparet*. DOCT. Eadem demum veſtigia in die magni iudicij cunctis cõmonſtrando; vt Iudæos ac infideles omnes, qui paſſionis myſterium irriſerũt, magna confuſione perfundet: ſic pios omnes qui crediderunt, & in eius mortis meritũ ſpem ſuam repoſuerunt, incredibili lætitia & gaudio cumulabit.

2. MIN. Non modò iuſtæ, ſed & magna vtilitate plenæ mihi rationes iſtæ videntur. Sed ne omninò adhuc tibi aſſentiar, officit, quod hæ cicatrices moleſtæ forſitan atque deformes in corpore tam beato ac glorioſo videantur. DOCT. Tantum abeſt, vt è contrario, raræ potius cuiuſdam & eximiæ pulchritudinis interſperſa adferant ornamenta, cuiuſmodi ſolent radij, Soli; ſtellæ, cælo; gemmæ, annulo; ſuauiſſimus odor, roſæ; vel flagrans candor, lilio. Quod ſi de cicatricibus in corporibus martyrum in gloria cæleſti permanen-

*Lib. 22. ciui. cap. 20.* tibus, ſcitè Auguſtinus ſcripſit; Nos in earum contemplatione eximiam capturos delectationem: quãto magis cùm in corpore Saluatoris collucentes, & omnibus ſolis radijs ſplendidiores aſſumptorum pro ſalute noſtra vulnerum cicatrices intueri licebit?

3. MIN. Etiamſi prius, illum eas cùm reſurrexit & aſcendit, ſeruaſſe in corpore ſuo, non autem deleuiſſe. DOCT. Diſtincta ſunt Euangeliſtarum de Chriſto reſuſcitato teſtimonia: Ingreſſus ad Diſcipulos oſtendit

*Luc. 24.* eis manus & latus, dicens, *Videte manus, & pedes meos, palpate & videte, quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*. Deinde, Thomæ, qui dixerat ſe

*Ioan. 20.*

non

non crediturum, nisi videret in manibus eius fixuram clauorum, & mitteret digitum suum in locum clauorum: & mitteret manum suam in latus eius, demum cum eisdem apparuit. MIN. Audierat profectò à coapostolis suis seruatorem manifesta quinque insignium vulnerum seruare in corpore suo vestigia: quæ contactu suo explorare probareque cupiebat.

DOCT. Nec est fraudatus à desiderio suo. Si quidem post dies octo erant iterum discipuli congregati, & Thomas cum eis: *Venit iterum IESVS, & dixit Thomæ. Infer digitum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis.* Quod & Thomam reipsa contrectando, & eadē vulnerum vestigia palpādo, præstitisse, vel ex eo colligunt tam veteres quàm recentes Theologi, quod scriptum fuit postea à Ioanne, *Quod manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, annunciamus vobis.* MIN. Audeo vbique expressum Dei verbum: perij ergo si non crediderim, Christum in beato ac immortali corpore suo seruasse clarissimas vulnerū cicatrices. Sed doce vlterius, quod cum his cælos conscenderit: sicque Iudex aliquando sit venturus. 4. Ioan. 20. 1. Ioan. 1.

DOC. Talis in cælum ascendit quadragesima die, qualis tertia resurrexit, & octaua Discipulis seipsum manifestauit: quoniam nec corpus nec gloriam eius alicubi permutasse legitur. Deinde, *sic veniet*, ait ad Apostolos cælestis nuncius, *quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Quis ergo iam dubitet eum beatas cicatrices retinuisse, cælestibus intulisse, & his adhuc notatum venturum esse ad iudicium? MIN. Sunt tibi ad manum loci Veterum, quibus hæc comprobentur? DOCT. Sunt Theophylacti, Chrysostomi, & Cyrilli Alexandrini, suis in Ioannem commentarijs: deinde Athanasij magni epistola ad Epictetum: Ignatij Martyris & Apostolorum Discipuli Epistola ad Smyrnenses. MIN. Hi omnes Græci sunt, ac Orientis magna lumina. DOCT. Sunt quoque Occidentis Antistites clarissimi & doctissimi Augustinus Tractatu 121. in Ioan. & Ser. 547. de tempore: Ambrosius libr. 10. in Luc. Hilarius lib. 3. de Trinitate: & Leo magnus 5. Actor. 1.

ſerm.1.de Aſcenſione. Quinetiam ex hæreticorum miniſtris in hac Euangeliorum interpretatione conſentientes habemus Conrardum Pellicanum, & Radulphum Gualtherum Tigurinos miniſtros: ſicque omni ex parte turpiſſimi erroris conuicti reique permanent Caluiniani.

*Com.in cap. 20.Ioan.*

*Hom.175.in Ioan.*

6. MIN. Sunt ne & alia tibi in hanc rem Scripturarum teſtimonia? DOCT. Sunt aliquot veterum Prophetarum expreſſa oracula, quibus res adeò ſubijcitur oculis, vt quaſi tum geri videatur. Refert enim Iſaias eleganti Dialogiſmo, Angelos à Chriſto cum cicatricibus cælos conſcendente, cum vehementi admiratione percontatos eſſe: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?* Nomine veſtium ſanguine tinctarum, hęc cruentæ paſſionis eius veſtigia ſignificant. Reſpondet autem Chriſtus: *Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum.* Inueſtigant rurſum illi: *Quare rubra ſunt veſtimenta tua, velut calcantium in torculari?* More ænigmatico & ſubobſcuro, Prophetis autem vulgari, harum cicatricum rationem inquirunt. Infit ille, *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecũ*: quibus paſſionis ac mortis ſuæ pondus, quo ſanguis noui teſtamenti expreſſus fuit, ſatis diſertè denunciat. MINIS. Quos habes huius interpretationis authores? DOCT. Magnos inter Patres viros Hieronymum & Cyrillum in com. Iuſtinum martyrem in Dialogo, & Dionyſium Areopagitam ipſorum Apoſtolorum diſcipulum, in Cæleſti hierarchia, capite ſeptimo. MIN. Qui tam veteres, ſanctos, ac ſapientes Scripturæ interpretes impudens reiecerit, quos admittet? Perge porrò ad alia Prophetarum oracula.

*Iſaiæ 63.*

7. DOCT. Zacharias vnus ex duodecim vaticinatur, Iudæos ac Gentiles, qui eum plagis confoſſum in crucem egerunt, eundem tandem aliquando viſuros eſſe cum inflictarum plagarum notis ad iudicium venientem: tuncque, tametſi ſerò nimis, præ confuſione non parum commouendos. *Aſpicient*, inquit, *ad me, quem confixerunt, & plangent.* MIN. Certè Ioannes & in Euangelio, & in Apocalypſi, hæc de Chriſto paſſo, & ad iudicium poſtremum aduentante, dixiſſe prophetam

*Zach.12.*

*Ioan.19.*

*Apoc. 1.*

iam non dubitat: vnde constat beatorum vulnerum cicatrices, in iudicium & confusionem impiorum in corpore Christi euidenter manifestandas esse. DOCT. His adde Chrysostomum, Theodoretum, Emissenum Græcos authores; Hieronymum, Leonem, Remigium, Chrysologum, & Augustinum, Latinos: Rabbinum Kimhi, Dossam, & Thalmudistas veteres Hebræos, hæc de venturo Messia interpretatos esse. MIN. Improbissimus certè est Caluinus, qui tantæ luci tenebras suas nititur offundere. Cæterùm, his sacris testimonijs, sanctæ ac doctæ antiquitatis fidem duntaxat adijcito, præsertim verò quid Augustinus senserit.

8. DOCT. Ait ille: Videntes Angeli regem suum rediuiuæ carnis spolia referentem, & hominem in altum domito eius aduersario, euehentem, obseruant certaminis in cicatricibus signa, quas habet in carne adorant plagas, sed iam sanatas. Et paulò post subdit: Ascendebat cruoris rubore perfusus, à trophæis victricibus laureatus. Videbant cælites cuncti speciosum vulneribus Christum, &c. Eadem propemodum verba repetit, & popularibus suis pro sacris concionibus constanter inculcat, Serm. 6. & 7. in Ascensionis solemnitatem; denique & Serm. 49. & 146. de tempore. Alibi rursum idem sanctus Pater constanter adfirmat, quod vt cicatrices suas beato Thomæ tum infideli demonstrauit in Cœnaculo; sic & easdem in iudicio vniuersali infidelibus ac hostibus suis patefaciet, vt eos coram Angelis ac electis omnibus conuincat atque confundat. Et alio in loco Christum per easdem cicatrices suas his verbis piè ac confidenter obsecrat: Manus tuæ Domine, fecerunt me, manus inquam illæ quæ affixæ sunt clauis pro me. Opus manuum tuarum Domine, ne despicias, vulnera manuum tuarum precor, vt aspicias. Ecce in manibus tuis Domine Deus, descripsisti me: lege ipsam scripturam, & salua me.

*Serm. 5. de Ascension.*

*Li. 2 de symbolo, cap. 7.*

*Epist. 146.*

*Soliloq. c. 2.*

9. Deuotus quoque Bernardus sic Patrem affatur: Respice Domine, in faciē Christi tui, qui tibi vsq; ad mortem obediens factus est, nec recedant ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuū, vt memineris quantam ab eo pro peccatis nostris satisfactionem receperis. Vtinam

*Serm. de Passione.*

Domine, appendas in ſtatera peccata, quibus iram meruimus, & calamitatem quā pro nobis paſſus eſt innocēs Filius tuus. Certè grauior apparebit, & maximè digna vt propter ipſam effundas ſuper nos miſericordiā tuam. MIN. Sanctiſſimè loquitur, verbaq; magni ſunt ponderis ad æquitatem diuinorū iudiciorum demonſtrandam, animoſq́ue infirmorum erigendos & conſolandos.

10. Reliquorum tantùm fontes digito commonſtra, vt hos pro maiore otio ac libertate cōſulere poſſim. DO. Conſule ergo Leonem magnum Epiſt. 97. & Oration. dogmatica, per Theodoretū citata & probata Dialogo 2. Hieronymum epiſt. ad Heliodorum: Hilarium lib. 3. de Trin. Cyprianū martyrem ſer. de Baptiſmo, & ſer. de Aſcenſione Domini noſtri. MIN. Sufficiunt tot Latini, Græcos connumera. DOC. Ducenti Patres illi qui ante mille & centū annos cōcilio Epheſino interfuerunt, quiq; mirabili conſenſu ea Cyrilli Alexandrini verba confirmauerunt, Quod Dominus noſter paſſionis ſuę cicatrices reſeruauit, vt eas animis cęleſtibus, & omnibus in nouiſſimo die oſtenderet. MIN. Concludo igitur Caluinianos inſigni errore notatos manere, niſi Chriſtum victoriæ ac triumphi ſui ſignis cicatricibuſq; inſignitum in cælos aſcendiſſe, & cum eiſdem ad iudicium reuerſitrum, ſeriò nobiſcum crediderint. Vlterius progrediamur.

*Tom. 6. & 16. eiuſdem concilij.*

## *CHRISTVS IN PECCATA HOMInum inquiret, cùm omnes iudicaturus aduenerit: aduerſus errorem 15 ordine verò 155.*

DOCTOR.

AN non etiam in tetro errore Caluiniani verſantur, cùm hominib. à ſe faſcinandis ſuadere conantur, Chriſtum in extremo ſuo iudicio peccata eorū, modò crediderint, non eſſe examinaturum? Nam hæreſiarcha ſcribit: *Neq; timendum eſt, vt in Dei iudicium veniant peccata noſtra, à quibus tam pretioſa mercede nos abſoluit Dei Filius.* Beza verò, à non facto ad impoſſibile

*In cap. 27. Matth. v. 26.*

sibile pergens, ac errorē præceptoris adaugens ait: *Sanctificatio Christi cùm per fidem quasi nostra sit: impossibile est, vt quicquid supereſt naturalis corruptionis post regenerationem, in iudicium veniat.* Atqui inter corruptionis naturalis post regenerationem manentis reliquias nō possunt numerare peccatum originis, cùm per regenerationem deleatur: neque peccata venialia, quandoquidem post Caluinum, nulla huiusmodi esse opinentur. Quod ergo supereſt naturalis corruptionis post regenerationem, omnis illa peccatorum mortalium colluuies, quibus homines post baptismum seipsos commaculant, intelligitur. Vnde fit, vt eorum sententia, nulla Christianorum peccata mortalia in disquisitionem ventura sint. *Confeſſ. pun. Eto 4. art. 12.*

MIN. Tam manifesta est illatio vt negari non possit: sed tam falsum antecedens, vt nihil magis. Nam in primis sibi ipsis quàm maximè aduersantur, cùm alibi scribant, *Etiam ipsum Christum reum ante tribunal Dei astitisse, adeoque conturbatum & territum fuisse, vt de salute sua non modò dubitarit: sed & omnia irati ac punientis Dei signa senserit, & in voces desperati hominis eruperit,* vti supra diffusè dictum est. Itaque si metu Pastor ille contremuit, quam sibi fiduciam grex repromittet? Si tantus Dux cecidit animo, quā audaciam pauidus miles retinebit? Si excussum est ædificij nostri fundamentum, quomodo non nutabunt parietes & tecta? Si tam pauidum habuimus peccatorum obsidem, & Patris iudicium adeo pertimescentem patronum, qua possunt audacia nebulones isti eis omnem impunitatem & securitatem repromittere in terribili districto iudicio, quos scimus plurimis & grauissimis sceleribus contaminatos esse? **Confutatio 1.** *Supra, pag. 462. &c.*

Fatetur quoque Beza *Dominum iuxta verbum suum iudicaturum bonos & malos.* At verbum Domini arguit, damnat, increpat sine vlla personarum exceptione, omnia omnium hominum scelera: eadem igitur in die nouissimo examinabuntur & dijudicabuntur. DOCTOR. Nunquam profectò insigni perfidia seipsos eximere poterunt, cùm modò asserunt peccata nostra in Dei iudicium non ventura: **2.** *Confeſſ. pun. Eto 6.*

mox

mox verò adfirment, eádem iuxta verbum Dei iudicanda & coarguenda.

3. MIN. Insuper, hæresis ista cunctis improbis ac sceleratis incredibilem adfert ad peccata omnia perpetranda audaciam & impudentiam. Vniuersi enim grassatores, sacrilegi, adulteri, venefici, parricidæ, blasphemi, arioli, velut habenis immissis sua sine timore persequentur crimina; imò & grauiora in dies his adijcient: nec poterunt metu futuri iudicij à peccandi libidine coêrceri, Caluiniano Euangelio freti, *quòd in Dei iudicium ventura non sint hominum credentium peccata.* Quanta verò inde consequutura sit in humano genere confusio, qualis omnium legum, bonorum morum, & rerum publicarum subuersio, hi quibus est adhuc syncerus in corpore animus secum attentè recogitent.

4. DOCT. Verè hic error cordibus humanis omnem infliget contumaciam, superbiam, ac Dei diuinorumque iudiciorum contemptum: quæ tamen vt exhorrescenda nobis & ab ipso Domino, & ab Apostolis eius exponuntur & commendantur. *Timete eum* (inquit) *qui potest corpus & animam ponere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* An non etiam ad terrorem iudicij sui referendum est, quod dixit: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis?* Præstantissimus Apostolus castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, ne cùm alijs prædicauerit, ipse reprobus efficiatur. Et cæteros omnes in similem euocans formidinem ait: *Timeamus ne fortè relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex nobis deesse.* Eam quoque ob rem turbis Iudæorum dicebat Præcursor, *Genimina viperarum, quis docebit vos fugere à ventura ira?* Dauid denique metu diuini iudicij, quo iusta lance ponderanda sunt cuncta mortalium delicta perculsus, tremulus exclamat. *Iudicia tua abyssus multa. A iudicijs tuis timui.* MIN. Nimis profectò impudens atque præfractus est Caluinus, cùm his sese opponens ait: *Neque timendum est, vt in Dei iudicium veniant peccata nostra.*

*Matth.* 10. *Luc.* 12. *Luc.* 13. 1. *Cor.* 9. *Heb.* 4. *Matth.* 3. *Lucæ* 3. *Psalm.* 35. *Psalm.* 118.

5. DOCT. Putaresne eundem Prophetam tanto cum affectu alioquin rogasse, *Domine, ne in furore tuo arguas*

*Psal.* 6. *et* 37.

*arguas me. Non intres in iudicium cum seruo tuo*, si peccata nostra, aut reliquiæ naturalis corruptionis in iudicium Dei non venirent, vt Beza iuxta Lemanicum lacum suum coaxat? MINIST. Equidem ex multis quoque alijs Psalmorum locis patet sanctissimum vatem plurimum reformidasse, ne Deus in iudicio sua illi obijceret peccata, vt etiam reliqui Geneuani fatentur ministri suis in illum psalmum Gallicis annotationibus. Nec enim negare potuissent Dauidem timoris sui magnitudinem prodidisse cùm ait: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea. &c. Auerte faciem tuam à peccatis meis. Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me, &c.* Quocirca Dauid tot percitus diuini iudicij terroribus, damnabilem Geneuanorum securitatem, seu potius diabolicam audaciam ac præsumptionem satis reprobat & coarguit. *Psal. 142. Psalm. 18. Psalm. 37. Psalm. 50. Psalm. 54. Psalm. 114.*

DOCT. Alium rursus hominem quidem iustum, simplicem, rectum; sed ad diuina iudicia trepidantem animo contemplemur. Iobum dico, qui postquam vehementiores impetus Satanæ animosè propulsauit, ad rationes subducendas coram Deo supremo iudice vocatus, veretur omnia opera sua, propria fatetur peccata, veniam humillimè precatur, atque pœnitentiam in cinere & puluere acturum se profitetur. MIN. Inde profectò clarum ac certum est, eum non solum possibile existimasse, reliquias naturalis corruptionis in iudicium Dei venire posse: sed reipsa aliquando in eodem esse examinandas atque plectendas: contra id quod tam temerè effutiuit Beza. 6. *Iob. 1. 2. 7. 9. 42.*

DOCT. Quid porrò de pijssimo rege Ezechia sentiendum? Nonne & ipse de proxima morte sua certior factus, coram supremo iudice reddendam rationē reformidans, cum dolore cordis, maximaq; gemituum & lacrymarum copia, ac si iam in ipso inferorū vestibulo stetisset, metu perculsus exclamauit? MIN. Equidem 7. *Isa. 37. et 38.*

Equidem Geneuani ministri palam in Annot. Gallicis confitentur, *Eius clamoribus atq; querelis eum metum horrendum significari, quo fideles corripiuntur, quoties diuinum contra peccata sua iudicium apprehendunt.* DOCT. Suos igitur Caluinos & Bezas infideli ac perdito vitio damnant, in eo quod dictitant, haudquaquam timendum esse, vt peccata fidelium, aut reliquiæ naturalis corruptionis à Deo dijudicentur: cùm hi fidelissimi & sanctissimi Dei serui idipsum tantopere timuerint. MIN. Non est dubium quod si Spiritus Domini eandem illos docuisset confidentiam, quam comminiscitur Caluinus, tanto metu nunquam potuissent consternari.

8. DOCT. Quorsum etiam sub lege tam varia Dominus præcepisset offerri sibi pro peccatis sacrificia, si de his nullam esset vnquam rationem requisiturus? Quorsum Hebræis toties sua exprobrasset murmura, perduelliones, idolomanias, ac simulatam morum integritatem? Acerrimum profectò se se populi sui peccatorum iudicem atque vindicem satis manifestat, cùm ob peccatũ Adæ etiam terræ maledicit, lepra Mariam inficit, Mosen & Aaronẽ extra terram sanctam morte perculit, Ionam in ventre ceti tanquam teterrimo carcere recludit, Dauidem tot aduersis castigat, sanctamque ciuitatem cum ciuibus suis tot captiuitatibus ac ruinis subijcit. MIN. Magna horum pars fidelis fuit, insuper spe in futurum Messiam regenerata: quorum nihilominus delicta in diuinum iudicium venerunt. Ergo fides non impedit quominus peccata sanctorum in die nouissimo examinentur & dijudicentur.

*Genes. 3.* *Exod. 12.* *Deut. 33.* *Ion. 3.* *2. Reg.* *4. Reg.*

9. DOCT. Euinco rursum eundem errorem Hugnosticum, omnem de futuro vniuersali iudicio doctrinam subuertere, sicque Dominum nostrum Iesum Christum maxima gloriæ & potestatis suæ parte spoliare. Omnes etenim aut fideles sunt, aut sub infidelitatis errore detenti. MIN. Nemo negat. Nam cùm nostri specioso Fidelium titulo sese venditant, alios omnes reputant infideles. DOCT. Sacrum autem Euangelium adfirmat, infideles ac incredulos iam iudi-

*Ioan. 3.* *Matth. 25.*

catos

catos & condemnatos esse: & in ipsa iudicij postremi formula, nulla est in fidelium memoria. Ergo manifestum est, quod qui nulla fidei veræq; religionis Christianæ nota fuerint insigniti, tum de nouo non iudicabuntur, cùm de his iam factum sit iudicium. MIN. Illud sanè verum, vt expressum Dei verbum. DOCT. Alia porrò ex parte, sacrorum vestrorum Antistites nullo non loco ac tempore clamitant, *Peccata fidelium non esse ventura in iudicium coram Deo.* Ergo nullum prorsus hominem diuino subijciunt iudicio: ac sic omne pernegant tam priuatum quàm commune iudicium diuinum: & Christum commissi à Patre iudicij potestate, maiestate, & gloria miserum in modum exuunt. MIN. Certè iam video aut hac in re Caluinismum velut summam impietatem damnandum esse; aut his fidei Christianæ articulis renunciandum, *Venturus est iudicare viuos & mortuos. Hic constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant & Patrem, qui misit illum. Mortui audient vocem Filij DEI, & qui audierint, viuent, & cæt.* Symbol. Act. 10. Psal. 95. 97. Ioan. 5.

DOCT. Damnandus proculdubio ac longè exsibilandus Caluinismus, fides autem Catholica his diuinis verbis confirmanda & erigenda: *Filius hominis veniet in gloria Patris sui, & tunc reddet vnicuique iuxta opera sua. Tunc nihil occultum quod non sciatur. Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Dicet quibusdam, qui etiam in nomine suo dæmonia eiecerunt, & multas virtutes fecerunt, *Discedite à me operarij iniquitatis.* Virginibus quoq; quæ oleum in lampadibus non habuerint: *Nescio vos.* Cunctis etiam qui esurientes non pauerint, sitientibus non porrexerint potum, &c. *Ite maledicti in ignem æternum.* MIN. Enimuerò hæc omnia Dei viuentis expressa verba sunt, quibus non eximuntur, sed magis inuoluuntur fideles atque Christiani, qui fructibus bonorum operum abundare neglexerunt: in quorum mala opera grauis erit atque districta inquisitio. 10. Matth. 16. Rom. 2. 1. Cor. 4. Matth. 7. Matth. 25.

DOCT.

11. DOC. Spiritus sanctus vniuersalibus notis vniuersos comprehendens satis indicat neminem fidelium aut regeneratorum posse iudicium postremum subterfugere: veluti cùm ait: *Cuncta quæ fiunt adducet Dominus in iudicium siue bonum siue malum. Congregabuntur ante Christum omnes gentes. Omnes stabimus ante tribunal Christi. Vnusquisq; onus suum portabit. Referet vnusquisque pro vt gessit, siue bonum siue malum. De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, de eo reddent rationem.* Ex quibus rectè Petrus concludit: *Iudicabuntur quidem secundum hominem in carne, viuent autem secundum Deũ in spiritu.* MIN. Equidem ab hoc numero non demuntur belluli isti Ecclesiæ instauratores, non quicunq; Caluiniano Euangelio fidem habuerint, non regenerati: sed omnium examinabuntur opera, cogitata, consilia, verba, commissa & opera, quicquid à se fascinatis turbis miserrimi hæretici in contrarium repromittant.

Ecclc. 12. Rom. 14. 2. Cor. 15. Matth. 12. 1. Pet. 4.

## *VIRTVTE AC POTESTATE CHRISTI omnes tam bonos quàm malos resurrecturos esse: aduersus 16. errorem, ordine autem 156.*

### DOCTOR.

VT neque Resurrectionis mysterium integrum inuiolatumque Vestri relinquerent, visum est Bezæ adserendum, *Improbos virtute Christi non resurrecturos, sed potentia & virtute Filij tanquam iudicis.*

Quæst. & resp. pag. 42.

**Confutatio** MIN. Ecquid hoc ænigmate intelligit spectabilis?

1. Num Christi, & Filij nominibus diuersas personas, aut duas resurrectionis causas constituit? Num eadem erit effectrix tam proborum quàm improborum? Aut Christum alia quàm diuina authoritate & virtute hos mortuos excitaturum; alia verò quosdam alios? Vellem apertius latentem in animo sententiam hac de re significasset. Nam si Christum & Dei Filium duas personas constituit; iam pridem cum Nestorio con-

confusus & explosus est. Si diuersas seiunctasque causas resurrectionis bonorum & malorum architectatur, in eiusdem Nestorij errorem incidit: atque sic vni cum Dominum & seruatorem mundi Christum in diuersas distrahendo partes, viam parat Antichristo, secundum id quod Ioannes Apostolus scribit: *Omnis spiritus qui soluit IESVM, est Antichristus.* Vnde rectè mihi concludere videor, Eundem Dominum Iesum Christum, in vnica solaque hypostasi consideratum, qui diuina potestate & virtute electos ad gloriam euocabit, improbos quoque ad veterum peccatorum supplicia suscipienda suscitaturum. 1. Ioan. 4.

2. DOCT. Nititur consecutio isto fidei nostræ articulo, quo veluti de vnico authore Christo profitemur: *Venturus est iudicare vivos & mortuos:* quos nimirũ prius suscitarit; cùm vnicus sit resurrectionis & iudicij authot Deus. Ait enim: *Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat, sic et Filius* (qui videlicet Diuinitate atque potestate vnus est cum Patre) *quos vult viuificat.* Et vt cunctis innotesceret, huiusmodi viuificandi potestatem humanitati suæ distributam & datam esse, illicò subiungit: *Pater dedit ei potestatem iudicium facere, quia Filius hominis est.* Et vt nemo ambigeret, sed omnes crederent & mirarentur, Christus homo, homo inquam palam dixit: *Ego sum resurrectio & vita. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit viuet.* Idem rursum Christus homo alibi etiã asseruit, *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Ioan. 5. Ioan. 11. Ioan. 6.

3. Præterea, hi quos ante passionem suam suscitauit, fuerunt quasi proposita exemplaria, & descripta futuræ omnium resurrectionis pignora. Illos autem vt Christus, id est, Deus & homo in vnica hypostasi Saluator mundi constitutus, verè resuscitauit, voce humana, sed cum diuina authoritate coniuncta, vni dicendo, *Adolescens, tibi dico, surge: & resedit qui erat mortuus.* Luc. 7. Alterius autem manu apprehensa, exclamauit: *Puella, surge: & surrexit puella.* Luc. 8. Et cùm ad Lazari monumentũ accessit, clamauit voce magna, *Lazare, veni foras*, tuncq; viuus prodijt ex tumulo. Certũ est ergo atque manife- Ioan. 11.

ſtum, quod vnicus & idem IESVS Dei ac hominis Filius eadem virtute & authoritate viuos & mortuos, probos & improbos ad vitam reuocabit & iudicabit. Sicque planè delirat Beza cùm balbutit, *improbos non eſſe reſurrecturos fauore ac virtute Chriſti, ſed poteſtate & authoritate Filij vt iudicis.*

4. Inſuper, cùm alibi iam probatum ſit, Chriſtum ſemetipſum propriaque virtute à mortuis tertia die ſuſcitaſſe, iuxta quod dixerat de templo corporis ſui, *In tribus diebus excitabo illud*: & iterum: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam*: quis dubitare poterit, eadem virtute, mortuos omnes tam bonos quàm malos eundem eſſe ſuſcitaturum & iudicaturū?

*Ioan.2.*

*Ioan.10.*

5. MIN. Certè clariſſimum eſt hoc eiuſdem de eadem re teſtimonium: *Venit hora, & nunc eſt, quando omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent, & procedent, hi qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.* Nullos certè excipit: omnes ergo authore Filio DEI reſurgent, & ab eodem dijudicabuntur. Nihil inter Chriſtum & Filium Dei ſecernit, vt alteri reſurrectionem & iudicium improborum, alteri verò proborum & ſanctorum tribuat. Eſt igitur prorſus intoleranda lepidi iſtius Theodori temeritas, ita Chriſti authoritatem & virtutem à Filij Dei fauore & poteſtate ſecernentis.

*Ioan.5.*

6. DOCT. Notandum denique, nulli hominum conceſſum eſſe, à certis verboque diuino expreſſis & datis regulis, propria authoritate exceptiones confingere ac obtrudere. Regulæ porrò ſunt expreſſo Dei verbo traditæ & promulgatæ, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto* (id eſt, Chriſti virtute & authoritate) *omnes viuificabuntur: Omnes ante tribunal Chriſti ſtabimus, vt referat vnuſquiſque pro vt geſſit in corpore ſuo, ſiue bonum ſiue malum: Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: Omnes quidem reſurgemus &c.* Igitur nulla ratione debuit aut potuit vnquam Beza, ſic Chriſtum à Filio Dei ſecernere, vt huius virtuti ſuſcitationem improborum tribueret, illi verò detraheret. MIN. Equidem certè tam manifeſta ſunt hæc Apoſtoli verba,

*1. Cor.15.*

*2. Cor.5.*

*Rom.14.*

ba, *Per hominem resurrectio*, &, *In Christo omnes viuificabuntur*, vt non satis mirari, atque stupescere possim, quomodo Theodorus insana capitis sui figmenta illis ausus sit opponere. Sed de his satis: reliqua persequamur.

DOCT. Cernis quod adueſperascat, & inclinata sit iam dies. Adhæc, quod iam sexaginta & nouem articulos, quibus in vniuersum aduersus sanctissimam Trinitatem, ac eius perfectiones essentiales aberrant, in primo & secundo colloquio examinauimus: in tertio autem sedecim, quos aduersus æternum Dei Filium comminiscuntur: in quarto verò triginta duos, quibus eiusdem sanctissimam natiuitatem, conuersationem, doctrinam, dona, & merita impio conatu deformare nituntur: in quinto porrò viginti duos, quibus feruentissimis votis, passionis & mortis eius fructibus nefariè detrahunt: hodierna denique collocutione ea refutauimus, quæ aduersus descensũ eius ad inferos, resurrectionem, apparitionem, ascensionem, & aduentum postremum ad orbem iudicandum æquè impiè ac temerariè sunt commenti. Hæc summatim collecta & reducta efficiunt numerũ 155. errorum, quos tam ex ipsismet authoribus, quàm expressis Dei verbis, & totius sanctissimæ ac doctissimę vetustatis constanti doctrina copiosè satis confutauimus. Crastina luce si adesse loco & hora consuetis non piguerit, quadraginta & sex aduersus Spiritus sancti personam, perfectiones, dignitatem, officia, & opera, ab eisdem Caluinianis adinuentos errores persequemur. Nunc itaque præmissa oratione, ad propria recedamus. 7.

CORPORIBVS & animis proni adoramus & benedicimus te, diuinum VERBVM, pro cunctorum hominum salute hominem factum & natum ex muliere, verè crucifixum, mortuum, & sepultum. Qui tam promptè, tam copiosè, tam misericorditer, tam sanctè passus es pro nobis, Domine, miserere nobis. Qui in sanguine testamenti tui eos inuisisti, qui in vmbra mortis & vestibulo inferorum sedebant, vt tecum in cęlestem beatamq; vitam transferres: animas 8. ORATIO.

quæsumus, nostras erue de potestate tenebrarum, salua nos exore leonis, dum non est alius qui redimat, neque qui saluum faciat. Quod tanta liberalitate pœnitenti & inuocanti latroni promisisti & contulisti, nobis quoque resipiscentibus, & per sacra omnia rogantibus ac obsecrantibus, ne tandem aliquādo deneges. Potentissime & clementissime Redemptor, qui tertia die pretiosissimum sanguinem tuum pro nobis effusum collegisti, sanctissimum quoque corpus rediuiuum, immortale, impatibile, clarum, subtile, & omnibus modis glorioſum Apostolis contrectandum præbuisti, deniq; vnà peractæ redemptionis nostræ signis cælos intulisti, donec inde redeas iudicare viuos & mortuos: mysticum corpus tuum, quod est Ecclesia Catholica, tot periculis ac hostibus expositum, quæsumus, benignus attende, illudq; tua pietate congrega, rege, sanctifica, vt omnibus membris ac partibus suis sartum tectumque maneat & vigeat, donec tecum, & sanctissimo Patre tuo, ac Spiritu sancto in cælis beato, felici, ac sempiterno æuo omnes perfruamur.

(..)

DIA-

# DIALOGVS SEPTIMVS, QVO EXAMINANTVR ET REFVTANTVR QVADRAGINTAETSEX CALuinianorum aduersus Spiritum sanctum, eiusdemque perfectiones, officia, & opera errores. Ac primùm de illius æterna à Patre & Filio productione.

MINISTER.

QVANDOQVIDEM video te admodum diligenter inuestigasse, summaque fide retulisse omnes eas hæreses, quas prætensi nostri Ecclesię reformatores aduersus sanctissimam Trinitatem in vniuersum, tum priuatim aduersus Dei Filium, & ab eo assumptum hominem, peractumque salutis humanæ mysterium sunt impiè & nefariè machinati: superest ergo, vt eâdem diligentia eos errores persequaris, quos aduersus Spiritus sancti personam, diuinitatem, dignitatem, & officia sunt cõmenti. Sic enim & fidem exolues, & diuinæ gloriæ inseruies, salutarem Prophetarum & Apostolorum doctrinam propugnabis, meamque ex densissimis tenebris extrahes animam. DOCT. Credas equidem perditum Satanam suorum ministrorum ac Prædicantũ fraudibus, doctrinæ de Spiritu Domini sancto tot tamque varias tenebras offudisse, vt vix singulæ exprimi possint: quatenus vniuersa, quæ de hoc sanctissimo ac perpetuo Ecclesiæ militantis rectore, consolatore, ac doctore habenda est fide ac religione subuersa, eandẽ quoque Ecclesiam penitus conuelleret atque labefactaret. Sed omissis veteribus Simonis magi, Gnosticorum,

rum, Montani, Manichæi, ac Eunomij de Spiritu sancto hæresibus; de his tantùm dicam, quæ præsenti sęculo ab Hugnosticis, id est, Caluinianis aut restitutæ, aut de nouo excogitatæ ac inuectæ fuerunt: atque eò breuius id faciam, quò iam in primo & secundo Dialogo easdem ex parte affigimus. Itaque primo & secundo loco Caluinus aduersus diuinam maiestatem Spiritus sancti turpiter aberrauit, cùm scripsit, *eum non habere essentiam seu Deitatem à Patre & Filio per æternam productionem aut communicationem: sed à semetipso.*

*Instit. lib. 1. cap. 8. §. 19. & 23.*

**Confutatio 1.** MIN. Id me in Institutionis eiusdem loco legisse memini, quo Valentinum Gentilem coarguit. Illic enim tuetur Filium & Spiritum sanctum à seipsis diuinam habere naturam seu essentiam, perinde ac Pater eam à seipso possidet, non ab alio: nec existimabam hoc hæresim esse, quousque supra, cùm de Filio agebamus, ex scripturis & Patribus demonstrasti, eos qui dicunt tres personas Deitatem à semetipsis æqualiter habere; id est, nec in Filio per æternam generationem, nec in Spiritu sancto per æternam à Patre & Filio productionem seu spirationem eam esse, deorum pluralitatem, ac turpissimum Paganismum inuehere, eâdemque opera veterem totius Christianismi fidem atque doctrinam conuellere atque labefactare.

*Pagin. 205. 206. &c.*

**2.** Equidem certè impuri ac flagitiosi Trinitarij, qui nunc in Transiluania, Hungaria, Morauia, Polonia, Lituania & cæter, proclamant, *Tres diuinas personas, tres esse Deos ac Dominos*, se nihil adfirmare profitentur, quod non ex Caluini & asseclarum libris desumpserint, vti etiam de his referunt Volanus, Lasychius, Simlerus atque Smidelinus, à professione Catholica alieni. Proinde etsi ex superioribus Caluini erroribus non alia ab istis sequerentur absurda & incommoda, eos constanter improbo & abiuro.

**3.** DOCTOR. His quoque addere licet, quod fanaticas Arrianorum, Eunomianorum, Macedonianorum,

*Epiphan. Euthym.*

norum, Photinianorum, Massalianorum, Euchytarum, & Sataneanorum opiniones ab inferis pro viribus reuocant: quos iam dudum sacris Scripturis, Apostolicis traditionibus, Patrum consensu, adeoque totius Ecclesiæ Catholicæ authoritate conuictos, nostri veteres in manus Satanæ iure tradiderunt, vt discerent non blasphemare, cauerentque posteri in huiusmodi impietates incidere: contra verò profiterentur omnes Filium Dei ex Patris essentia verè genitum esse, & Spiritum sanctum ex vtriusque vnica Deitate verè quoque procedere. Patrum locos sententiasque in Appendice aduersus hæreses designauimus, lib. 3 titulo Christus. *Nicetas. Basil.*

Ad hæc, beati viri Philastrius ac Epiphanius referunt Semiarrianos, cuiusmodi fuerunt Basilius Ancyranus, Georgius Laodicenus, Sylanus, & alij aliquot, inter errores suos hos tres articulos defendisse: *Spiritum sanctum non esse de Diuina Patris & Filij substantia productum: nec Deum verum: sed meram creaturam.* Primum Caluiniani apertè tutantur: à secundo & tertio non longè recedunt, vti paulò post ostendemus. Igitur manifestum est illos inueteratas, & iam obliuione sepultas hæreses pro viribus redintegrare. Athanasius sanctissimæ Trinitatis & consubstantialitatis eximius propugnator de Spiritus sancti emanatione sic loquitur: Si Spiritus sanctus Patris substantiæ non esset, Filius Dei eum non in consortio sanctificationis numeraret. Et idem alibi ait: Ideo Dominus inspirans in ora Apostolorum dicit, Accipite Spiritum sanctum &cætera, vt intelligeremus, quod ex plenitudine Deitatis ipsius ipse Spiritus existat, qui discipulis tribuitur. Epiphanius quoque rursum scribit aduersus Photinum: Redarguit te sacra Scriptura, vbi loquitur Dominus de Spiritu sancto, confitens eum esse genuinum suæ Deitatis: & dicit, *Qui ex Patre procedit*: &, *De meo accipiet*. Theodoretus autem cùm de Arrianis, Macedonianis & Eunomianis loquitur, tradit hos omnes πνευματομάχους, hoc est, Spiritus sancti hostes

4. *In Catal. Cōt. Semiarrian.*

*De Arimin. et cath. conf.*

*L. de humanæ nat. fusce.*

*Ioan. 16.*

*L. 2. hæret. fabular.*

cognominatos fuisse, quod in eum blasphemantes dicerent, ipsum creatum, & non ex Deitate productum esse. Quid de tantorum Patrum fide doctrinaque iam tibi videtur? MIN. Hinc colligo eos in primis vetera illa hæreticorum monstra damnasse, quod docerent Spiritum sanctum non esse productum ex Patris Filijque substantia. Deinde, eosdem expressis Scripturæ testimonijs contrarium probasse. Postremò, Caluinianos propter earundem hæreseon assertionem, ijsdemque quoque cum Arrianis, Semiarrianis, Eunomianis, atque Macedonianis anathematibus dirisque subiacere. Quocirca cùm alibi profiteantur se vetera Concilia, Patrumque qui à CHRISTO quadringentis & quingentis annis in Ecclesia floruerunt, doctrinam amplecti; ac quos damnauerunt errores, sese quoque damnare & reprobare: proculdubio seipsos proprio iudicioreos agere, spontaneisque laqueis prefocare.

5. Præterea, etiam ex Centurijs Magdeburgensium apparet, superioris Germaniæ ministros hac in re cũ Caluinianis minimè conuenire: quando illi citatis decem firmissimis noui testamenti locis atque sententijs euincunt, Spiritum sanctum non nisi ex Patris Filijq; essentia atque Deitate promanare: atque sic verum quidem esse Deum, sed ab vtroque iuxta substantiam procedentem.

*Cent. 1. lib. 2. pag. 112.*

6. DOCT. Te quoque nosse cupio Athanasium, Basilium, Nazianzenum, Ambrosium, Hilarium, & Augustinum, id est, præcipua post Apostolos totius Ecclesiæ Christianæ lumina, perpetua consensione docuisse Spiritum sanctum non à seipso, sed vnica indiuisaq; Patris & Filij actiua spiratione, emanatione, seu æterna productione, Diuinitatem habere: idque his Scripturis confirmasse, *Paraclitus à Patre procedit. Spiritus veritatis qui à Patre procedit. Spiritum mittam vobis à Patre. Spiritus de meo accipiet. Mittit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, &c.* MIN. Firmissima profectò testimonia. Nã vt Filius docet se omnem Deitatem à Patre per æternam generationem accepisse, dicendo, *Ex Deo processi, Exiui à Patre, A Deo veni, &c.* idem quoque de Spiritu sancto

*L. cont. Apol.*
*L. cont. Eun.*
*Or. de Pente.*
*L. de Trin.*
*L. de Spir. ad Grat.*
*Ioan. 15.*
*Ioan. 16.*
*Gal. 4.*
*Ioan. 8.*
*Ioan. 10.*

ſancto adfirmare docet, cùm dicitur *à Patre procedere, & Filij eſſe Spiritus.*

Sententiam ſuam rurſum confirmant ex eo quod Chriſtus promittit: *Si abiero, mittam eum ad vos.* Mittit, ergo producit atque ſpirat illum: proindeque Spiritus Deitatem accipit à Filio ſicut à Patre, idque æterna & incomprehenſibili nobis ratione. MIN. Enimuerò ſi Pater emittendo Filium, ſignificat per huiuſmodi miſſionem illum à ſe procedere quatenus Deus & Dei Filius eſt: ſic & Filius promittens ſe Spiritum miſſurum, ſatis docet ſeſe omnem ei Diuinitatem cõmunicare ea productione, quæ ſibi cum Patre vna prorſus eſt. 7. *Ioan.16.*

DOCT. Cumque de eodem Spiritu adijcit Dominus: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet: Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi, Quia de meo accipiet*: diuo interprete Auguſtino, idcirco dictũ eſt, vt intelligamus eum non eſſe à ſemetipſo. Subdit quoque: Quia ergo non eſt à ſemetipſo, ſed ab illo à quo procedit, à quo illi eſt Eſſentia, ab illo ſcientia, ab illo audientia. Et vt huic ſententiæ accedat ſanctiſſima Græcorum conſenſio, ſanctiſſimi Cyrilli, ac Concilij Epheſini præſidis teſtimonium ſubiungo. Propterea inquit, præmiſit Chriſtus, *quia etiam ventura annunciabit vobis*, ac ſi diceret: Hoc ſignum vobis ſit ex mea illum ſubſtantia eſſe, & mentem quaſi meam eſſe, quia futura, vt ego, vobis prædicet. Et paulò poſt: Verùm cùm inſit in ſubſtantia Dei, & ex ea procedat, omnia quæ Dei ſunt in ſeipſo naturaliter habet Quid rurſum tibi de his Patrũ teſtimonijs videtur? MIN. Primùm quidem ea tam ſancta diuinaq; iudico, vt quicunque his ſeſe oppoſuerit, is planè ſit impius. Deinde, his omnino confirmari Spiritũ à Filio, vt & à Patre procedere, hacque productione ſiue emanatione quicquid habet Deitatis ab ijſdem accipere, non autem à ſeipſo habere. Poſtremò, huiuſmodi perpetuam cõteſtatamque fuiſſe tam Græcæ quàm Latinæ Eccleſiæ ex ſacris literis deſumptam fidem atque doctrinam: & propterea Caluinianos his contradicentes, in tetterrimas aduerſus æternam Spiritus ſancti emanationem hæreſes incidiſſe. 8. *Ioan.16.* *Tract.99. in Ioan.* *L.10. in Ioã. c.41. & l.11. cap.1.*

9. DOCT. Huic autē ſententiæ Catholicæ teſtimonium toties perhibuerunt quotquot à ſeculo fuerunt Prophetæ Domini, quoties eūdem Spiritum ſanctum appellauerunt, *Spiritum Domini. Spiritum Dei, Spiritū oris & labiorum Domini, Spiritum Patris, Spiritū qui eſt ex Deo, Spiritum Dei viuentis, Spiritum virtutis Dei, Spiritū gloriæ, Spiritum ſapientiæ intellectus cōſilij & fortitudinis, Spiritum ex alto, Spiritum principalem, Spiritum replentem orbem terrarum, Spiritum Dei rectum, bonum, dulcem, & ſanctum, &c.* His enim ſatis patefaciunt, hanc tertiā in vna Deitate perſonam eſſe Deum, ineffabili nobis emanatione à Deo Patre & Filio procedentem; acceptaq; ab his (tanquam ab vno principio) eſſentia ſeu natura Diuina, cum his vnicum & ſolum verum Deum eſſe.

Gen. 1. & 41. Exod. 30. Num. 11. 24. & 27. Iudic. 3. 6. 11. 13. 14. Pſal. 32. 50. & 51. Sap. 1. 7. 9. 11. & 12. Eccli. 1. Iſa. 11 32. 40. 42 44. & 48.

10. Eandem fidem & doctrinam Apoſtoli non modò retinuerunt: ſed & per vniuerſum orbē multo magis illuſtratam & confirmatam conſtanter publicarunt, docendo omnes gētes, & *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Rurſumq; verbis & ſignis ſuadendo hanc tertiam Trinitatis perſonam, verè dici & eſſe *Spiritum Dei, Spiritum Patris, Spiritum virtutis Dei, Spiritum Filij Dei, Spiritū Chriſti, Spiritū oris Dei, & Spiritum adeo ſanctum ac diuinum*, vt ſi quis aduerſus eum verbum blaſphemiæ dixerit, non remittatur ei, vel in hoc ſeculo vel in futuro.

Rō. 8. 1. Cor. 1. & 2. Gal. 4. Phil. 1. Matt. 12.

11. Hæc diligenter perpendentes qui ſecundo, tertio, vel quarto ſeculo Apoſtolis ſucceſſerunt paſtores Eccleſiarum, diuino conſenſu decreuerunt, ad fidei ſubſtantiā hos articulos maximè pertinere: *Spiritus ſanctus à Patre Filioque procedit. Spiritus ſanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur.* Procedit autem omnem ab his accipiendo Diuinam poteſtatem, ſapientiam, bonitatem, eſſentiam & maieſtatem: quoniam ſolus Pater eam à ſemetipſo, Filius autem à ſolo Patre ab æterno poſſidet. MIN. Certè planū eſt eum aliâs *Spiritum Dei, Spiritum à Patre procedentem, Spiritum Filij, Spiritum Ieſu*, nequaquam vocandū fuiſſe, ſi non à Patre & Filio procedendo ab his omnino haberet, quod verè Deus eſſet & appellaretur, quicquid in oppoſitum Caluinus poſſit obgannire. Perſequere.

Symbol.

SPI-

## *SPIRITVM SANCTVM, NON aliam, ſed eãdem numero Diuinam eſſentiam atque naturam habere cum Patre & Filio: aduerſus tertiam hæreſim Caluiniſticam.*

DOCTOR.

SVperius audiuiſti Bezã inter articulos ſuæ ac Geneuãnæ fidei reponentem, *Eſſentiã diuinam realiter & ab æterno diſtinctã eſſe in tribus perſonis*: Caluinum deinde adfirmantem diſtinctionem realem in eo conſiſtere, *quod vnum ab altero ſeparetur*: vnde apertè conſequitur, ipſos aliam, ſeparabilemque Eſſentiam à Patre & Filio, Spiritui ſancto nefariè atque temerariè tribuere. Pag. 48. 49.

MIN. Non eſt dubium talem eſſe eorum opinionem: ad quam refellendam alia argumenta non requiro, ab his quibus priorem Bezæ ſententiam tum confutauimus. Cùm enim omnia Prophetarum, Apoſtolorum, Euangeliſtarumque ſcripta magno conſenſu perſonent, Vnicum & ſolum verum eſſe Deum, rationibusque doceant deorum pluralitatem eſſe omnino impoſſibilem; manifeſtum atque certum eſt Spiritum ſanctum, qui verè Deus eſt, non aliam à Patre aut Filio Deitatem ſiue Eſſentiam habere, ſed numero prorſus eandem. Confutatio 1.

Deinde, Seruetum Caluinus reprehendit velut execrando crimine, *quod diuinam Eſſentiam in tres partes diſtraxerit*, cùm ea penitus ſimplex & indiuiſibilis exiſtat. Inſuper eos Diuinitatis hoſtes infeſtiſſimos pronunciat, *qui in Eſſentia Dei aliquam diſtinctionis notam conſtituunt*: eam tandem eliciens concluſionem, *Eſſentiam Patris, & Filij, & Spiritus ſancti eſſe omnino ſimplicem, ſingularem ac impartibilem.* Quare certiſſimum eſt Spiritum ſanctum eandem prorſus Eſſentiam habere cum Patre & Filio: ac proinde Bezam realiter eam in tribus perſonis diſtinguendo, etiam Caluini iudicio, vnius veræ ac ſummę Diuinitatis hoſtem teterrimum eſſe. 2. Supra, pagin. 48. 49.

DOCT.

3. DOCT. Certè cùm ait Ioannes, *Pater, Verbum & Spiritus sanctus, hi tres vnum sunt*, apertè docet cunctos
1. Ioan 5. sibi persuadere debere non esse aliam Patris, Filij, aut Spiritus sancti essentiam vel naturam: sed prorsus vnicam, eandemque impartibilem.

4. Ecquo iure etiam baptizaremur *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, si nō trium esset omnino eadem
Matth. 28. maiestas, potestas, & gratia? Aut idem Spiritus sanctus diceretur omnium creator, conseruator atque sanctificator, si non eadem prorsus esset cum Deo Patre & Filio præditus natura, Deitate, atque potestate: quando vnicum & solum credimus atq; colimus omnium rerum Creatorem & Seruatorem? An non è contrario tres essent dij, tres omnipotentes, tres Domini, & tres Creatores; si quisque eorum aliam reque distinctam haberet essentiam? Aut quam reperiremus in Symbolis fidei nostræ veritatem, in quibus nobis hæc ad credendum proposita sunt axiomata, *Patris & Filij & Spiritus sancti vna est Diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas?*

5. MIN. Isthæc me non parum ad fidem cultumque diuinum Spiritui sancto præstandum promouent: verùm multò adhuc magis ad id incitaretur animus, si aliqua eaque perspicua de his audirem veterum Ecclesiæ Patrum testimonia. DOCT. Non solùm in his tibi satisfaciam, verùm etiam ex his mecum audies discesque quibus Scripturis innixi idipsum corro-
E. 2. ad Maximum. borent. In primis verò Fulgentius Ruspensis ostendit Spiritum sanctum non esse minorem, imò verò prorsus æqualem & consubstātialem Patri & Filio, quamuis ab his missus sit: cùm Filius quoque missus à Patre, non desinat eiusdem cum illo esse Essentiæ atque
Ioan. 10. naturæ, iuxta quod ab eodem dictum est, *Ego & Pater*
Ioan. 16. *vnum sumus*. Eiusmodi etenim missiones nullam loco-
Isa. 61. rum mutationem, aut substantiæ honorisve imminu-
Luc. 4. tionem significant: sed certos tantùm effectus, quibus hæ diuinæ personæ sese mortalibus, modo quodam singulari exhibent atque manifestant. Deinde, cùm eadem naturæ immensitas seu infinitas, quæ Patri & Filio conuenit, de Spiritu quoque adfirmetur à Sapi-

ente

ente dicente, *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum*: similiter & à Dauide concinente, *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es, &c.* oportet planè Spiritum sanctum eiusdem cum his essè diuinitatis & naturæ. Rursum, diuino verbo adfirmatur, *Nos templum esse Spiritus sancti qui habitat in nobis. Nos Spiritum seruitutis in timore non accepisse, sed Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba, Pater. Eundemque Spiritum testimonium reddere spiritui nostro, quod filij Dei sumus.* Ex quibus clarum efficitur, Spiritum sanctum eundem cum Patre & Filio esse Deum omnipotentem, omniscientem, omnimisericordem, &c. Præterea, præclara cælestiaque dona fidei, spei, charitatis, lætitiæ spiritalis, pacis, longanimitatis, bonitatis, sapientiæ, scientiæ, pietatis, externarum linguarum cognitionis, quæ à Prophetis & Apostolis cõmemorantur, ab eodem Spiritu sancto in sanctos collocata beneficia disertè palamq; referuntur: quapropter necesse est illum verè Deum, ac prorsus eadem cum Patre misericordia, liberalitate, & in homines beneuolentia præditum esse. Denique, præstantissimum Incarnationis & natiuitatis Christi ex Maria virgine mysterium eidem Spiritui sancto acceptum refertur: hoc autem non nisi à summo atque omnipotente Deo perfici potuit. Est igitur Spiritus eadem, non alia, cum Patre & Filio præditus natura virtuteque Diuina, &c. En sacræ firmæque probationes, quibus Fulgentius ante mille annos Spiritus sancti diuinitatem adfirmauit, & hostes illius Arrianos confudit atque repulit. *Sap.1. Psal.138. 1.Cor.3. Rom.14. Gal.4. Rom.8. 1.Cor.13. Isa.11. Rom.14. 1.Cor.12. Gal.5. Act.2. Matth.1. Luc.1.*

6. Ante Fulgentium scripserat quoque Augustinus, Si Spiritus non esset verus Deus, eius templa non essent corpora & membra nostra, cùm soli Deo templa erigantur. Et quod Petrus dixit Ananiæ, *Quomodo mentitus es Spiritui sancto? Non enim mentitus es hominibus, sed Deo*: manifestè docent Spiritum Deum esse, cui nefas sit mentiri. Vnus autem Deus est, plures verò nequeunt consistere: est igitur Spiritus vnicus natura cum Patre Deus. *Epistol.174. & l.3.aduer. Maximin. 2.Cor.6. Act.5.*

7. Et vt Græcos Latinis permisceam, Chrysostomus eandem doctrinam sequutus ait; Vbi est Iesus Chri- *In cap.8. ad*

stus,

*Rom.in.c.14 Ioan. Homil. de S. Spiritu.*

ſtus, ibi eſt quoque Spiritus ſanctus, quoniam vbicunque ſanctiſſimæ Trinitatis vna eſt hypoſtaſis, ibi & Spiritus ſanctus vna ex perſonis. Inſeparabiliter quippe ſibijpſi cohæret ipſa Trinitas, atq; exactiſſimè vnita eſt. Et iterum: Vna natura eſt Filij & Spiritus, vna virtus. Et in illud: *Rogabo Patrem, & aliũ Paraclitum dabit vobis*, ait: Dicendo alium, perſonę differentiam: dicendo Paraclitum, ſubſtantiæ cognationem Chriſtus demonſtrat.

8. *Epiſt.73.* Baſilius magnus in fidei ſuæ profeſſione, ait: Coniunctum Patri & Filio confitemur Paraclitum, & non inter creaturas annumeratum. Nam æquè credimus in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, & *Matth.28.* horum trium nomine baptizamur: proinde Spiritus ſancti coniunctionem à Patre & Filio nunquam ſeparamus, neque patimur gloriam ei debitam aboleri.

9. *Orat. de Modeſtia.* Nazianzenus quoque inquit: Aequiſſimum eſt vt agnoſcamus Spiritum ſanctum ſuam à Deo habere ſubſtantiam, Patri concedendo quod non gignitur, Filio autem quod gignatur: ſed in cæteris (exceptis proprietatibus) eiuſdem eſt cum illis naturæ, gloriæ, honoris, & poteſtatis. Et alio rurſus loco *Orat. 5. in Pentecoſt.* ait: Spiritus ſanctus erat quidem ſemper, & eſt, & erit, neque incipiens, neque deſinens: ſed ſemper Patri & Filio coordinatus & connumeratus.

10. *Apolog. pro Chriſtian.* Athenagoras inſignis ſimul Theologus & Philoſophus profitetur, Chriſtianos in Deo tres perſonas credere inter ſe diſtinctas Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, ſed prorſus coniunctas tam in eſſentia, quàm in operibus ac effectis ſuis. Filium tanquam mentem & rationem Patris: Spiritum ſanctum ab eo procedentem, vt ab igne procedit lumen & calor.

11. *Ser. de Spiritu ſanct.* Cyprianus Martyr docet hunc eſſe diuinum Spiritum, qui Salomonem ſapientia, intellectu Danielem, Ioſeph conſilio, Samſonem fortitudine, Moyſen virtutibus, Dauid pietate, Iob timore donauit; cunctorumque ſanctorum mentes varijs donis fœcundat; *Phil.3.* in tantum adfectus pacificos prouehens, vt iam in cæ- *Rom.5.* lis eorum noſtraque ſit conuerſatio, diffuſa in nobis charit-

charitate per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Hic in pudicis mentibus ſibi ſtatuit habitationem, hic humiles habet domeſticos, abominatur auaros, falſarios deteſtatur. Hic Giezi lepra percutit, Ieroboam de ſacerdotijs nundinantem cum apoſtatis locat. Simonem magum à ſanctorum conſortio exhæredat, Balaam ad maledicendum conducto ſilentium imponit, omnibus Eccleſiæ Sacramentis adeſt, quæ & ipſe efficit & conſummat. Hic peccata diluit, iuſtificat impios, & ad vitã mortuos reuocat. An non ergo verus ac omnipotens Deus eſt?

MIN. Hæc ſeptem ſanctorum hominum ſufficiunt teſtimonia. Ex his enim ſatis perſpicio, expreſſis Dei verbis comprobari Spiritum ſanctum verum Deum, ex Patris Filijque ſubſtantia, ab æterno, incomprehenſibili ac ineffabili productione procedere, atque eandem prorſus cum illis Deitatem, virtutem, & maieſtatem retinere. Denique Bezanos & Caluinianos aliam ei eſſentiam à Patre tribuentes, non modò cum Arrianis, Macedonianis, Eunomianis, alijſque veteribus à Satana contra Spiritum Domini ſubornatis, impoſtoribus atque ſeductoribus infeliciter conſentire: ſed & pluralitatem Deorum cum impijs gentilibus pro virili reparare. De alio capite iam quæſo tractemus. 12.

## *SPIRITVM SANCTVM VNAM cum Patre & Filio rerum omnium effectricem cauſam eſſe: aduerſus quartam hæreſim Caluinicam.*

DOCTOR.

DE quarta igitur eorum aduerſus Spiritum ſanctum hæreſi dicamus. Per hãc autem nihil Spiritui ſancto in mundi creatione, conſeruatione atque gubernatione relinquunt, niſi tertium quẽdam virtutis, imperij, ac honoris locũ. MIN. Iſthęc in corũ ſcriptis nondum occurrerũt, quamuis in his euoluendis diu multumque inſudauerim. DOCT. Cùm hæreſiarcha

Supra, pagin. 82. 83. &c.

*Calu. in c.6. Ioan. in 16. Marc. in 26 Matth. & in 17. Iuã. v.12.* testiarcha scribit, *Deum Patrem esse primum vitæ gradum & causam, Filium verò secundum: Patrem esse primam potentiam, Filium secundam: Patrem honoris & imperij primũ tenere locum, Filium autem secundum*: sequitur manifesta consecutione Spiritui sancto tantummodo relinqui tertium causæ, vitæ, potentiæ, honoris ac imperij locum. MIN. Id negare non potest nisi nimiũ proteruus & prefractus. DOCT. Cùm etiam Dominum Iesum Christum confingat esse *Patris solùm ministrum atque vicarium*, eadem opera Spiritus sancti omnipotentiæ ac æqualitati diuinæ plurimum cõsequenter detrahit.

*Art. 6.* Dicentes rursum in Fidei suæ cõfessione, *solum Patrem esse mundi huius causam primam, Filium secundam*, manifestum est quod Spiritum sanctũ in ordinem tantùm tertiæ causæ reijciunt.

**Confutatio 1.** MIN. Tam nefario errore prorsus tenebũtur Caluiniani, nisi Caluinum suum penitus damnauerint, vt & seipsos alibi manifestè damnant atq; coarguunt, dum scribunt: *Arrianorum esse rabiem in eadem simpliciq; essentia Dei aliquam inæqualitatem inferre. Tres illas personas diuinas esse coessentiales, coæquales, & coæternas sine proprietatum confusione, vt vetus Ecclesia præclarè cõstituit contra priscos hæreticos.* Cùm itaque diuersos & inæquales causarum gradus, cùm multiplices atq; varios honoris, vitæ, & imperij ordines inter diuinas personas Caluiniani flagitiosè comminiscantur, quis negabit eos cum Arrianis planè insanire? Quod si personæ illæ diuinæ prorsus eadem essentia, voluntate, potestate, & maiestate sunt præditæ, nulli profectò sunt inter has diuersi honoris ac imperij loci: atque sic efficitur, Spiritum sanctum eodem honoris, gloriæ, vitæ, atq; totius huius mundi gradu constituendum & colendum esse, quo Patrem & Filium veneramur. Enimuerò cùm trium sit vna prorsus essentia, vna maiestas, vna volũtas, & vna potestas, vnus tantùm Deus, vnus creator & rector mundi, vna denique omnium rerum prima causa: & vnicum summum principium credendum est, non tria.

*Cal. in cap. 1. Ioan. v. 18. Beza in cõf. fidei punct. 1. art. 2.*

**2.** DOCT. His adde quod nuper ex sacris literis audisti, Spiritum sanctum esse eiusdem cum Patre & Filio

lio naturæ ac Deitatis, quandoquidem hi tres vnum sint, in quorum vnico nomine & numine baptizamur. Adhæc cùm non sint tres dij, sed vnus Deus: non tres domini, sed vnus Dominus: non tres æterni, increati, omnipotentes, vel immensi; sed vnus æternus, increatus, omnipotens ac immẽsus, verè sunt tres personæ coæternæ sibi & coæquales. Est igitur non modò Arriani, verùm & impuri cuiusdam Ethnici insana deliratio, primũ vitę gradum illi, secundum huic, tertium autem isti tribuere. *Atha. in sym.*

MINIST. Et reuera, insanus Auerroes, & post eum Auincenna quosdam graduum ordines ac causarum nexus circulosque in rebus Diuinis confingentes, videntur Caluinianis istorum errorum materiam subministrâsse. DOCT. Tanto igitur impudentiores sunt, quanto malunt impurorum gentilium sectari somnia, quàm verbo Dei à Patribus sanctè pieque explicato adhærere. 3.

MINIST. Equidem certè in ea quoque dementia olim versati sunt Porphyrius, Plotinus, Iamblichus, & alij vel fidei Christianæ desertores, vel Platonici; quando conati sunt sanctissimæ Trinitatis & vnitatis diuinæ mysterium suis somnijs obscurare atque deformare. DOCT. Sic verè dixit quondam Tertullianus, Philosophos esse Patriarchas hæreticorum. Hæreses à Philosophia subornari. Deniq; hæreticum ita conuenit; Discede ab ethnico, hæretice. Redde illi suos sensus, quia nec ille de tuis instruitur. Quid cæco duci inniteris, si vides? Quid vestiris à nudo, si Christum induisti? Quid alieno vteris clypeo, si ab Apostolo armatus es? Ita ergo & nos Caluinistas adoriri possumus. Quid vobis cum Auerrois deorum, aut primarum, secundarum, tertiarumve causarũ gradibus? Quid cũ catenę Auincennæ circulis ac nodis? Reddite Porphyrio Apostatę suas blasphemias, Plotini deserite somnia, Iamblichi deliramenta valere iubete: & cum Christianis verum Deum Patrem Filium & Spiritum Sanctum vnicam rerum omnium effectricem & seruatricem causam credite & adorate. 4. *L. cont. Her. mog. L. de præsc. L. de resurr. carnis.*

MIN. Sed quæ fuit doctrina fidesque Patrum de 5.

*Basil. Athan. Amb. Fulgent.*

Spiritu Sancto? DOCT. Quotquot pro gloria sanctissimæ Trinitatis aduersus Arrianos, Macedonianos, Eunomianos, vel Photinianos decertarunt, expressis *Dei* verbis ostenderunt, vniuersa quæ *Deo* Patri & Filio circa creaturas opera gestaque tribuuntur, eadem eodemque modo & Spiritui Sancto iure adscribi, vt & in præcedenti attigimus disputatione. Ex quo sequitur neque tertium gradum causæ ei tribuendum, neque in tertium honoris ac imperij locum relegandum esse: quando cum Patre & Filio vnica eademque prima & possissima sit rerum causa.

6. *Gen. 1. Psal. 32. Psal. 50. Psal. 103.*

MINIST. Certè Moses eum creatorem omnium agnoscens, ait, *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Dauid quoque canit: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Orat *Spiritu principali* confirmari. Denique ait: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ:* quibus verbis satis apertè confitetur, eum cum Patre & Filio vnicum rerum principium, creatorem, & rectorem esse.

7. *1. Cor. 12. Ephes. 4. Luc. 2. 2. Petr. 1.*

DOCT. Nec aliter vnquam senserunt aut scripserunt Apostoli, cùm ea omnino Patris dona, Spiritui quoque accepta ferenda esse prædicauerunt, vtpotè, scrutari profunda Dei, vbique natura sua præsto adesse, homines regenerare, viuificare, iustificare atque saluare: veteres edocere Prophetas, eorum ore loqui, largiri dona sapientiæ, fidei, miraculorum, &c. *Hæc omnia* (inquiunt) *distribuit Spiritus pro vt vult.* MINIS. Ista profectò certissima & apertissima sunt argumenta eiusdem cum diuino Patre potestatis efficientiæ atque virtutis. Nec est necesse vlteriores ad id comprobandũ rationes adhibere: ideoque aliud caput attingamus.

## *SPIRITVS SANCTI PERSONAM non esse virtutem aut potentiam essentialem Dei Patris: aduersus quintam hæresim Hugnosticam.*

DOCTOR.

ABerrant rursum turpissimè Authores vestri, quando personæ Spiritus Sancti rationem designantes

signantes, nihil aliud esse iudicant, præter virtutem essentialem & naturalem potẽtiam Dei Patris. MIN. Talem finitionem nondum in horum scriptis animaduerti, proinde horum verba audire velim. DOCT. Bezæ igitur verba Gallica sunt: *Nous croions au S. Esprit, qui est la puissance essentielle du Pere & du Fils.* Quæ sic Latinè ad verbum reddũtur. *Nos credimus in Spiritum sanctum, qui est potentia essentialis Patris & Filij.* Caluinus autem ait: *Spiritus sanctus est quasi essentialis Dei virtus, cuius efficacia se profert ac exerit tam in mundi gubernatione, quàm in miraculis.* *Conf. punct. 4. art. 1.* *Com. in c. 12. prioris Cor. & Inst. l. 1. cap. 13. §. 22.*

MINIST. Expresso ne Dei verbo suam corroborant definitionem? DOCT. De hoc ne minimum quidem verbum. MINIST. Ergo nec audiendi nec admittendi sunt. Eorum enim regula est; *Nihil esse credendum aut suscipiendum, nisi expresso Dei verbo habeatur: sed omnino reijciendum tanquam fermentum Phariseorum.* Confutatio 1.

Rursum, mihi videntur Caluinus & Beza hac finitione personam Spiritus sancti cum persona Filij miserè confundere. Nam in caput primum Ioannis scribit, *Filium esse æternam Patris voluntatem.* Alibi verò nullam differentiam constituit inter Dei voluntatem & potentiam Dei. Ergo cùm hîc dicit Spiritum sanctum esse potentiam Dei essentialem, sequitur Spiritum sanctum esse ipsum Dei Filium: qui error est veterum Sabellianorum & Noëtianorum. 2.

Deinde, idem Caluinus non verbis solùm, sed & acerrimis flammis viuum Seruetum aliquando corripuit, eo quòd (inquit) *nullam distinctionem realem constitueret inter Verbum & Spiritum sanctum.* Idipsum autem idem nunc affirmat & prædicat. Igitur eadem dignus est mulcta & condemnatione. Atque hæc mea de horum definitione sententia est: tu dicito quæ aduersus eam parasti. 3. *L. Gallic. de actis Serueti pag. 100.*

DOCT. Hac eadem definitione sua confundunt etiam Spiritus sancti hypostasim, id est, notationes, proprietates, & res proprietatibus constitutas, cum his perfectionibus, quæ à Theologis vocantur attributa: quorum primum est Potentia, quæ passim adscri- 4.

bitur Deo Patri. Proinde non solùm hypostases Diuinas cum Sabellio confundunt, verùm etiam omnino delent, negant, & pro viribus tollunt de medio. Enimuerò sapientia, bonitas, misericordia, gratia, & potentia in Deo, non sunt quædam inter se distinctæ personæ, aut quibusdam relationibus notionalibus constitutæ hypostases, sicut sunt Pater, Filius, ac Spiritus sanctus: sed sunt perfectiones ex se communes tribus personis. Quare secundum horum nouorum Sabellianorum nouam Theologiam, Spiritus sanctus non est persona diuina suis proprietatibus ab alijs secreta: sed illarum tantùm quædam communis perfectio.

5. Præterea, quicunque adfirmat Patrem verè & realiter esse sapientiam, bonitatem, misericordiam, gratiam, & potentiam suam essentialem & naturalem, Christianè & Catholicè loquitur. Idem de Filio, identidem & de Spiritu sancto asserendum est. Itaque si Spiritus sanctus esset potētia Dei essentialis & producta, esset idem verè & personaliter Pater & Filius: proinde nō esset in Deo vera & distincta Trinitas personarum, sed tantùm vna: quod est sacrilegum Iudæorum & Maometanorum commentum.

6. Adhæc, articulus fidei nostræ est scripturis & symbolis expressus, Spiritum sanctum reipsa procedere atque produci à Patre & Filio. Ait enim Christus, Ioan. 16. *Spiritus qui à Patre procedit.* Et in symbolo Niceno dicitur, *Qui ex Patre Filioque procedit.* Athanasius quoque ait: *Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Atqui potentia Dei essentialis non potest dici producta, quòd omne productū à producente reipsa distinguatur; tum etiam quòd productum ad producentem referatur. Potentia verò Dei essentialis ab eodem re non distinguitur, nec ad aliud refertur: sed est perfectio penitus absoluta, improducta, & tribus personis omnino innata & intima. Ergo non modò ineptè, improprieque, sed & impiè ac hæreticè à Caluino & Beza Spiritus sanctus dicitur esse potentia Dei essentialis. Auguſt.

7. Constituimus quoque superius Scripturarum & Patrum authoritatibus, Personam esse talem naturæ diuinæ

diuinæ ſubſiſtentiam, quæ non poſſit alijs communicari, cùm ab alijs omnibus ſua proprietate naturali ſeu relatione notionali ſit realiter diſtincta; vt Pater ſua paternitate, Filius ſua filietate, & Spiritus ſanctus ſua paſſiua ſpiratione. Sed nunquam efficere poterunt Caluiniani, Potentiam Dei eſſentialem tali conſtitui proprietate ſeu relatione notionali, vt alijs prorſus ſit incommunicabilis. Nec igitur poteſt, nec debet cum Spiritus ſancti perſona in definitione commiſceri nihilo plus, quàm cum perſona Patris & Filij.

MINIS. Firmiſſimè credo & nullatenus dubito Spiritum ſanctum eſſe perſonam reipſa diſtinctam à Patre & Filio, nec ſine ſacrilegio poſſe cum Potentia Dei eſſentiali confundi: ſed non ſatis intelligo, qua ratione in Scripturis appelletur, *Digitus Dei, ſempiterna virtus, itemque virtus ex alto.* DOCT. Reſpondet tibi Caluinus illic non agi de perſona Spiritus ſancti; ſed tantùm de quadam eius virtute diuina, quæ per opera mirabilia palam manifeſtata eſt hominibus. Reſpondeo & ego, de Spiritus ſancti mirandis effectis, ſingularibusque beneficijs illic mentionem fieri. Eodem enim ſenſu alibi quoque dicitur *Spiritus ſapientiæ & intellectus, conſilij, fortitudinis, timoris, fidei & adoptionis,* eo quòd vel per ipſum hæc dona nobis conferantur, vel idem ipſe illa nobis benignè conferat. MIN. Mihi factum eſt ſatis: aliud perſequamur. 8. Exod. 3. Luc. 11. Rom. 1. Luc. 24. Iſa. 11.

## *SPIRITVM SANCTVM VERE & propriè eſſe perſonam diuinam, & non aliquam tantùm proprietatem reſidentem in eſſentia, aduerſus ſextam Caluinianorum hæreſim.*

DOCTOR.

ERrore ſexto veſtri Caluiniani cum authore ſuo arbitrantur, *Perſonam Spiritus ſancti ſimplicem tantùm eſſe proprietatem quandam diſtinctam & reſiden-*

Supra, pagin. 74.75.&c. 197.198.&c.

tem in Deo. MINIST. Certè id nunquam poterunt inficiari, nisi Caluini Institutionem, & in Ioannis caput primum voluerint denegare commentaria.

DOCT. Dic porrò quid de hac definitione tibi melius videtur.

Cõfutatio. 1. MIN. Dico in primis, Authorem nec secum, nec cum veritate bene in hac conuenire. Quando enim vltimo errore adfirmat Spiritum sanctum esse *Potentiam Dei essentialem*, negat eum esse *Proprietatem quandam in Deo*. Nam proprietates non sunt essentiales aut cõmunes tribus, sicut Potentia: sed duntaxat vni conueniunt, vt paternitas soli Patri, filietas soli Filio, spiratio passiua soli Spiritui sancto: aut ad summum duabus, vt spiratio actiua Patri & Filio. Quare si Spiritus esset *Potentia essentialis Dei*, vt alibi loquitur; procul dubiò non potest esse *proprietas quædam*, vt hîc adfirmat.

2. Deinde, seipsum rursus iugulat, scribens in Libro de actis Serueti, *Personam diuinam esse naturam seu substantiam occultam in Deo*. Item, *Hypostases esse subiecta, quorum vnumquodque suam habeat proprietatem*. Quare cùm Spiritus sanctus verè diuina sit persona, non potest dici sola aut nuda quædam proprietas distincta & relata in Deo: imò iuxta Caluinicam finitionem, est quoque natura & substantia in Deo ipso, & ipsemet Deus verus.

3. DOCTOR. His addi potest & hæc argumentatio. Spiritus sanctus à Patre & Filio propriè, & ab æterno producitur, atque ita ad vtrunque refertur, vt res producta ad producentem, resque spirata ad spirantem. At verò proprietas seu relatio personalis nec producitur, nec refertur; cùm productio terminetur ad substantiam; & relatio sit medium referendi. Sequitur ergo Spiritus sancti personam non esse simplicem proprietatem distinctam & relatam in Deo: sed potius hypostasim tam relatione seu proprietate, quàm ipsa essentia seu natura diuina, verè & propriè constitutam.

4. Perpende quoque vniuersa officia ac opera, quæ Spiritui sancto in diuinis literis tribuuntur, vt con-

dere

dere mundum, Prophetis illucere, Patriarchas regere, Apostolos docere, Euangelistis fauere, Martyres animare, Virgines seruare, peccatores iustificare, iustos saluare, fidei & aliarum virtutum dona largiri, &c. & nunquam audies istthæc à simplici quadam proprietate donari, sed à vera diuinaque persona, quę Spiritus sanctus, & Spiritus Dei appellatur. *Spiritus,* inquit, *ferebatur super aquas. Spiritus Domini irruit in eum. Factus est Spiritus Domini super eum. Spiritus Domini rapuit eum. Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Spiritus Domini ornauit cælos. Spiritus sanctus superueniet in te. Descendit in eum Spiritus sanctus. Ductus est Iesus à Spiritu. Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, &c.* MINIST. Mirum certè quod nullibi dicatur Proprietas seu relatio distincta in Deo. DOCT. Imò nihil prorsus mirum, cùm huiusmodi Personæ illius per simplicem relationem definitio, impium & absurdum sit inuentum Caluinianum, diuinis Scripturis prorsus ignotum. *Genes.1. Iudic.14. 1.Reg.19. Act.8. Psal.50. Iob 26. Luc.1. Ioan.1. Matth.4. Ioan.14. Act.2.*

5. His subijcio virorum Apostolicorum de eadem Spiritus sancti Persona fidem atque doctrinam penitus Catholicam. Ignatius namque ait: Est vnus Deus Pater ingenitus, vnus Filius genitus, & vnus Paraclitus Spiritus veritatis. Et rursum alibi: Est vnus DEVS omnium Pater Domini nostri IESV Christi, & vnus Dominus noster IESVS Christus vnigenitus DEI, & vnus Spiritus sanctus. Non sunt igitur tres Patres, nec tres Filij, nec tres Paracliti: sed vnus Pater, vnus Filius, vnus Paraclitus: ac idcirco mittens Dominus Apostolos ad docendum omnes gentes, præcepit *baptizare eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* *Epistola ad Philadelph. Epistola ad Philip. Matth.28.*

6. Iustinus vt peritissimus Philosophus, ita sapientissimus Theologus, & cōstantissimus pro Christo Martyr, in Confessione fidei scribit: Certum est in primis vnicum esse Deū in tribus personis cognitum, Patrem videlicet, Filium, & Spiritum sanctum. Cùm enim Filius ex propria Patris essentia sit genitus, & ex ea ipsa procedat Spiritus S. credendū est eos in Diuinitate æquales esse, atq; vnicum esse Deum in tribus Personis

distinctum. Verùm, dicet aliquis, Quomodo fieri potest, vt generans non differat à genito, & procedens ab eo à quo procedit? Non est igitur res eadem Pater, & Filius, & Spiritus sanctus? Non profectò. Differunt enim in personis, non in essentia: hæcque nomina ingenitum, genitum, & procedens, non sunt nomina essentiam separantia, sed loquendi formulæ, quibus distinctio personalis significatur & declaratur, &c. Nomen enim ingenitum Patris personam demonstrat; & cùm genitum audimus, Filij personam apprehendimus; tandemque cùm procedens dicitur, Spiritus sancti vera nota intelligitur. Persona enim illius eo nomine propriè exprimitur, &c. Hactenus viri Apostolici, ex quorum verbis discimus, Spiritum sanctum perfectam & omnibus numeris absolutam esse in Trinitate personam, à Patre & Filio sua proprietate notaque distinctam, non autem ipsam nudam & simplicẽ proprietatem, qualẽ noui isti Prædicantes nugantur. MIN. Video sanè perspicuè quàm turpiter hac in re sint hallucinati, aduersus Scripturas, Patrumque doctrinam fœdè aberrantes. Reliquos eorum errores perpendamus.

## *DEVM PATREM AEQVE IN Spiritu sancto, atque vt in Filio à nobis rectè adorari: contra septimam hæresim.*

DOCTOR.

NOnne perpetua rebus fidei Christianæ detrahendi rumpuntur inuidia, quando vetant Deum Patrem, in persona Spiritus sancti colendum & adorandum esse? MINIST. Miror vbinam hæc omnia in eorum scriptis inueneris! Id certè nunquam ego comperi aut legi. DOCT. Dialogo vigesimo Clypei Geneuanæ fidei, folio 376. hæc Gallicis verbis continentur: *Comme Dieu le Pere s'est manifestè en la personne de son fils Iesus Christ, il veut estre adoré en luy tant seulement, & non en autre.* Quæ ad verbũ Latinè sonant,

nant, *Sicut Deus Pater se manifestauit in persona Filij sui Iesu Christi, sic in eo tantummodo vult adorari, & non in alio.*

MIN. Exclusiua certè illa *tantummodo*, vnà cum negatione, *& non in alio*, penitus Spiritum sanctum excludunt: qui nefarius error est. Cùm enim verus ac æternus sit, eiusdem cum Patre essentiæ, potentiæ, maiestatis ac summæ dominationis, non potest certè ille vt omnium bonorum fons & creator adorari, nisi & hic simul adoretur & conglorificetur. Ergo vt Spiritus adoratur in Patre: sic & Pater rectè adoratur in Spiritu sancto. Et sicut adoratur à nobis Pater in Filio, credendo eum esse ab illo genitum consubstantialem, coæternum, & omnino æqualem; ita & in Spiritu sancto colitur dum hic prædicatur ab illo in eadem Deitate, maiestate, & potestate ab omni æternitate procedere. Et vt summatim dicam, Nunquam mihi persuadere possum eos, qui adfirmant Deum Patrem in Spiritu sancto adorari non debere, non etiam eundem Spiritum sanctum omni diuina maiestate spoliare. Confutatio 1.

DOCT. Certissimum id esse paulò post apparebit. Sed vt redeamus ad religiosam Dei Patris in Spiritu sancto adorationem, notandum in primis eam satis apertè tradi ab Apostolo, cùm dicit, *Nemo potest dicere DOMINVS IESVS, nisi in Spiritu sancto.* Et iterum: *Omnes habemus accessum in vno Spiritu ad Patrem.* Rursumque, *Nos esse templum Dei in Spiritu sancto.* His enim demonstrat Deum Patrem æquè in persona Spiritus, atque Filij sui velle agnosci & coli ab omnibus. 2. 1. Cor. 2. Ephes. 2. 1. Cor. 6.

Idem rursum scribens, *Nos abundare in spe virtute Spiritus sancti*: vocationem gentium *per Spiritum sanctum sanctificatam esse*: item, quod signa & prodigia omne genus ederet *virtute Spiritus diuini*: orando denique Deum Patrem *per charitatem eiusdem Spiritus sancti*, æquè ac per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM; eundem Deum Patrem in Spiritu sancto adorat manifestè: suoque exemplo adorandum esse docet. 3. Rom. 15.

Quid? Nonne Deum Patrem in Spiritu suo verè colimus & adoramus, cùm eum agnoscimus authorem, & credimus largitorem esse omnis sapientiæ, fidei, spei, charitatis, prophetiæ, denique omnium linguarum, 4. 1. Cor. 12.

rum, discretionis spirituum, aliorumque charismatum spiritalium? Dumque profitemur illum autho-
*Tit.3.* rem nostræ regenerationis & salutis? Christumq; per
*Heb.9.* Spiritum sanctum se pro nobis obtulisse immaculatũ Deo Patri?

5. Certè cùm Apostoli eodem Spiritu sancto doctore & ductore, Euangelium per totum mundum sparserint, innumeros vitæ æternæ verbo, exemplo, & mira-
*Luc.24.* culis editis pepererint, omniaq; tormentorum genera
*Matth. 28.* pro eiusdem assertione incredibili alacritate superauerint, satis ostenderunt Patrem in hoc Spiritu suo à cũctis colendum & summo cultu venerandum esse.
*Marc.16.*
*Act.1. & 2.*

MIN. Hæc perspicua sunt. Insuper, & ad horum as-
6. sertionem attinere videntur hæc Christi ad mulierem
*Ioan.4.* Samaritanam verba *Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Nam et Pater tales quærit qui adorent eum Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.* Atque hæc ad superioris erroris confutationem satis esse videntur. De alio inquiramus.

## *RELIGIOSVM CVLTVM SVPREMAM qúe adorationem Spiritui sancto ab omnibus deberi: aduersus octauam Caluinianorum hæresim.*

### DOCTOR.

A Deo cæci propriaque malitia excæcati sunt Ductores vestri, vt tandem in eam errorum abyssum inciderint, vt nolint diuinam Spiritus sancti personam supremo cultu venerandam esse. MIN. Vnde istud colligis? DOCT. Ex Caluiniani catechismi principio, vbi scribit Gallicis verbis hæresiarcha: *Il faut adorer le seul Dieu au nom du Fils: Oportet adorare solum Patrem in nomine Filij.* MIN. Id inficiari nec possum nec debeo. DOCT. Eundem errorem alibi quoq; nõ modò repetit, sed etiam verbis adauget, scribens: *Solum Christum nobis propositum esse, vt eum ad quem omnis fides nostra dirigatur, & in eo conquiescat.* Vtens enim exclu-
*In ca.1. Rom. v.3.*

siua

sua dictione solùm, idque erga vnicam personam diuinam, nõne alias omnes excludit? Deinde, adfirmans solum Patrem adorandum; & in solo Filio fidem nostram directam conquiescere debere: manifestè satis prohibet Spiritum sanctum adorari.

MIN. Vera sunt hæc omnia. Sed interim quid futurum est de hoc tam aperto certoque fidei Christianæ articulo, *Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur?* Item de his alijs: *Credo in Spiritum sanctum? Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem?* Nonne credendo in eum, fides nostra in eum dirigitur, in eodemque conquiescit? Et quid est aliquem suprema adoratione colere, si hoc non fuerit? Nonne Caluinus & eius asseclæ palam profitentur se tria Symbola complecti, simulque cuncta quæ aduersus Sabellianos & Arrianos in prima synodo Nicena decreta fuerunt? Confutatio 1. Symbol.

Profectò cùm in publica fidei suæ confessione Caluiniani contestentur *se omnes abhorrere ac respuere hæreses, quas sancti Dei homines Athanasius, Hilarius, Cyrillus, Ambrosius damnauerunt; & quas prima Concilia vniuersalia anathematibus confoderũt*; hunc autẽ vt Arrij, Eunomij, Photini, & Macedonij errorem, quo nolebant in Spiritum sanctum credere, eundemque cum Patre & Filio adorare; Patres illi apertè constanterque reprobauerint: consequens manifestum est, istos nouos diuini Spiritus hostes cum illis veteribus etiam proprijs iudicijs damnatos esse. Atque hoc meum de isto capite iudicium. 2.

DOCT. Hoc ipsum ista ratiocinatione confirmo. Sacris scripturis supra probatum est, Spiritum sanctũ cum Patre & Filio essentia, maiestate, potestate, infinitaque bonitate vnicum esse Deum; eumque talem se ab initio mundi mirandis operibus comprobasse. Atqui suprema adoratio Deo Patri debetur ratione infinitæ maiestatis, gloriæ, potestatis, clementiæ, & boniratis: debet igitur eodem modo pariqúe ratione & ipse Spiritus sanctus ab omnibus creaturis submisse coli & adorari. 3.

MIN.

4. MIN. Euidentissima & firmissima est ratio: sed Scripturas exopto, quæ doceant Spiritum sanctum adorandum esse. DOCT. Stephanus Iudæos increpãs, *quod Spiritui sancto restitissent sicut & Patres*, satis docet omnem obedientiam, cultum, & diuinum obsequium illi debitum esse. *Act. 7.*

5. Petrus quoque tam seuerè animaduertens in Ananiam & Saphiram vxorem eius, quod mentiti essent Spiritui sancto, *Non enim mentiti estis hominibus* (inquiebat) *sed Deo*: perspicuè demonstrat eundem Spiritum, vt Deum ac Dominum omnium à cunctis verendum & colendum: & quicunque eum contumelia affecerint, horrenda morte tandem plectendos esse. *Act. 5.*

6. Paulus deinde quosdam coarguens, quod in Spiritum sanctum essent contumelioſi, & alijs prohibẽs ne contristent Spiritum Domini, nonne vult sacram illius hypostasim cunctis omni honori esse atque reuerentiæ? Affirmans insuper membra nostra templum esse Spiritus sancti, quem vt Deum glorificamus & portamus in corpore nostro, satis disertè prædicat supremum honorem illi deberi. *Rom. 8. Ephes. 4. 1. Cor. 6.*

7. Ecquam euidentiorem aut firmiorem postulares huius cultus probationem, his Christi verbis, *Quicunq; dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro?* Deinde, quod in eius nomine & numine pari iure baptizamur, quo & in Patre atque Filio? Quinetiã quod Cherubim & Seraphim cælestium spirituum præstantissimi, eundem cum Patre & Filio conglorificent, concelebrent, & coadorent, sine fine concinentes *Sanctus, Sanctus, Sanctus*? His enim diuinis planè testimonijs Augustinus, Basilius, Hilarius, Dydimus, Athanasius antiquas hæreses sanctissimæ Trinitati aduersas constanter propulsarunt: & omni humilitate ac pietate adorandum esse Spiritũ sanctum tanquam verum Deum creatorem & sanctificatorem nostrum comprobauerunt. *Matth. 12. Matth. 28. Isa. 6. Apoc. 4.*

8. MIN. Quorundam illorum veterum allatis testimonijs contentus ero. DOCT. Iustinus martyr ac Philosophus ait: Nos veneramur & adoramus Deum Patrem, & missum ab eo Filium, Spiritumq; propheticũ. *Apolog. 2.*

Hunc

Hunc sequutus Clemens Alexandrinus scribit: Laudemus vnum Patrem, & Filium, vnà cum sancto Spiritu, qui vnus est in quo omnia, per quem omnia, per quem est quod semper est. 9. L. 3. pedag.

Athanasius rem improbam iudicat, asserere Spiritum sanctum fuisse creatum aut factum, cùm Scriptura tam veteris quàm noui Testamenti illum in eodē ordine cum Patre & Filio collocet atque conglorificet, vt eiusdem Deitatis, potestatis, & essentiæ consortem. 10. L. cont. Apol.

Cyrillus Ierosolymitanus de eodem scribit: Vnus est tantùm Spiritus sanctus, & alius non est spiritus æqualis cum illo dignitatis. Est enim diuinum quiddā, & inuestigabile: viuit enim, & rationalis est, sanctificans per Christum omnes qui sunt à Deo conscripti. Hic illuminat animas iustorum, hic & in Prophetis, hic & in Apostolis noui Testamenti fuerat. Nemo separet vetus à nouo testamento: nemo dicat, quod alius illic spiritus, & alius hîc: alioqui resistet Spiritui sancto, cum Patre & Filio honorando, & baptismatis tempore in sancta Trinitate comprehenso &c. 11. Catech. 16.

Et vt hac clausula absoluam, Ambrosius tribus libris de Spiritu sancto ad Gratianum Imperatorem; Augustinus Epistola 174. & libro tertio contra Maximinum; Cyrillus Alexandrinus libro 13. thesauri, capite 7. & libro septimo Dialogorum; Basilius denique quinque aduersus Eunomium libris, eundem Spiritum vt verum Deum & Dominum nostrum à nobis timendum & adorandum esse plurimis & grauissimis argumentis persuaserunt: atque contradicentes huic pietati hæreticos confutauerunt & damnauerunt. 12.

MINI. De alio articulo iam ergo dicamus.

SPI-

## SPIRITVS SANCTI PERSONAM omni fide ac summissione inuocandam esse, aduersus nonam haresim.

DOCTOR.

SEctariorum vestrorum perfidia in peius quotidie proficiente, ab ijs eò deuentum est, vt diuinam Spiritus sancti personam nec ipsi suppliciter inuocent, nec ab alijs inuocari permittant. MIN. Id nunquam animaduerti in secta constitutus. DOC. Compe risti aliquando in Catechismis, Psalmis, aut quibuscũque precibus vestris seu priuatis seu publicis, aliquam ad eum speciatim directam? MIN. Nullam profectò. DOC. Sublata est ergo illius inter vos omnis inuocatio. Rursum, intellexisti superius quemadmodum Farellus, Caluinus, Beza, Danæus, & alij eius furfuris ministri, preces ad sanctissimam Trinitatem fusas vituperant ac reijciunt: eadem ergo opera ad Spiritum sanctũ directam precem reprehendunt & damnant. Nam qui tres simul diuinas hypostases inuocare recusat, & harũ vnius inuocationem contemnit. Deinde, cùm vbiq; clamitent, *solum Patrem adorandum & inuocandum*, adeò vt nec Filium adorare & inuocare dignentur: certũ est quod nec ipsum Spiritum san. inuocandũ esse velint. Cùm etiam eidem tantummodo tertium causæ, honoris, ac imperij locum relinquant, nihil ambigendum quod nec ad eum vota dirigenda velint. Deniq;, quando semel ac iterũ in Clypeo Geneuanæ & Caluinianę fidei disertè scribitur, *Spiritum S. non esse inuocandum, si homo liberum habeat arbitrium*: (quod negare impietas est Simonis Magi, Marcionis, & Manichęorũ, quorum errores Vestri se abhorrere & damnare palam fatentur) planum est Sectarios vestros quantũ in ipsis est, omnẽ Spiritus S. religiosam inuocationẽ tollere de medio.

*Supra, pagin. 37. 38. &c. 242. 243. etc*

*Dial. 2. p. 35.*

**Confutatio 1.** MIN. His quinq; argumentis, tam apertè illos huius erroris reos effecisti, vt nullus mentis compos id dissimulare valeat. Verùm, & hac etiam in re illos proprijs iudicijs conuictos & damnatos teneo. Docent enim alibi,

alibi, formam Baptismi traditam à Christo apertã continere inuocationem Patris, & Filij, & Spiritus S. Hæc autem forma vniuersis Christianis est in Euangelio præscripta & data. Igitur necesse est eos aut omnẽ Christianismi rationem damnare & reijcere, aut Spiritus sancti nobiscum inuocationem admittere. *Calu. in c. Matt. 28. Marc. 16.*

2. Præterea, cùm adoratio, cultus supremus, & omne obsequium Spiritui san. debeatur, vt superiori disputatione fusissimè probatum est; inuocatio autem species sit adorationis, quemadmodum & ipsi vltrò fatentur; nõ video cur non debeant vniuersi Christiani eidem, vt & Deo Pátri atque Filio supplices fieri.

3. Ad hæc, celeberrimus inter hos poëta Salustius Barthasius cunctis Prædicantibus ac Ministris religiosior, lectissimis versibus ad Spiritum sanctum, qui Zachariæ linguam soluit, & Apostolis omnium linguarum dona concessit, vota sua dirigit; exoptat vt animum, calamumq; suũ regat; eiusdemq; veneration i versus suos consecrat. DOC. Verè profectò Spiritum sanct. & adorat & precatur, quæ duo capita sunt Caluinianæ Theologiæ omnino contraria. Id quod spem mihi non exiguã facit, multos adhuc inter Sectarios esse viros modestos, nondumq; omnino deploratos, qui intimis animorum recessibus hoc genus Ministrorum, ac impurissimorum rabularum clampres oderunt, & magnopere cupiunt ab his tandem aliquando expediri. Sed institutas confutationes persequor. *L. 3. Iudith.*

4. Si alibi ex animo confitentur, Spiritum sanctum Deum esse optimum, maximum, omnipotentem, omnimisericordem, ac omniscientem; cur ad illius opem in nostris miserijs non confugeremus, dicentes cum Dauide, *Spiritu principali confirma me? Spiritum sanctum tuum ne auferas à me? Spiritus tuus bonus deducat me in viam tuam:* An non etiam Sapiens eundem perspicuè & submissè se inuocasse palam profitetur, dicens: *Inuocaui, & venit in me Spiritus sapientiæ?* *Psalm. 50. Psal. 142. Sap. 7.*

5. Si verè etiam dicat Scriptura, illum authorem & largitorem esse fidei, spei, charitatis, prophetiæ, timoris, pacis, gratiæ, omniumque virtutum: cur eas ab eo supplices non requiremus & postulabimus? *Ephes. 5. 1. Cor. 13. Isaiæ 11.*

bimus? Sitientes refugiemus ab vberrimo omnium bonorum ſpiritualium fonte?

6. An non Eliſæus ſummis votis exorauit fieri ſibi du-
4. Reg. 2. plicem Spiritum præceptoris ſui? Aut ſenex Simeon ſine multis & feruentiſſimis ad eum præmiſſis pre-cibus, reſponſum accepiſſet à Spiritu ſancto, *non viſurum*
Luce 2. *ſe mortem, niſi prius vidiſſet Chriſtum Domini?*

7. Nunquam profectò Apoſtoli ac Diſcipuli in cogni-
Ioan. 14 tionem omnis veritatis veniſſent, niſi prius Spiritum eius Doctorem & magiſtrum ſuppliciter inuocaſſent.
Act. 8. 10. 13. Aut Samaritanis per manus impoſitionem, aut Cor-
19. nelij familiæ, aut diſcipulis Ioannis, alijſque innume-ris, vnà cum remiſſione peccatorum, eiuſdem Spiritus ſancti dona communicaſſent, niſi præuijs ad eius mi-ſericordiam & gratiam ſupplicationibus. Quomodo
Luc. 24. putas, Scripturas intellexiſſent, aut omnium gentium
Act. 2. linguis fuiſſent locuti; edidiſſent ſigna; pro Euangelij aſſertione mortis diuerſa genera conſtanter pertuliſ-ſent; niſi inuocata ab his Spiritus fortitudo ſolidaſ-ſet?

8. M I N. Hæc omnia vt ipſum verbum Dei & vera & certa ſunt. Tantùm his aliquot veterum Patrum ad-ijcias teſtimonia D O C T. Patres qui ad octauum To-letanum concilium olim conuenerunt, his ad Spiritũ
Cap. 2. ſanctum verbis ſupplicauerunt: Adſpira ſancte Spiri-tus, & duc nos in portum voluntatis tuæ, ſedatis fluc-tibus ignorantię noſtræ. Adſpira rurſus ſancte Spiritus, & dato nobis noſſe quod iubeas, ac poſſe implere qđ iuſſeris: vt perluſtrando illumines quod neſcimus, & adiuuando perficias quod implere pauemus.

Ante hos Theodoretus ſcripſerat: Nihil dicimus
9. eſſe Deum ex rebus quæ oculis ſubijciuntur. Honora-
L. de Princi-pijs. mus quidem & plurimi facimus homines virtutibus & pijs operibus illuſtres: ſed adoramus vnum & ſolũ Deum Patrem huius vniuerſi, cum Verbo ſuo, & Spi-ritu ſancto Eundem verò, & Filium vnigenitum, & Verbum, & lucem, & veritatem, vitamque vocamus. Sanctum item Spiritum Dominum dicimus & viuifi-cantem.

10. Auguſtinus huiuſmodi ad eundem fundit preces.

O Diui-

O Diuini amor numinis, Patris omnipotentis prolisque beatissimæ sanctæ Communicatio, omnipotens paraclete Spiritus, mœrentium consolator clementissime, iam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, & tenebrosa afflicti Spiritus mei latibula coruisci luminis tui fulgore habitator lætifica, tuique roris abundantia longo ariditatis marcentia squalore visitando fœcunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris iaculo, & torpentis medullas iecoris flammis salutaribus penetrando succende: sanctique feruoris igne illustrando intima mentis & corporis vniuersa depasce. *Pota me torrente voluptatis tuæ*, vt nihil iam mundanorum degustare libeat venenatæ dulcedinis. *Iudica me Domine, & discerne causam meam de gente non sancta. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu, &c.* *Lib. Medit. cap. 9.* *Psal. 42.* *Psal. 142.*

11. Ambrosius hæc de Spiritu sancto verba facit. Cùm Deus cuiquam suum donat Spiritum, opus diuinum est, nō humanum. Non est enim hominis donum, sed à sacerdote inuocatus datur à Deo, per quem absoluitur officium ac munus quod à sacerdote offertur Deo. *Li. 1. de Spirit. sanct. cap. 7.*

12. Cyprianus postquam plurima diuinaque illius recensuit effecta, tandem ita concludit. Hic discordes sanctificat, & vinculo dilectionis astringit & ligat. Hic nos cælos inuehit, & à mundi huius vanitatibus auulsos regni constituit hæredes, &c. MIN. Tam pia sanctaque Veterum emissa ad Spiritum sanctum vota audire nunquam grauarer: cùm hinc colligam meritò Ecclesiam Catholicam in suis Litanijs suppliciter ad eum ita confugere, *Spiritus sancte Deus, miserere nobis*: sed quia quæ supersunt adhuc multa audire percupio, his iam finem imponamus, & aliam disputationem auspicemur. *Serm. de Spirit. sancto.*

## SPIRITVM SANCTVM INFINITA eademque absoluta potentia in rebus agendis, & simplici præscientia rerum futurarum mirabili præditum esse: aduersus decimam & vndecimam hæresim.

### DOCTOR.

BAbyloniæ turris, id est, sectæ vestræ authores ac opifices in tantum improbitatis cœnum prolapsi sunt, vt negent Spiritum sanctum tum absoluta in rebus efficiendis potentia, tum in rebus futuris cognoscendis simplici præscientia munitum atque præditum esse. MIN. Non possum non obstupescere ex quibus lacunis tot eorum fœces haurias. Vix enim mihi persuasero, illos tam impia ac nefaria de diuino Spiritu vnquam vel per somnium cogitasse. DOCT. Meum est igitur hoc de illis nunc probare. Dic autem quæso te, cùm de Deo in vniuersum, id est, nulla singulariter designata Trinitatis persona, habetur sermo, nonne Spiritus sanctus æquè illo Dei nomine comprehenditur, atque Pater & Filius? MIN. Certissimum ac verissimum est. DOCT. At vester Caluinus de Deo generaliter scribit: *Delirium de potestate Dei absoluta, à Scholasticis introductum, execrandam esse blasphemiam.* Et alibi rursum: *Detestor doctrinam istam, in qua sibi tantopere placet Papistici Theologi, fingentes in Deo quandam potestatem absolutam.* MIN. Tam aperta est ista probatio tua, vt nihil prorsus habeam, quod pro excusatione aut purgatione Caluini respondeam. Quo autem pacto Spiritum sanctum neget præscium rerum futurarum, vt efficere possis anxiùs expecto. DOCT. Primò magna ille impudentia nugatores illos vocat qui hoc statuunt, scribens: *Nimis insciter nugantur multi de nuda Dei præscientia.* Postea, semel & iterum cum probris reijcit nomina permissionis & simplicis Præscientiæ: ac postremò de throno suo

*Supra pag. 89. & c. 151.*

*In cap. 23. Ezechielis.*

*Lib. de æter. prædest.*

*Instit. lib. 1. cap. 16. §. 4.*

Gene-

Geneuano spretis scriptoribus Ecclesiasticis, & vnico profano ac nouissimo authore Valla eis prælato, velut de sacra quadam tripode pronunciat: *Frustra de Præscientia his mouetur, vbi constat ordinatione potius & nutu omnia euenire.* Alibi quoque eam appellat, *subtilitatem, quæ non potest cum Scripturæ dicendi formis conuenire.* Lib. 3. ca. 23. §. 6.

MIN. Diffiteri iam non possum in hos errores Caluinum lapsum esse. Hos autem tecum improbare & damnare paratus, primùm aio eum turpiter secum dissidere. Nam vt attigi superius, in Catechismo iubet nos profiteri, *Deum esse omnipotentem.* Deinde, eos pro improbis habendos esse docet, qui non credunt Deum plura posse facere, quàm quæ naturæ viribus sunt possibilia. Postremò, non inuitus fatetur, illum posse conuertere lucem in tenebras, & tenebras in lucem. Hæc verò non sunt potestatis eius ordinatæ ac communis: igitur est in Spiritu sancto atque in Patre & Filio potestas omnibus numeris ac legibus soluta. Confutatio 1.

Allata sunt quoque verba Vireti ministri, quibus ex apertis & certis Scripturæ testimonijs concludit Deo nihil esse impossibile, etiam eorum quæ iudicio humano maximè videntur esse impossibilia: atque ideo illos Deum negare esse omnipotentem cæli & terræ creatorem atque rectorem, qui eum secundarum causarum ordini subditum vel alligatum esse contendunt: aut quibusdam limitibus volunt absolutam maximamque virtutem illius coercitam & finitam esse. Denique hunc errorem iudicat profectum esse ex schola Stoicorum, & non inferiorem impietate Epicureorum, qui & si verbis Deum fatentur, effectus tamen prouidentiæ ac omnipotentiæ ab eo tollentes eundem reipsa negabant. 2. *Supra pag.* 97. & 98.

DOCT. His adde, Creationem cunctarum rerum ex nihilo, quæ absoluræ potestatis certissimum est argumentum, non minus Spiritui sancto, quàm Patri & Filio tribui, cùm dicitur, *Spiritus Domini ferebatur super aquas: Spiritus Domini ornauit cælos: Emitte Spiritum* 3. *Genes. 1. Iob. 26. Psal. 103.*

*tuum, & creabuntur.* His enim Prophetarum teſtimonijs Athanaſius, Baſilius, Ambroſius, Auguſtinus, & Fulgentius diuinam Spiritus ſancti maieſtatem & inexhauſtam potentiam aduerſus priſcos illius hoſtes Arrianos, Eunomianos, & Macedonianos conſtantiſſimè propugnauerunt: quæ nunc aduerſus Caluinianos repetita ſatis euincunt eundem Spiritum ſanctum abſoluta infinitaque quicquid volet agendi virtute prædituꝫ eſſe.

4. An non etiam ampliſſima ac euidentiſſima eiuſdem abſolutæ poteſtatis ſuę teſtimonia edidit, cùm ex paſtoribus ouium, agricolis, & idiotis bubulcis ſapientiſſimos ſtatim effecit prophetas, diuinique populi paſtores & doctores? Cùm etiam ſuperueniens in Virginem, effecit vt ſine vlla viri vulgata copula verè in vtero conciperet, illæſaque integritate, Deum reipſa nobis pareret & hominem? *Spiritus ſanctus,* inquit Gabriel Angelus ad Mariam, *ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, &c.* Et rurſum ad Ioſeph: *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Quis hic curſus naturæ? Aut quæ poteſtatis ordinariæ, & cauſis ſecundis alligatæ ratio conſpici poteſt? Quis vnquam audiuit ſimile?

*Luc. 1.*

*Matth. 2.*

5. De eiuſdem ſtupendis ac omnem humanæ rationis captum exſuperantibus effectis, ita ante mille & trecentos annos concionatus eſt Cyrillus Ieroſolymitanus. In virtute Spiritus ſancti ſtans Petrus cum vndecim, reti verborum animas circiter trium millium cepit. Talis & in alijs ſimul Apoſtolis gratia abundabat, vt etiam ex Iudæis ipſis qui Chriſtum crucifixerant, tot crediderint; & in nomine Chriſti baptizati ſint, & perſeuerauerunt in doctrina Apoſtolorum. In eadem quoque virtute, Petrus & Ioannes ingredientes templum, claudũ ab vtero matris, in nomine Chriſti curarunt. Spiritalis doctrinæ ſagena quinque millia credentium ſimul ceperunt. Principes autem populi & ſacerdotum errantes redarguerunt: non per propriam ſapientiam: ſed per Spiritus efficaciam, &c. Hæc ille de immenſa prorſusq; inexhauſta Spiritus ſancti per Apoſtolos orbi manifeſtata poteſtate.

*Catech. 16.*

*Act. 3. 4. 5.*

An

An etiam ordinariæ potestati tribui poterunt tot miracula & stupenda prodigia, quę idem Spiritus sanctus in Apostolis, & per Apostolos toto orbe quondam operatus est; quādo ex rusticis ac ignaris piscium piscatoribus, peritissimos statim effecit piscatores hominum? Quando solius maternæ ac Syriacæ linguæ gnaros, docuit varijs linguis loqui magnalia Dei? *Loquebantur varijs linguis*, ait Lucas, *prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* MIN. Tam manifesta sunt hæc absolutæ Spiritus sancti potestatis argumenta, vt potiora non requiram: tantùm de simplici illius rerum futurarum Præscientia quædam adijce, & vela contrahemus. 6. Actor. 2.

DOCT. Ecquis inficias ire potest, Spiritum sanctum non modò cunctarum rerum futuratum præscium esse, sed & omnia ab æterno habere sibi præsentia, si eum vt decet, verum ac omnipotentem Deum esse crediderit? Num de Deo scriptum est, *Nouit omnia antequam fiant? Omnia nuda & aperta sunt oculis eius? Tu solus nosti corda omnium?* 7. Dan. 13. Heb. 4. 3. Reg. 8.

MIN. Iam etiam recordor me superioribus colloquijs euicisse Caluinum fateri, *Deum ab æterno præscijsse lapsum primi hominis, ac totius per eum posteritatis illius.* Atqui Spiritus sanctus Deus est: hunc igitur simpliciter præsciuit; non etiam operatus est. Quis enim nisi demens planè ac furiosus diceret Spiritum sanctum in Adamo superbum, ingratum, contumacem, ambitiosum, verbo Dei infidelem, aut eiusdem contemptorem extitisse? Ad Satanæ mendacia, potius quàm ad Dei veritatem animum adiecisse? Igitur cùm nec horum scelerum, nec quorumcunque aliorum, Spiritus sanctus nec autor fuerit nec particeps; illa futura esse tantùm præsciuit ac permisit. 8. Genes. 2. 3.

DOCT. Identidem de superba cacodæmonum in Deum rebellione, ac miserabili apostasia, cunctisque deinceps illorum fraudibus, dolis, vniuersaque malitia, quis iure dixerit: quæ Spiritui sancto nunquam fuerunt ignota. Quinetiam Caini fratricidium, Gigantum superbiam, totiusque mundi ante diluuium corruptionem, Sodomæorum præposteram venerem, 9. Luc. 10. Apoc. 12. 13. 20. Gen. 4. 7. 18. 19. &c.

incestum filiarum Lot, fratrum Ioseph æmulationem, Pharaonis infanticidia, Hebraici populi in Deum obmurmurationes & frequentes idololatrias, ac vniuersi orbis in finem vsque plurima grauissimaque scelera, idem diuinus Spiritus nunquam non præsciit: absit verò admisisse dicatur. Est itaque pro certo in eo rerum futurarum præsertim malarum, simplex quædam præscientia. MIN. Mihi satis superque sufficiunt iam illatæ confutationes: quapropter de alio capite iam differamus.

## *SPIRITVM SANCTVM NEC AVthorem peccatorum: nec alicui reprehensioni obnoxium esse, quicquid aut in cælis aut in terris agitet: aduersus 12. & 13. Caluinianorum hæresim.*

### DOCTOR.

SVperbius adhuc incedunt, ac insolentius aduersus SPIRITVS SANCTI summam bonitatem & innocentiam insurgunt isti Gigantes, *quando omnium prorsus peccatorum authorem eum cõfingunt; tum etiam reprehensione non esse exceptum comminiscuntur, quicquid egerit eò quòd nulla lege teneatur.*

Confutatio 1. Pag. 121. &c. 170. &c. MIN. Iam recordor te superioribus diebus horum errorum Caluinianos reos effeciisse, allatis Caluini, Bezæ, Melanthonis, atque Buceri haudquaquam obscuris sententijs: quibus eas in Deum blasphemias non solùm euomunt, sed & postea secum turpissimè pugnantes atque dissidentes easdem velut Epicureos planè atheismos coarguunt & damnant. Hos namque & naturæ communis sensus abhorret; & poëtæ, Philosophique Ethnici execrantur, & diuinæ Scripturæ reprobant, & vniuersi Patres detestantur: soli Caluiniani laudant atque vocibus scriptisque prædicant.

2. Euicimus porrò huiusmodi errorum autores ac patro-

patronos, ſummam Dei noſtri bonitatem cum abominanda Satanæ malitia flagitioſiſſimè permiſcere atque confundere: ideoque mihi hoc loco ſolum adijciendum videtur, quod aut parum aut nihil diſcriminis inter Spiritum Dei ſanctum, & ſpiritum impurum ac immundum conſtituant, quando illum æquè ac iſtum totius mundi ſcelerum autorem ac impulſorem prædicare non verentur. Dicitur etenim Satanas *tentator*, eò quòd ad omne mali genus homines ſollicitet: dicitur & *ſpiritus malus ac peſſimus*, eò quòd omnis mali caput ſit & princeps: item, *ſpiritus immundus*, propterea quod ad immundas turpeſque cogitationes homines fœminaſque alliciat, &c. Itaque ſi Spiritus ſanctus iuxta Caluinianam Theologiam, omnia mundi ſcelera non modò præſciat, *ſed & velit, decernat, ordinet, ad eademque committenda prædeſtinet, ſollicitet, ac impellat; quinetiam illorum in peccatoribus author ſit, hæc opera ſua eſſe pronunciet, Satan verò aut quiuis peccator tantùm miniſter ſit*, parum certè ab impuriſſimo cacodæmone ac principe tenebrarum: quod dictu aut cogitatu ſupra quàm ſcribi poteſt nefarium, horrendum, & abominabile eſt. Atque hæc mea de his erroribus ſententia. *Matth.4. Luc.4.8. & 9. Inſtit. li.1.c. 18.§.1.et 2.*

DOC. Tantum certè abeſt vt SPIRITVS SANCTVS corda vel animas noſtras ad peccandum ſolicitet vel vllo pacto impellat; vt è contrario nec per antonomaſiam SANCTVS eſſet, nec in verbo Dei appellaretur, ſi id efficeret. Quin è diuerſo hominũ animos ad credendum & ſperandum, Deum & proximũ ſincera charitate diligendum potenter inclinat, allicit, inflammat. Rurſus ad eius timorem, obeditionem, reuerentiam, & inuocationem cum gemitibus inenarrabilibus perpetuandã prouocat: vt ab omni ſuperbia, ambitu, carnis & mundi immũdis affectibus ac illecebris abſtineamus inuitat: quæ omnia peccatis quàm maximè aduersãtur. *Cùm venerit Paraclitus*, aiebat Chriſtus, *docebit vos omnem veritatem, docebit omnia & ſuggeret omnia quæcunque dixero vobis. Arguet mundum de peccato, de iuſtitia & de iudicio.* MIN. Manifeſtum eſt ergo, quod nec peccatum velit, nec ad peccandum impellit, tau- *Rom.8. Gal.4. Ioan.14. & 15.*

tum abest vt peccatorum quoruncunque author haberi debeat.

4. DOC. Immò eidem Spiritui sancto tribuitur remissionis omnium peccatorũ nostrorum efficientia, atq; gratiæ diuinæ in corda nostra benigna infusio, cùm à Christo dicitur Apostolis, *Accipite SPIRITVM SANCTVM, quorum remiseritis peccata, remissa erunt: & quorũ retinueritis retenta erunt.* Hinc quoque in Prophetis significatur *per aquam mundam qua emundamur ab omnibus inquinamentis nostris*: & in Euangelio *per aquam viuam, fontemque aquæ salientis in vitam æternam*, quòd non solùm credentes ac pœnitentes à peccatis abstergat & purget; sed & eos donis spiritalibus adeò instruat, vt ad vitam cælestem continuò aspirent demumque feliciter perueniant. Quomodo igitur impurorum hominum turpissima scelera, fœdissimaque desideria, iuxta Caluinianorum sententiam, *opera sua esse pronunciaret*? quomodo nefariorum flagitiorum aut in nobis aut etiam in diabolis *autor haberetur, Satan verò tantùm minister*?

Ioan. 20. Ezech. 36. Ioan. 4. et 7.

5. Audi è contrario Apostolum de Spiritus sancti effectis ac fructibus clare differentem, ac istorum tetras blasphemias damnantem. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Et alibi. *Implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes in cœtibus vestris Domino, & gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri.* Et adhuc ampliori enumeratione eiusdem Diuini Spiritus in nobis explicans munera scribit: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* MINIS. Certè omni luce clarius est Spiritum sanctum omnino sibijpsi aduersum & contrarium esse, si ex opposito ad prauas cupiditates, ad errores, ad turpia desideria, ad mutua odia, ad impatientiam, ad malitiam, ad immanitatem, ad perfidiam, ad intemperantiam, aliaque vniuersa flagitia vel sollicitaret vel impelleret, qua-

Rom. 5. Rom. 14. Ephes. 5. Gal. 5.

lis est

lis est impijssima Caluini sententia.

DOCT. Ecquid de tertiodecimo illius errore iudicas? MIN. Scio Caluinum libro de æterna prædestinatione Gallico, pagina 239. disertè scribere: *Ie ne reçoi point ce mensonge & reuerie, que Dieu soit sans reprehension, quoi qu'il face, par ce qu'il n'est obligé à aucune loy.* Quod Latinis verbis expressum sonat. *Non recipio istud mendacium & somnium, quod Deus sit sine reprehensione, quicquid agat; propterea quòd nulli subijciatur legi.* Sicque velit Deum, ac proinde Spiritum sanctum, qui verus Deus est, in aliquam posse quandoque reprehensionem incurrere. DOCT. Cuius te quæso, nisi Caluiniani consistorij, cuius auspicijs secretum istud nunc primùm toti mundo innotuit? Erigant igitur huius sectæ Ministri, seniores, superuigiles, diaconi, & satellites super astra solium suum, in cælum conscendant, sedeant in monte testamenti, superent altitudinem nubium, & similes immò & superiores euadant Altissimo; vt in cuncta SPIRITVS SANCTI opera diligentius inquirentes, in quibus reprehensione dignus sit audacter nobis pronuncient: vt sint filij patris sui, qui idcirco apud inferos præcipitatus est illic perpetuò cruciandus, quòd his similia aliquando tentauerit. 6. *Supra, pag. 121. 122. & c.* *Isaiæ 14.* *Luc. 10.*

Si posset aliqua in re subiectus esse reprehensioni, quo iure in sacris literis tam grauiter frequenterque diceretur, *Spiritus veritatis, Spiritus sanctificationis, Spiritus adoptionis, sobrietatis, dilectionis, vnctionis, gratiæ, charitatis, digitus Dei, donum Dei, denique Spiritus Patris atque Filij?* Aut quomodo peccatum blasphemantium in eum, non remitteretur vel in præsenti sæculo vel in futuro? 7. *Ioan. 14. 15. & 16. Rom. 8. Galat. 4. 1. Thess. 2. 2. Cor. 13. 2. Thess. 2.*

Profectò si posset aliquando aberrare à iusto & æquo, vel ab aliquo iure coargui; nec Deus esset, *qui fidelis est in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis:* nec sanctissimus Propheta tam anxiè postulasset, *Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Spiritu principali confirma me. Spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam:* nec denique in eius numine ac nomine æqualiter, ac in nomine 8. *1. Tim. 1. 1. Ioan. 2. Matth. 12. Psal. 144. Psalm 50. Psalm. 142. Matth. 28.*

Patris & Filij sanctissimis Baptismi laticibus regeneraremur. MINISTER. Iam hæc sufficiant ad tam apertæ impietatis refutationem: de alia rogo inquiramus.

## AEQVE NOBIS PROPOSITVM esse SPIRITVM SANCTVM ac Patrem & Filium, vt ad eum fidem nostram dirigamus: contra 14. errorem.

DOCTOR.

AVdentiores effecti hi filij Enach, institutamque persequentes πνευματομαχίαν, non reformidauerunt in suis prædicare conuenticulis, deinde per totam Europam suis dispergere chartulis, *SPIRITVM SANCTVM non esse nobis propositum, vt in eum fidem nostram dirigamus: sed solum Christum.* MIN. Ex quibus illorum codicibus istud euinces? DOCT. Ex his Caluini vestri Commentar. in primum caput epist. ad Rom. verbis: *Cùm ipse (Christus) viua sit & expressa imago Patris, non mirum est, eum solum nobis proponi, ad quem se tota fides nostra applicet, & in quo consistat.* Etenim dictiones exclusiuæ vel vni, vel duabus personis diuinis applicatæ, cæteras omnes excludunt: veluti cùm dicitur, Solus Pater gignit Filium, Pater & Filius tantùm producunt Spiritum sanctum; Filius & Spiritus sanctus eximuntur à generatione actiua; & Spiritui sancto satis apertè detrahitur actiua spiratio. Et in actibus circa res creatas, quando enunciatur, Filius solùm est incarnatus, crucifixus, mortuus, & sepultus; omninò adfirmatur nec Patrem nec Spiritum sanctum incarnatum, crucifixum, mortuum, sepultumque fuisse. Igitur quando Caluinus adiecta Christo excludente particula, inquit, *eum solum nobis proponi ad quem se tota fides nostra applicet, & in quo consistat*, SPIRITVS SANCTI diuinam personam manifestissimè vt & impijssimè ab eadem re proposita excludit.

*Vers. 3.*

MIN. Contra diuinam sempiternamque SPIRI-

RI-

RITVS ſancti maieſtatem improbiora nunquam audiui verba. Si autem fides Chriſtiana ad Spiritum ſanctum æquè ac in Patrem & Filium non eſſet referenda & collocanda, quorſum in Symbolo repoſuiſſent Apoſtoli, *Credo in Spiritum ſanctum*, ſicut *Credo in Deum Patrem omnipotentem: & in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum?* Eſſet enim Chriſto facta iniuria, ſi ad eum ſolum fides eſſet dirigenda, quam etiam ad Patrem & Spiritum diſtinctas ab illo perſonas applicamus, & in quibus conſiſtit. In tetrum errorem profectò vniuerſum mundum coniecissent, docentes non in ſolum Chriſtum credendum eſſe, ſed etiam in Spiritum ſanctum. Confutatio 1.

Symbola quoque Athanaſij, Concilij Niceni & Conſtantinopolitani ab vniuerſo Chriſtianorum orbe tanta fide ſuſcepta, tam ſedulò ſeruata, totque ſæculis probata, pernicioſis mendacijs ac impoſturis ſcaterent, quando eundem fidei noſtræ articulum fuſius explicant atque confirmant his verbis: *Et in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem. Qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur. Qui locutus eſt per Prophetas.* Athanaſius verò ait, *Hæc eſt fides Catholica vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur.* Quomodo verò fides Catholica ad ſanctiſſimam Trinitatem dirigeretur, & in eadem tota conquieſceret, ſi ſoli Filio, non autem & Spiritui ſancto penitus niteretur? 2

DOCT. His adde Baptiſmi noſtri formam à Chriſto Filio Dei inſtitutam & traditam ſatis comprobare nobis æquè conſtanter credendũ eſſe in Spiritum ſanctum atq; in Patrem & Filium, ſiquidem regenerari, ac in numerum electorũ referri velimus, quando horum trium æquali gratia, bonitate, & miſericordia abluimur atque ſanctificamur. *Euntes*, inquit Chriſtus, *Baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Ergo cùm Spiritus ſanctus noſter ſit viuificator, & ſanctificator, manifeſtũ eſt quod natura ſit verus & æternus Deus: ideoq; ſicut credendum eſt in Deum Patrem & Filium, ita etiam credendum ac ſperandum eſt in Spiritum ſanctum. 3 Matth. 28.

Ecquis

Ecquis etiam in eum non totam fidem applicet, ac in eodem ſecurus tutuſque non conquieſcat, cùm natura ſit Deus æternus, verus, omnipotens, ac eſſentia ſapientia & bonitate vnus cum Patre & Filio? Petrus enim ad Saphiram dicens, *Cur Satanas tentauit cor tuum mentiri Spiritui ſancto? Non enim mentitus es hominibus, ſed Deo.* Quis verò non hominum duntaxat dico, ſed & cacodæmonum, apertè auderet dicere, Non eſſe credendum in Deum, cùm etiam ipſi dæmones in eum credant & contremiſcant? Quid igitur de Caluiniſmo iudicandum arbitraris, in quo traditur, non credendum in Spiritum ſanctum, *ſed ſolum Chriſtum nobis propoſitum eſſe ad quem ſe fides noſtra applicet, ac in eodem conſiſtat?*

Act. 5.

Iacob. 2.

5. MIN. Horret animus tales blaſphemias, doletque vehementer huic perditiſſimę ſectæ aliquando adhæſiſſe, quæ Scripturas tam impudenter corrumpit, religionem extinguit, diuinumque timorem & amorem è cordibus hominum ſtirpitus euellit. Nam ſi in ſolum Chriſtum fides ſit dirigēda & collocanda, quemadmodum Caluinus autumat, non autem & in Spiritum ſanctum; ſolus CHRISTVS eſſet Deus, ſolus creator & dominator omnium, ſolus omnipotens, ſolus ſaluator, ſoluſque glorificator hominum & Angelorum: Spiritus autem ſanctus nihil eorum omnino eſſet. Mirorque vehementer, ſi non iam aliqui his peſtiferis ſuaſionibus afflati, inſurrexerint, qui cum Sadducęis, Iudęis, Maometanis, ac Ethnicis Spiritum ſanctum eſſe penitus negauerint. Si quid eius impietatis noſti ac obſeruaſti ne reticeas quæſo, vt & ipſe ab illis diligenter caueam, & alios vt caueant pro Chriſtiana charitate admoneam.

SPIRI-

*SPIRITVM SANCTVM VERE ac propriè diuinam esse personam; à Patre & Filio realiter quidem distinctam; sed essentia, potentia, sapientia, bonitate, &c. cum his prorsus eandem: aduersus 15. 16. & 17. hæresim.*

## DOCTOR.

EX superioribus Caluinianorum hæresibus tantus ac talis sequutus est SPIRITVS SANCTI personæ ac maiestatis diuinæ inter huius seculi Sectarios contemptus, vt horum nonnulli, (cuiusmodi fuit Seruetus, cum suis) palam scripserint, *Inter Verbum aut Filium Dei, & Spiritum sanctum nullam esse distinctionem realem*: sic cum damnato Sabellio duas istas personas confundētes, vt neutra earum verè esset persona diuina, à Patre distincta. Hoc enim Caluinus eidem Seruetо impingit, Libro suo de Actibus eius, pagina centesima. Atque iste sit error numero quintus decimus.

Decimus sextus in eo consistit, quod idem Seruetus eiusdem Spiritus sancti æternam diuinamque negans hypostasim, illius nomine *ventum quendam volatilem* tantùm in sacris Scripturis significari contendebat. Hoc enim de eo refert idem Caluinus, nec suo more coarguit aut damnat, eodem libro Gallico de Actis Seruеti, pagina 352.

Decimum septimum errorem primùm Genеuæ disseminauerunt illi quos idem Caluinus appellat *Animos rabie correptos*; in concionibus palam asserentes, *vocabulum SPIRITVS SANCTI in Scripturis nihil essentiale significare: sed quædam solùm diuinæ liberalitatis dona, & potestatis mirabiles operationes vel effectus*: quos nec idem Caluinus confutauit, nec Genеuensis magistratus, vt decebat, coërcuit. *Com. in cap. 12. prioris ad Corint.*

MINIST. Sed quid hæc ad Caluinianos, vt eos cum hostibus Spiritus sancti nunc inuoluere ac infamare

mare debeas? DOCT. Primùm, quòd hæc monstra inter eos nata, ex horum erroribus concreta, adulta, diuquè publicis concionibus has blasphemias inter illos rudi & ad omnem hæresim admittendam propenso populo suadere permissas; nec (vt dicere incipiebam) à Caluino acriter reprehensa, nec à Geneuano aut Bernensi senatu pro meritis castigata fuerint. Deinde, quòd Farellus Caluini antecessor, plurimumque ab eodem & Beza commendatus, & vt charissimus collega dilectus atque probatus, in Summa scripturæ Gallica, palam cum Macedonio sentiens definit, *Spiritum sanctum esse Motum in rebus creatum*: quod est eius æternam diuinamque personam penitus negare & abolere. Prætera, quia idem Caluinus Spiritui sancto, (quemadmodum superius attigimus) *tertium tantummodo causæ, imperij, & honoris gradum, relinquit: & Dei & Creatoris nomen, ad solum Patrem per excellentiam pertinere affirmans*, illud Spiritui sancto detrahit; & eundem personaliter *adorandum atque magna fide inuocandum esse negans*, illius se infestissimum hostem plane ostendit: & quòd denique in publicis Lausanensi & Bernensi Synodis, tria religionis Christianæ symbola, quibus in Spiritum sanctum fides continetur & explicatur, palam irridens atque blasphemans, *illis nec credendum nec diffidendum esse, donec ad Gnomin scripturarum* (sic enim græcissabat) *examinata fuissent, contestatus sit.*

*Supra, pag. 82. &c.*

*Refutat. blasph. Farelliſt.*

Atque hinc factum est, vt Petrus Carolus inter hos aliquando non infimæ notæ Prædicans, quique intima sectæ penetrauerat & nouerat, eosdem de superioribus erroribus valde suspectos habens, scripserit: Si Macedonium execramini, Spiritum sanctum non solum esse Deum illum qui Pater ac Filius est; nec Motum aut agitationem quandam nostris supernè cordibus infusam: sed personam à Patre Filioque simul distinctè procedentem celebrate, &c. Quisquis enim has quatuor accusationum mearum partes pro rei dignitate expenderit, quantosque in impietatibus quotidie cumulandis & augendis progressus Caluiniana secta faciat diligenter & prudenter animaduerterit; haudquaquam dubitabit huius professores & propugna-

natores inter hostes SPIRITVS sancti iure connumerandos esse, vt eadem opera cum illis expugnari debeant.

MIN. Iam agnosco postremam Satanæ in Caluinianis fraudem atque versutiam: quando per hos aliquanta iacit summæ in Spiritum sanctum perfidiæ semina, vt tandem copiosissimam zizaniorum messem colligat. Perspicio huic venenato colubro & callidissimo serpenti hæreseôn initijs paruo foramine tantùm opus esse, quo caput immittat, hinc facilè totũ corpus introducturo. Nouit, nouit certè ex latentib. inter cineres igniculis tãtum incendium excitare, vt omnia longè lateque incendat, vastet, populetur, & consumat. Conqueruntur enim grauissimè Volanus, Illyricus, VVigandus, Faber, Iudex, ac Hypperius superioris Germaniæ ministri Lutherani, istas aduersus Spiritum sanctum Geneuæ, Bernæ, Lausanæ, & inter Sabaudiæ excelsa montium iuga clanculum initiò disseminatas hæreses, etiam ad suos & alios exteros vsque penetrasse: quando Georgius Blandrata Transyluanus disputatione publica inter Lutheranos, Caluinianos, & nouos Arrianos, abhinc paucis annis Albæ habita, tum voce inclamauit, cùm postea scripto euulgauit: *Quæstio est, vtrum Verbum & Spiritus sint personæ? Nos dicimus non esse personas, aut individua, aut aliud sophisticum: sed esse Altissimi Dei Patris virtutes: quibus & olim & nunc quoque in noui mundi creatione vtitur.* DOCT. Hanc blasphemiam hausit planè ex lacubus Caluini, scribentis, *Personas diuinas esse proprietates in Deo consideratas:* & Spiritum sanctum duntaxat *virtutem esse Dei essentialem,* vt superius dictum fuit pagina quingentesima nonagesima quinta. Confutatio 1. Pag. 73. 74. &c. 2.

MIN. Sine me adhuc de istius pestilentiæ cathedræ Magistris, & Caluinianæ scholæ discipulis differentem. Blandrata in erroribus socium & commilitonem habuit Franciscum Dauid Claudiopolitanum ministrum, qui has disputationes typis excusas per Transyluaniam, Hungariam, Poloniã, & Germaniam quantum potuit euulgauit. Illis portentosis significeris continuò nomina sua dederunt Ioannes Sonierus, Mat-

Matthias Polonus, Budneus Transyluanus, & alij permulti Superintendentes ac ministri, qui distento gutture, ac ore in cælum aperto, non minus impiè sanctissimi SPIRITVS diuinam personam ac maiestatem blasphemant & palam nunc traducunt, quàm Simon Magus, Valentinus, Montanus, Sabellius, Arrius, Macedonius, aut alij veteres hæretici olim effecerint. Dum verò de tam tetris erroribus coarguuntur, in ore ac oculis omnium gloriantes iactant se se nihil adferre ac proponere, quod non ex Caluinianorum scriptis hauserint atque didicerint. Atque hi Caluinianæ arboris fructus, & vineæ vuæ fellis, ac botri amarissimi: quorum attenta consideratio valentissimæ confutationis locum vimque maximam apud cordatos viros obtinere mihi videtur.

3. DOCT. Verum id quidem: sed si Caluinum proprijs iudicijs ac sententijs, vt consueuisti, conuincere; & diuini SPIRITVS æternam maiestatem ac personam vindicare possis, id iucundum & commodum erit. MIN. Id mihi in promptu est. Nam commentarijs suis in illud Pauli: *An nescitis quod templum Dei estis; & Spiritus Dei habitat in vobis?* ipsa rei euidentia conuictus scribit: *In hoc loco habemus clarum testimonium ad asserendam Spiritus sancti Diuinitatem. Neque enim si creatura esset, aut donum tantùm, efficeret in nobis habitando, vt templa Dei essemus.*

1. Cor. 3. vers. 16.

4. Et licet ille plurimos scripturæ locos, quibus veteres aduersus Arrianos & Macedonianos Spiritus sancti diuinitatem adseruerunt, incredibili peruersitate deprauet, & in fauorem antiquorum hæreticorum interpretetur; non potest tamen dissimulare quin per istum: *Hæc autem efficit vnus & idem Spiritus, distribuens vnicuique prout vult*, æterna illius hypostasis ac Diuinitas significetur. *Iam dum Spiritui voluntas tribuitur*, inquit, *& quidem cum imperio coniuncta: hinc colligere licet, Spiritum verè & propriè Deum esse.* Et in Institutione eundem locum pertractans ait: *Nisi Spiritus sanctus esset aliquid in Deo subsistens, minimè ei daretur arbitrium & voluntas. Clarissimè ergo Paulus Spiritum insig-*

1. Cor. 12. ver. 11.

Lib. 1. ca. 13. §. 14.

*insignit diuina potentia, & in Deo hypostaticè residere demonstrat.* DOCTOR. Appositè sanè aduersus seipsum & sectatores suos. Cùm enim ex Paulo sequatur Spiritum sanctum esse hypostasim diuinam: non est tantùm quædā proprietas, non est motus in rebus creatis, non est simpliciter donum, non est agitatus seu volatilis ventus, non est sola Dei virtus: sed cum Patre & Filio vnus & verus natura Deus, personaliter tamen & realiter ab vtroque distinctus. Adhæc, cùm verè & propriè Deus sit; personæ autem diuinæ sibi coæternæ sint & coæquales: non relegandus est Spiritus sanctus in tertium honoris & imperij diuini gradum: sed eodem prorsus cum Patre & Filio simul adorandus, & conglorificandus ab omnibus in secula seculorum.

MIN. Si tria hæc Caluini pro Spiritu sancto testimonia satis sunt, tu nunc age ex apertis certisque Scripturis. DOCT. Quando illi Moyses, Iob, & Dauid stupendum Creationis cunctarum rerum opus ac mysterium tribuunt, in eundem certè cum Patre & Filio omnipotentiæ, sapientiæ, & imperij gradum illum constitutum esse & credunt, & alios docent. *Spiritus Domini*, inquit ille, *ferebatur super aquas*, id est, ex confusa mole ac ipso chao, non modò huius mundi ornatū, sed & omnium specierum formam, naturam, existentiamque disponebat: quod planè diuinæ ac infinitæ virtutis fuit. Iste verò scribens, *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*, ostēdit non minus Spiritus sancti opus esse mundum, quàm Filij. 5. *Gen. 1.* *Iob 33.* *Psal 32.*

Deinde, diuino planè consilio ac opere veteribus Prophetis illucescens, cælestia secreta eisdem reuelauit, & futura tum populi Hebraici cōmoda & incommoda, venturique Messiæ cuncta mysteria tali certitudine ac serie patefecit, vt æterna infinitaque rerum sapientia, veritate atque virtute præditum se manifestauerit. Quis enim Moysi post tot secula Creationis mundi seriem, Isaiæ Virginem Deum & hominem parituram, aut Dauidi manus & pedes Messiæ fodiendos, cæterisque alia mundo abstrusa & ignota manifestasset, nisi verus Deus? *Accedāt & nuntient nobis quæcunque* 6. *Gen. 1.* *Isa 7.* *Psal. 21.* *Isa. 41.*

cunque ventura sunt, inquit Isaias, *priora quæ fuerint nuntiate, & ponemus cor nostrum. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos.* Hinc acutè & breuiter Tertullianus: Idoneum testimonium Diuinitatis, veritas diuinationis, id est, Prophetiæ.

*Apolog.c.20*

7. Præterea, quis ex abiectis pecuarijs ac exulibus, legislatores sapientissimos, ducesque præstantissimos; ex agasonibus, Reges clarissimos; ex opilionibus, Prophetas & Imperatores; ex agricolis, summos Doctores; ex bubulcis, sacros vates; & ex rudissimis piscatoribus, peritissimos totius mundi antistites diuinosque legatos repente potuit efficere, nisi dextera excelsi; id est Spiritus, planè Deus, qui omnia potest in cælo, in terra, & in omnibus abyssis?

8. Aut quis præter Deum omnipotentem, potest ab hominum pectoribus auferre cor lapideum, & conferre cor carneum, id est, molle & tractabile? Quis dare leges suas in visceribus mortalium, & in cordibus eorum illas scribere, nisi idem digitus Dei viui? Quis peccata remittere; gratiam animis infundere; conscientiam diurnis nocturnisq; furijs diuexatam, tranquillam reddere; & de vasis iræ ac contumeliæ, facere vasa gratiæ & gloriæ; nisi solus & verus Deus? Quis denique præstare potest, vt Virgo sine viri copula, verè concipiat, & illæsa corporis ac mentis integritate pariat Deum simul & hominem; nisi virtus Altissimi? Cùm igitur hæc, & innumera alia miracula SPIRITVI SANCTO in diuinis literis passim adscribantur; ille profectò eiusdem essentiæ, sapientiæ, & virtutis est cum Patre & Filio, tametsi sua proprietate ab vtroque personaliter & ab æterno secretus.

*Ezech.11.36.*
*Ierem.31.*
*Heb.10.*
*1.Cor.6.*
*Rom.9.*
*Matth.2.*
*Luc.1.*

9. Idem superueniens in Apostolos, eosque induens virtute ex alto, cunctis mundi sapientibus effecit sapientiores; oratoribus in cunctis linguis ac idiomatibus facundiores; ac tyrānis immanibus, virtute, animo & constantia superiores. Idem ipse coarguit totum mundum de peccato, de iustitia, & de iudicio: Christum per vniuersum orbem clarificauit; ac eius Ecclesiam Catholicam inuitis inferorum portis, ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem dilatauit, pro-

*Luc.24.*
*Act.12.*
*Ioan.16.*
*Ioan.14.*
*Matth.16.*

propugnauit, docuit, & seruauit. Quis non dicam hominum, vel Angelorum; sed & Cherubinorum aut Seraphinorum hæc præstitisset? Est igitur SPIRITVS SANCTVS cum Patre & Filio verus ac omnipotens Deus ac Dominus.

Nec desunt ad huius fidei nostræ confirmationem veterum Prophetarum testimonia. Isaias namque dicens, *Et nunc Dominus misit me, & Spiritus eius*; summũ in mittendis Prophetis imperiũ Patri & Spiritui sancto commune esse docet. Sicut etiam Ecclesiæ Catholicæ Episcopos, Pastores, & Doctores idoneos præficere; de qua re ait Apostolus: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Ex hoc enim relucet Spiritus sancti æqua eademque cum Patre & Filio diuina maiestas. 10. Isa.48. Act.20.

Eum rursus de quo Isaias ait, *Dicit Dominus exercituum, Vade, dic populo huic, audite audientes, & nolite intelligere, &c.* Paulus in Actis, docet esse Spiritum sanctum, cùm ait, *Bene locutus est Spiritus sanctus per Isaiam dicens, Vade ad populum istum, & dic eis, Aure audietis, & non intelligetis, &c.* Quoties etiam alij Prophetæ ingeminant singulis ferè oraculis atque vaticinijs, *Hæc dicit Dominus: Os Domini locutum est: Factum est ad me verbum Domini*: toties Spiritus sancti Diuinam sapientiam & maiestatem adfirmant & inculcant; docente beato Petro, *Spiritu sancto inspirante locutos esse sanctos Dei homines* Quod & hoc fidei articulo satis corroboratur, quo de eodem Spiritu profitemur, *Qui locutus est per Prophetas.* Est igitur Spiritus non motus in rebus creatis, non ventus volatilis, non tertia quædam rerum causa, non simplex proprietas animo cõcepta in Deo, vt Seruetiani, Farelliste, & Caluiniani impiè iudicãt: sed ille Dominus exercituum, ille Dominus Deus Israel, *qui locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum eius.* 11. Isa.6. Act.27. 2.Pet.1. Luc.1.

Nulli porrò tergiuersationi patet clarissimus ac firmissimus iste Euangelij locus, quo Dominus præcepit, *Baptizare omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Nisi enim Spiritus sanctus esset verè 12. Matth.28.

Deus, veram æternamque ſalutem filijs hominum tribuens, non coniungeretur æquali nomine ac virtute in eadem ſalutis operatione cum Patre & Filio.

*Orat. 5. de Theologia.* Quomodo, inquit Naziãzenus, poſſet nos per Baptiſmum regenerare, & deos quoſdam facere, niſi eſſet ipſe verus Deus? *Namgratiam & gloriam dabit Dominus,* *Pſal.83.* ait Dauid in Pſalmis.

13. Manifeſti quoq; ſunt iſti apud Ioannem loci, quibus Filius Dei Spiritum ſibi & Patri poteſtate ac Deitate coæqualem, perſona verò diſtinctum prædicat, *Ioan 14.* dicens: *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritũ veritatis, quem mundus non poteſt accipere, &c* Et poſtea: *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunq; dixero vobis.* *Ioan.15.* Et rurſum poſtea: *Cùm venerit Paraclitus, quem mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me, &c.* Enimuero cùm dicitur, *alius Paraclitus,* inſuper, *mittendus à Patre in nomine Filij,* deinde etiam *à Patre procedere,* manifeſtè declaratur perſonam æternam eſſe à Patre & Filio ſua proprietate diſtinctam; ſicque Serueti damnatur impietas. Cùm verò dicitur *Spiritus veritatis, doctor omnium, & manſurus in æternum,* diuina planè maieſtas eius ſatis manifeſtatur.

14. Vnde & in Baptiſmo Chriſti, quãdo Pater ſeipſum *Matth.3.* cæleſti voce patefecit; Filius autem carnis mortalis *Luc.3.* aſſumptione; & Spiritus ſanctus per ſpeciem columbę *Mar.1.* ſeipſum quoq; mundo declarauit; ſatis indicauit quod cum Patre & Filio eiuſdem eſſet Diuinitatis & glorię, diſtincta tamen ab his perſona.

15. Nequaquam etiam prætermittendus eſt euidentiſſimus & firmiſſimus iſte diui Petri in Actis Apoſtolorum locus, quo Spiritus ſanctus apertè DEVS nomi- *Act.5.* natur. Ait enim D. Petrus ad Ananiam: *Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri Spiritui ſancto? Non es mentitus hominibus, ſed DEO.* Eſt igitur verus ac æternus Deus vnus cum Patre & Filio: non illius poteſtatis effectus, nec liberalitatis duntaxat beneficium.

16. Accedit, quod & magnus Athanaſius ſcitè ac diligenter

genter obſeruat, quod etiam quæcunque diuina opera & officia in Scripturis tribuuntur Patri ac Filio, eadem quoque adſcribuntur Spiritui ſancto: vt quorum eſt eadem voluntas & poteſtas, eadem quoq; ſit operatio. Primùm enim liberos nos facere, viuificare, ac legem mortalibus præſcribere dicuntur Pater & Filius: de Spiritu quoque ſancto ſcribitur, *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas: Spiritus viuificat: Lex Spiritus vitæ eius, quæ eſt in Chriſto, liberauit nos.* Deinde, Pater frequẽter appellatur Dominus Deus, & Filius Dominus Deus: ſic quoq; non rarò nominatur Spiritus ſanctus ab Apoſtolo ſcribente, *Quum conuerſus fuerit ad Dominũ, detrahetur velum, Dominus autem Spiritus eſt.* Ac rurſum Spiritum ipſum Dominum appellari liquidò in libro Iudicum ſcriptura oſtendit, vbi ait de mirandis operibus Samſonis, *Et Spiritus Domini venit in Samſonem.* Atque iterũ, *Venit Spiritus Domini in Samſonem. Cognoſcite* (inquit) *quoniam Dominus Deus eſt.* Et apud Apoſtolum, *Deus qui dixit, vt lux ex tenebris illuceſceret, Spiritus eſt.* Ac rurſum: *An neſcitis vos templum Dei eſſe, & Spiritum Dei habitare in vobis?* Inſuper, Pater & Filius Apoſtolos in mundum miſerunt: de Spiritu autem in Actis dicitur, *Qui autem miſſi erant à Spiritu ſancto, venerunt Seleuciam.* Pater dicitur Filium ſuſcitaſſe à mortuis: de Spiritu quoque ſcribitur: *Spiritus qui excitauit Ieſum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, &c.*

*L. de cõmuni eſſentia Patris, Filij, & Spirit. ſancti.*

2. Cor. 3. Rom. 8.

2. Cor. 3.

Iudic. 14.

1. Cor. 4.

1. Cor. 3.

Act. 13.

Rom. 8.

Huic ſubnecto beatum Fulgentium his Scripturis & rationibus pro Spiritus ſancti immenſitate, æternaque Deitate aduerſus Arrianos diſſerentem. Immẽſus eſt Spiritus ſanctus, dicente Propheta, *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiã?* De quo & dicit Deo: *Spiritũ ſanctum tuum ne auferas à me.* Quem Spiritum Dei ipſum eſſe Spiritum ſanctum Apoſtolus quoque hac atteſtatione ſignificat: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die redemptionis.* Et alio loco: *Qui autem hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis.* Idem rurſum alibi ait: Spiritum ſanctũ Creatorem vera fides aſſerit, non creaturã. Quomodo enim Creator eſſe negetur, à quo firmata cælorum virtus oſtenditur, dicente Dauid,

17. L. 2. ad Trasim. c. 15.

Pſal. 138.

Pſal. 50.

Epheſ. 4.

1. Theſſ. 4.

L. ad Donat. cap. 8.

Psal.32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis*
Psal.103. *virtus eorum*? Et alio loco: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* Creator quippe est omnium, qui factor est omnium. De quo beatus Iob dicit: *Spiritus diuinus qui fecit me.* Spiritus ergo sanctus, sicut omnia creauit, sic omnia replet immensus. Et quia omnia replet, naturaliter est verus Deus. Scriptum est enim, *Spiritus Do-*
Sap.1. *mini repleuit orbem terrarum, &c.* Quomodo autem negant Arriani Deum esse Spiritum sanctum, cùm ita
1.Cor.3.&6. simus templum Spiritus sancti, sicut sumus templum Patris & Filij? &c.

MIN. De his iam satis: tatummodo aliorum veterum Patrum, qui hanc fidei nostræ partem ex professo sunt persequuti loca designare velis, vt in horum lectione animum meum exerceam, & fidem reuerentiamque meam erga SANCTVM SPIRITVM multo magis confirmem. DOCT. Pertractant diligentissimè Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi decima sexta, & decima septima: Basilius libris quinque aduersus Eunomium, & libro ad Amphilochium de Spiritu sancto: Didymus Alexandrinus libris de Spiritu sancto: Hilarius lib. 12. de Trinitate: Ambrosius Mediolanensis tribus libris de Spiritu sancto: Epiphanius aduersus hæresim 74. Augustinus libro tertio contra Maximinum Arrianum, & alij plures, quorum monumenta consulere poteris, & ex horum fontibus sitim extinguere.

## *DE SPIRITVS SANCTI MVLtiplicibus donis, mirisq; effectis in beatos Apostolos ac Euangelistas: aduersus decem & septem Caluinianorum errores.*

DOCTOR.

POsteaquam SPIRITVS sancti æternæ diuinæque maiestati, essentiæ, ac personæ Authores vestri detraxerunt; adorationem, inuocationem, & fidem quæ in eum est, pro viribus imminuerunt & sustulerunt; tandemque bonitati, sanctitati, præscientiæ, infinitæque potestati eius sese opposuerunt; eò demum

demum peruenerunt, vt mirabilium operum ac officiorum eius maiorem partem surripiant; & alia quæ ad eum nullo modo pertinent, per summum nefas eidem adscribant. MIN. In his quæso te, magna fide, sinceritate, ac recto ordine pergamus. DOCT. Cùm ad eundem Spiritum sanctum maximè spectârit Apostolos ac Euangelistas tanta virtutum copia induere ex alto, vt idonei essent ministri noui Testamenti: hunc è contrario tantæ socordiæ ac negligentiæ insimulant, *vt eos omnes deseruerit ac fiuerit in plurima eademque grauissima, tum contra veritatem fidei, tum contra bonos mores, scelera & scandala frequenter incidere*, cùm à die Pentecostes in vniuersum mundum profecti sunt Euangelicam doctrinam disseminaturi. MIN. Quibus modis illos probas hoc errore conuictos esse? DOC. Priuatis accusationibus & calumnijs, quibus singulos ferè, præcipuos saltem eorum, magna contumacia proscinduntatque diuexant. MINIST. Fac fidem dictis tuis.

DOCT. Caluinus diuum Petrum principem Apostolorum ferociter aggressus, eum multis criminibus accusat. Ac primùm, quod in simulatione, (qua Antiochiæ prudenter vsus est ad Gentiles & Iudæos, in eadem fide & religione coadunãdos, vtrorumque infirmitati subseruiẽs ac sese pro tempore accommodans) *grauissimum scandalum admiserit*. Reijciens Chrysostomi sententiam dicentis, Petrum & Paulum vitandi scandali causa, colloquuturos fuisse priuatim, si quid habuissent dissensionis, subdit: *Alia enim minora scandala huic pernicioſissimo posthabenda erant*. MIN. Dominus grauissima maledictione illum percellit, per quem scandalum venit: affirmatque expedire, *vt ei mola asinaria de collo appendatur, & demergatur in profundum maris*. Itaque cùm Petrus accusatur *pernicioſissimi scandali*, grauissimi certè criminis arguitur. DOC. Atque hic error Caluini aduersus Spiritum sanctum & officia eius, erroris decimi noni locum obtineat. Nam decimus octauus est superior omnium Apostolorum de peccatis mortalibus post susceptum Spiritum sanctum admissis, generalis accusatio.

*Gal. 2.*

*Com. in. c. 2. ad Gal. v. 11.*

*Matth. 18.*

3. MIN. Cuiusmodi putas esse vigesimũ? DOCT. *Schismatis, per quod Ecclesia scinderetur*, quo nihil pernicio-
*L.6.hist.c.34* sius ac damnabilius cõmitti Eusebius, Optatus, &
*L.1.adu.Par.* Augustinus ex eo colligunt, quòd Dominus Cain fra-
*L.2.de bapt. cap.8.* tricidæ, Dauidi adultero, alijsq; permultis grauissimis sceleribus contaminatis locum pœnitentiæ ac veniæ
*Num.16.* reliquerit: Core verò, Dathan, & Abiron schismaticis nullum concesserit, sed horribili ac insolenti supplicio continuò mulctauerit. Cyprianus quoque ac Hie-
*Lib.de vnit. Eccles.* ronymus schismaticos Iudæis Christum crucifigen-
*Epist.ad Damasum.* tibus improbiores idcirco constanter pronunciant,
*Ioan.19.* quòd isti tunicam illius inconsutilem partiti nõ sint; illi verò sanctissimum corpus eius (quod est Ecclesia Catholica) crudelissimè cõuellunt, discindunt, lacerãt.

4. MIN. Cedo vigesimũ primum errorem. DOCT. In eo consistit, quod Petri simulatione, inquiunt, *periclitabatur Christiana libertas.* MIN. Quid audio? Christi regnum, escam esse ac potum? Christi passione &
*Rom.14.* morte acquisitam, datamq; Christianis libertatem, in ventris expletione aut inanitate cõsistere? Et cognatis apponere lardum? Cherinthi & Maometis more Paradisum in carnalibus delitijs constitui? Apagete tantam amentiam.

5. DOCT. Vigesimo secũdo errore Petro impingit, *quòd per eum obruebatur Christi grãtia.* MIN. Ergo grauiori crimine seipsum inuoluisset, quàm cùm tertiò
*Matth.26.* Dominum nostrũ in ædibus Caiphæ abnegauit: Tunc namque horrendæ mortis metu ad id impulsus est; nũc verò & omninò liber, & amplioribus diuinæ gratiæ donis perfusus erat.

6. Sed quinam est error vigesimus tertius? DOCT. *Petrus*, inquit Caluinus, *ita iudaizabat, vt Gentes cogeret in seruitutem: & simul hoc quasi præiudicio derogaret Pauli doctrinæ.* MIN. Quasi videlicet, idem Paulus coarguisset in altero, quod sibi laudi ducebat. Gloriatur
*Gal.3.* etenim *se Iudæis factum esse Iudæum, & ijs qui sine lege*
*1.Tim.2.* *erant, tanquam sine lege esset; infirmis, infirmum; & omni-*
*1.Cor.9.* *bus, omnia; vt omnes faceret saluos.* Accedit, quod iuxta
*Ioan.17.* Christi seruẽtissimas preces, Apostoli sic in Euãgelica doctrina propaganda & asserenda vnum, & vnanimes fuerunt,

fuerunt, vt verè de illis dictum sit: *Erant cor vnum & anima vna.* Vanissimus est igitur & confictus hæresiarchæ metus, ne Petrus derogaret Pauli doctrinæ, cùm idem Spiritus sanctus & viueret, & loqueretur, & doceret in vtroque. *Act. 2. & 4.*

DOCT. Vigesimo quarto loco eundem coryphæum Apostolorum calumniatur, *quod in agendis non tenuerit modum: quia gratificandi maiorem curam quàm ædificandi habuit: magisque respexit quid Iudæis placeret, quàm quid vniuerso corpori expediret.* MIN. Negat ergo summum primumque Apostolorum tunc verum fuisse CHRISTI discipulum, Paulo scribente, *Si hominibus placerem Christi seruus non essem.* 7. *Gal. 1.*

DOCT. Scribit 25. loco, *prauam, intempestiuam, ac Ecclesiæ noxiam fuisse Petri simulationem.* Contrà verò, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, & Græci omnes, istam Petri simulationem cùm ex optimo fine ac animo processerit, omni culpa carere docent: quibus ex Latinis subscribit Hieronymus. Latini verò & si reprehensibilem fateantur, mortale tamen peccatum fuisse pernegant; sed veniale ac leue, idque potius in priuata morum praxi accidisse, quàm in doctrina. 8. *Com. in ca. 1. ad Gal. v. 12. Tertul. l. 4. adu. Marc. c. 3. August. ep. ad Hieron.*

Subijcit & hunc sequentem errorem: *Petrus discessione facta à Gentibus, ab Ecclesiæ communione eas arcebat: nisi abdicata Euangelij libertate, Legis iugum subirent.* MIN. Impudentissima certè impostura. Idem enim Petrus cælesti visione & oraculo monitus, Cornelium centurionem virum gentilem, cum tota familia, in Ecclesiæ communionem iam admiserat, sine vlla ceremoniarum legalium obseruatione, aut grauioris iugi ceruicibus eorum impositione. 9. *Act. 10.*

DOCT. Idem Caluinus multas & graues adhuc in hunc secundum Christum, Ecclesiæ summum Pastorem congerens, scribit eum, *Euangelium deformasse: nimis seruiliter Iudæis obsequutum esse: in discrimen Euangelij puritatem adduxisse, ne Iudaico fermento inquinaretur: publico malo peccasse: iniquum fuisse erga Gentes, quia eas ad seruandam Legem adigeret: denique, quod necessitate seruandæ Legis obstringeret piorum conscientias: & silentio libertatis* 10. *Com in ca. 2. ad Gal. v. 12. & 14.*

*doctrinam sepeliret.* Quæ omnia & varia pro vno, id est, vigesimo septimo aduersus Sancti Spiritus effecta, duntaxat errore computo, ne videar in multiplicandis ac numerandis eorum erroribus delectari. MINISTER. Ohe, ex his conspicio Caluinum tanto conuiciandi & calumniandi studio intumuisse, vt instar Iudæ vel Arrij medius crepuisset, nisi tot maledicta in hunc feruentissimum Apostolorum Christi euomuisset. Nec mirabor deinceps cùm intelligam eum suosque in Romanum Pontificem, Cardinales, ac Episcopos oblatrare, quando in hunc sanctissimum Christi discipulum tanta rabie furit & bacchatur. Quid porrò de alijs Apostolis sentiat, iam audiamus.

11. DOCT. Suas persequitur aduersus Iacobum fratrem Domini, alteram Ecclesiæ columnam, & primum sacrorum Ierosolymorum Christiani gregis Episcopum iniurioſas accusationes, quando censet eum cum vniuerso clero suo, *Nimio popularium suorum amore, in stolidam indulgentiam incidisse, dum Legis quasdam ceremonias vitioso & superstitioso zelo retinuit; vota superstitiosa probauit, & in earundem culparum consensionem Paulum perduxit.* Atque in his error eorum vigesimus octauus constituatur. MINISTER. Proh Deum immortalem! Ecquis vnquam synceram religionem coluit, retinuit, docuit; si rectè pieque docet Caluinus, sanctissimos Apostolos post acceptum tanta copia & amplitudine SPIRITVM sanctum, in ea superstitiosos, ineptos, & vanos fuisse? Ex quo verò errorem vigesimum nonum desumis?

Com. in c. 21. Act.

12. DOCTOR. Ex eo quod diuum Ioannem Deiparæ Virginis ex sorore nepotem, Christi Domini nostri secundum carnem cognatum, & dilectissimum discipulum, simulque Prophetam, Apostolum, Euangelistã, Doctorem, Martyrem atque Virginem, *teterrimo idololatriæ crimine commaculant atque prægrauant*; propterea quod excellenti quidem, sed ciuili tamen adoratione, Angelum ad se missum colere voluerit: quod Angelus præ modestia, & culminis Apostolici reuerẽtia fieri prohibuit. MIN. Qui sycophantæ & obtrectatores isti? DOCTOR. Henricus Bullingerus Gallicè Gene-

Act. 19. & 22.

Com. in Apo. 19. & 22.

Geneuæ excusus; & furcifer Marloratus in Rhapsodijs, quas Vniuersalem Ecclesiæ vestræ expositionem nominauit: tantum dictitantes hunc sanctissimum discipulum hac in re peccasse, *quantum vel Petrus ante susceptum Spiritum sanctum trina negatione sua, vel Thomas infidelitate antea peccauerant*. Nec his contenti, adijciunt: *Necesse est dicamus eum, apostasia peccasse. &c.* MIN. Puto planè Satanam his putidis calumnijs, vniuersum Christi Euangelium suspectæ fidei & autoritatis reddere conatum esse: quando illius primos scriptores ac prædicatores tam imperfectos, vitiosos, ac miseros fuisse per hæc organa sua disseminauit.

Existimo tamen Ministros nostros diuo saltem Paulo, ob Christi qui in eo viuebat & loquebatur, reuerentiam, plurimum deferre. DOC. Fallit te nimia probitas & credulitas tua: quandoquidem illum alijs omnibus peius vellicant, & crudelius proscindunt ac maledictis criminationibusque dilacerant. MIN. Non credo. DOCT. Ostendam manifestè. Caluinus namq; de illo iam conuerso ad Christum, iamque Spiritu sancti ficato dicere non veretur, *quod reptans in terra multis sordibus inquinaretur*. Alibi quoque ait: *Erat enim homo communibus hominum passionibus alioqui obnoxius, non frigori tantùm & calori: sed peruersæ confidentiæ, temeritati, & similibus*. Sed præceptoris mentem clarius & amplius expressit Marloratus Caluini discipulus in Rhapsodijs, iam semel & iterum Geneuæ excusis, his de eodem beatissimo Apostolo verbis: *Vixit aliquando quasi securus Epicureus, maximus Dei contemptor, profanus, abhorrens à spiritalibus & cælestibus, carni prorsus deditus &cæt.* Iam à te quæso, an istud sit Christum vereri in eo viuentem & loquentem? An Spiritus sancti dona in eo suspicere & colere? MIN. Immò impudentius obscurare & blasphemare, quàm vnquam fecerint cacodæmones, qui verbis eius coacti de corporibus obsessorum exeuntes, vociferabantur eum esse seruum Dei excelsi, viæq; salutis doctorem. DOC. Possem ex his in Paulum contumelijs aliquot errorum enumerationē colligere: sed contentus omnes ad vnum redigo, qui numero sit nouissimi huius Dialogi trigesimus.

13. Galat. 2. 2. Cor. 13.

Com. in ca. 7. Rom. v. 25. In 2. Cor. ca. 1. v. 9.

In cap. 9. ad Rom. v. 9. 10 & 14.

Act. 16.

Adau-

14. Adaugent rursum errores suos plurimis in sanctissimos Euangelistas contortis opprobrijs, criminationibus, & calumnijs, ac si Spiritu Sancto in describenda Euangelica de Christi Domini nostri natiuitate, prædicatione, passione atq; resurrectione historia eos destituisset. M I N. Istud ne fieri potuit? D O C. Immò reuera factum est à vestro Caluino scribente, *Matthæum impropriè, sæpeque citasse veterum Prophetarum sententias contra germanum & proprium sensum.* Atque id trigesimi primi erroris locum in hoc Dialogo retineat.

*In c. 2. Mat. v. 15. in cap. 4. v. 13 in ca. 8. v. 17. in c. 27. v. 9.*

15. M I N. Ecquid contra Marcum obgannit? D O C. Plurima & grauissima conuitia: nempe quod fuerit *homo inconstans, perfidus, improbus, apostata, sanctæque vocationis suæ desertor.* His enim verbis à Marlorato vestro transcriptis vtitur. *Longè grauius erat Ioannis Marci peccatum, quàm vulgò putetur Vocationis suæ desertor erat, & apostata. Nec verò infirmitas perfidiam excusat, qua violata fuerat vocationis sanctitas. A suo munere turpiter exciderat sua culpa.* M I N. Beatus Petrus equidem multo melius de illo sentit, cùm eum appellat filium suum, eundemq; secum Romam vt cooperatorem abducit, ac editum ab eodem Euangelium sua authoritate comprobat, & cunctis Ecclesijs legendum & amplexandum proponit. Eundem quoque Paulus Colossensibus commendat; iubetque Timotheo eum assumere, & secum adducere ad se, vt hominem sibi vtilem in Euangelico ministerio: quod nunquam de viro perfido aut apostata (qualem cum pro consueta modestia sua confingunt ministri) tantus Apostolus præcepisset. Atque iste sit 32. error aduersus officia Spiritus sancti.

*In c. 15. Act. v. 40. 1. Pet. 5. Euseb. lib. 3. hist. cap. 3. Coloss. 4. 2. Tim. 4.*

16. Sed quid aduersus Lucam, virum Græco sermone excultum, & Pauli peregrinationum, periculorum, summorumque laborum fidissimum Achatem effutiunt? D O C T. Multas eum sententias Euangelio suo ex abrupto infertisse. Verba Caluini sunt: *Hæc sententia, Vos estis sal terræ &c ex abrupto ponitur apud Lucam.* Et alibi rursum: *Non est discipulus supra magistrum. Lucas sententiam hanc quasi inter alios sermones ex abrupto prolatam, absque contextu refert.* M I N. Quasi videlicet, Spiritus san-

*In c. 5. Matt. v. 13. & in c. 6. Luc. v. 40.*

ſanctus, qui illius dum ſcriberet regebat articulos, ignoraſſet quid cuique loco ac ordine reponendum foret.

Nunquid verò Ioanni Chriſto longè cariſſimo ſaltem pepercerunt iſti Momi? DOCT. Nihil minus, quoniam vt ſuperius audiſti, teterrimis idololatriæ & apoſtaſiæ criminibus illum prægrauârunt. Et cùm Caluinus de Euangelio eius loquitur, ex Geneuano ſolio ſuo talia profert decreta: *Euangeliſta impropriè fidem nominat, quod eſt tantùm præparatio ad fidem.* Et poſtea: *Verbo credendi impropriè vſus eſt Euangeliſta, pro cognoſcere.* Atq; hic error trigeſimi quarti locum in hoc ſeptimo Dialogo, criminationum verò Caluinicarum aduerſus Sancti ſpiritus in Apoſtolos ac Euangeliſtas diuina officia cæleſtiaque opera, decimum ſeptimum obtineat. Nemo autem ambigere poteſt, iam annumerata omnia & ſingula peccata, eorundem Caluinianorum iudicijs ac ſententijs, planè mortalia, æterniſque Gehennæ flammis digniſſima fuiſſe: quandoquidem authore Caluino, *Peruerſa ſit inſanorum & delirantium Sophiſtarum* (en quo decore vniuerſam antiquitatem exornet!) *diſtinctio peccati in mortale & veniale, cùm omnia prorſus ſuapte natura mortalia ſint.* His itaq; palam feci, Veſtros miniſtros tot ſanctiſſimorum Diſcipulorum Chriſti criminationibus, Spiritus ſancti officijs ac donis grauiter detrahere; illoſque in die Pentecoſtes ſic in gratia & fide confirmatos fuiſſe, vt inde cadere non poſſent, flagitioſè pernegare.

17. *In c. 8. & 17. Ioan.*

*Inſtit. lib. 2. c. 8. §. 58. & 59. & lib. 3. cap. 4. §. 28.*

MIN. Id nemo poteſt inficiari: quapropter ſupereſt vt his erroribus refutatis, contrarium omnino probetur. DOCT. Non exiguum eſt in primis aduerſus nouos criminatores & vitilitigatores iſtos præiudicium, quod in inferendis huiuſmodi contumelijs ac probris peruerſos illos pſeudofratres & Pſeudoapoſtolos imitentur, qui aduerſus Paulum inſurgentes, & famæ, & doctrinę, & autoritati illius detrahentes, eum cunctis ſuſpectum ac exoſum reddere ſatagebant. Hi porrò ſunt de quibus corã Deo, Angelis, & toto mundo conqueritur; Eiuſmodi Pſeudoapoſtoli ſunt operarij

**Confutatio 1.**

rarij *subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum, ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* 2.Cor. 11. *Non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ: quorum finis erit secundum opera ipsorum.* Et iterum: *Periculum in falsis fratribus.* Iteramque: *Subintroierunt falsi fratres, vt explorarent libertatem nostram.* Gal.2. Paulo siquidem nomen ac ius Apostoli detrahebant, obijcientes quod non vidisset Dominum in carne; non audiuisset Euangelium ex ore eius; non fuisset ab eo electus & ascitus in numerum duodecim Apostolorum; nihili fieret ab illis, velut qui antea persecutor & blasphemus fuisset: quæ omnia si conferantur cum his quæ à Caluino & suis eidem obiecta sunt, certè præ illis leuissima erunt.

2. Illos rursus Petrus & Iudas viuis admodum coloribus suis depingunt, quando vocant eos, *nubes sine aqua quæ à ventis circunferuntur, arbores autumnales, infructuosas, bis mortuas, eradicatas, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum Murmuratores, querulosos, secundum desideria sua ambulantes, illusores, sectas introducentes perditionis, segregantes semetipsos, animales, spiritum non habentes, irrationabilia pecora, in conuiuijs luxuriantes, oculos plenos habentes adulterij, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum auaritia habentes, libertatem promittentes, cùm tamen ipsi serui sint corruptionis, &c.* Iud. & vnic. 2.Petr.2. Quę omnia non tam superiorum seculorum hæresiarchis, quàm Caluino, Bezæ, Bullingero, Marlorato, & reliquis huius æui Apostolorū conuitiatorib apprimè cōuenire mihi videtur.

3. M I N. Præterea, maledicentissimi homines isti aut nihil aut parum certè distant à priscis Ethnicis ac idololatris, qui varijs calumnijs eosdem Apostolos, primosque Christianos deformabant, vt aliquam persequendi ac diuexandi illos occasionem prætexerent. Imponebant enim eis, vt est apud Iustinum, Tertullianum, ac Eusebium, *quod promiscuos admitterent concubitus; cœnas agitarent Thiestæas, in deos, imperatores, & rempublicam impij essent;* & alia plurima: quæ si cum his, quæ aduersus Petrum Paulum & Ioannem effutiuerunt superius Ministri comparaueris, *Iust. Dialog. & Apolog. Tert. Apolo. Cyp. adu. De metr. &c.*

non

non admodum dissimilia inuenies. Quantum enim distant *epicureismus, Dei contemptus, apostasia, & idololatria*, quæ Paulo & Ioanni à Caluinianis tribuuntur; ab impietate in Deum, & legitimum Magistratum? Quātū *carni prorsus deditum esse*, quod Paulo affingitur; à promiscuis concubitibus? Cętera horret animus persequi.

DOCT. Persequar igitur ego, & nouos obtrectatores istos cum Porphyrio, Celso, Luciano, Peregrinō, Iuliano, Hierocli, alijsque veteribus apostatis iure comparabo. Nam vt illi ad eleuandam impijssimam suam à religione Christiana defectionem, & Domini nostri summam innocentiā, & præcipuorum Apostolorum ac Euangelistarum mores innocentissimos, scriptaque diuina omni contumeliarum & sycophantiarum genere traducebant & opprimebant: sic & isti vt hæresibus suis viam præmuniant; & turpitudinibus, incestis, adulterijs, sacrilegijs, mendacijsque suis adblandiantur, tot confictis à se criminibus & probris sanctissimos Apostolos diuexant. 4. *Origen. Euseb. Cyrill.*

Rursum vt ne lato quidem vngue discederent à vestigijs Simonis Magi, Carpocratis, Ebionis, Cerinthi, Menandri, Marcionis, Manetis, & aliorum veterū patrum & magistrorum suorum discipuli, vt illi Discipulos Domini in multis accusabant, (vt est apud Irenæum, Tertullianum ac Epiphanium) vt homines ab eorum doctrina Euangelica abstractos, in suarum hæseōn nassam pertraherent: sic & isti nullis sibi parcendum duxerunt, vt solos se perfectos veritatis Euangelicæ assertores & vindices, solos se ex veteris matrum sanctificatos, solos se Euangelicissimos superbissimè & arrogantissimè vendicent: & quod à Turcarum vastationibus Christianismi supereſt, suis erroribus facilius inficiant, fascinent, subuertant. 5. *Iren. l. 1. cap. 26. & 34. & l. 3. c. 1. 2. & 13.*

Denique, tam impudenter ora soluentes in Apostolos ac Euangelistas, pręcursores ac strenuos satellites sese produnt propediem venturi illius magni Antichristi, de quo ab vtriusque Testamenti certissimis Prophetis scribitur, *quod faciet bellū aduersus sanctos, sermones cōtra Excelsū loquetur, sanctos Altissimi cōteret, & puta-* 6. *Dan. 7.*

Apoc.13. *putabat quod posset mutare tempora & leges.* Et iterum: *Aperiet os suum in blasphemias contra Deum, blasphemare nomen eius, & eos qui in cælo habitant.* Hi ergo superioribus tam in Spiritus sancti officia, quàm in Sanctos ac electos eius conuitijs, istud iam auspicantes, non solùm, vt diximus, viam aperiunt filio perditionis: verùm etiam quasi inflatis tubis classicum canunt, & hinc inde ex antris suis Libertinos & Atheos omnes aduocant, & sub signis colligunt, vtque extremum bellum Apostolicæ doctrinæ inferant, pro viribus incitant, accendunt, atque inflammant.

7. *Instru. aduersus Libert. c. 3. & 4.*

MIN. Hoc nimium (eheu!) verum est. Nam posteaquàm hi lepidi Reformatores calamos & linguas suas eum in modum aduersus Apostolos acuerunt, subitò exorti sunt viri, qui omni posito pudore ac Dei metu, quemlibet eorum quantis potuerunt ledorijs ac probris sunt persecuti: adeò vt etiam ipso Caluino referente, & in sinu suauiter ridente, Paulum appellauerint *vas fractum*; Ioannem, *iuuenem stolidulum*; Petrũ, *Domini sui abnegatorem*; Matthæum, *fœneratorem*. Authores porrò laudat Copinum ex insula, Quintinum Picardum, Bertrandum Moletrinum, Claudium Persevualum, & Antonium Pocquinum, quos asserit se Geneuæ conspexisse. MIN. Et illic proculdubiò, non à Deo, sed à tetro dæmone didicerunt huiusmodi conuitia, & aduersus Spiritum sanctum, Apostolorum doctorẽ atque ductorem diabolica euomere sarcasmata: eademque ex concionibus, lectionibus, & libellis impurissimorum qui illic degunt ministrorum & apostatarum deprompserunt. In eadem cathedra pestilentiæ & schola deterrorum hos didicerunt sales; quibus inter Dei contemptores & filios huius seculi belluli & faceti videantur, interim dum his amarulentis iocis omnem Apostolicam doctrinam, omnem fidei pietatem, omnem religionem, in risum & cõtemptum corruptissimorum hominum exponunt. DOCT. Reuera superius recitatæ Caluini aduersus Petrum & Iacobũ, Bullingeri aduersus Ioãnem, Marlorati aduersus Paulum, aliorumq; ministrorum aduersus quatuor Euangelistas calumniæ, multis modis atrociores & damnabilio-

Psalm. 1.

biliores sunt, quàm satyrica Libertinorum dicteria.

MINISTER. Eteam ob rem tam impia absurdaque ex superioribus erroribus consecuta incommoda, valentissimæ refutationis illorum apud cordatos viros locum obtinere mihi videntur. Nam si hi qui per iram fratribus dixerint RACHA, vel FATVE, digni sunt iudicio aut gehenna ignis, quanto magis hi qui sanctissimis Dei legatis, Christi charissimis discipulis, amicis & fratribus, nostrorum autem omnium in spiritu pastoribus & parentibus, tam atroces inferunt contumelias? Nunquam profectò, Dathan, Core, vel Abyron aduersus Moysem, nunquam duo quinquagenarij aduersus Heliam, nunquam Bethelis paruuli aduersus Elisæum, vel Semei aduersus Dauidem tam fuerunt iniurioſi; ac proinde digni qui cælesti vindicta plecterentur; quantum hi, si dijs placet, reformati Euangelij ministri, aduersus seruos Dei omnium fidelissimos atque sanctissimos. Atque de his iam mihi satis est. *Matth. 5.* *Num. 16.* *4. Reg. 1.* *4. Reg. 2.* *2. Reg. 16.* *3. Reg. 2.*

DOCT. Sed fortasse alijs non ita: & idcirco expedit vlterius progredi, firmissimisque argumentis palam facere, Apostolos sic in die Pentecostes in gratia diuina per Spiritum sanctum superuenientem confirmatos fuisse, vt deinceps nunquam permiserit eos aliqua culpa mortali, siue in doctrina, siue in moribus, corripi ac labefactari. Primo autem loco diligenter obseruandum est, quod Christus his verbis Apostolis suis pollicitus est: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritũ veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* MIN. Equidem dulcissima, simulque ampliſsima est ista promissio: quoniam nec semel, nec simpliciter, nec ad certum aliquod temporis spatium, adfirmat Spiritum sanctum dandum esse Apostolis, sed sic vt cum illis in æternum tanquam in templis, & sacrarijs suis mansurus & permansurus esset. Ait enim: *Vt maneat vobiscum in æternum.* Nec his contentus superaddit: *Apud vos manebit, & in vobis erit.* Est igitur æquè verum & certum, Petro, Iacobo, *Ioan. 14.* 8.

Ioannï ac reliquis Apoſtolis & Euangeliſtis Spiritus ſancti præſenti am ac gratiæ efficaciã à die Pentecoſtes & deinceps vbique locorum atque temporum adfuiſſe: quàm conſtans atque indubitatum eſt, Chriſtum æternum Dei Filium in verbis ac promiſſis ſuis fideliſſimum & veriſſimum eſſe. DOCTOR. His adde: Peccata mortalia, vel nefarios errores non magis poſſe cum Spiritu ſancto conſiſtere, quàm denſiſſimæ tenebræ cum clariſſimo lumine, aut Belial cum Chriſto, aut denique iniquitas cum iuſtitia permanere. Quicunque ergo ſanctiſſimos Apoſtolos à confirmatione ſua in gratia, vel in moribus, vel in doctrina lethaliter aberraſſe confingit, & Filium Dei magno accuſat mendacio, vt Spiritum ſanctum neglecti officij criminatur, & cælum terræ, Satanicam quoque malitiam cum diuina gratia flagitiosè commiſcet.

9. MIN. Hæc quidem generalem Apoſtolorum in gratia confirmationem euidenter comprobant: verùm eiſdem intentatas à Caluinianis criminationes ſigillatim diſcutiamus atque repellamus. Si CHRISTI gloriam, & doctrinam eius de libertate Chriſtiana oppreſſiſſent, ſimulque Gentes ab Eccleſiæ communione prohibuiſſent, quod hæreticus illis imponit, quo iure ille appellaſſet eos, non ſeruos, ſed amicos & fratres ſuos? Certè non eſt amicorum aut fidelium ſeruorum, ſepelire gloriam heri ſui: non eſt fratrum, germanorum ſuorum inuidere libertati: ſicut nec legatorum, Regis ſui ditioni ſeſe addicentes præpedire, vt Apoſtolos feciſſe inſimulant. Si periculoſis ſcandalis Eccleſiæ vnitatem laceraſſent, in ea potius luporum rabiem, quàm Paſtorum officium ac munus exercuiſſent. Paſtor namque oues colligit, & aberrantes reducit ad ouile: *lupus verò*, vt ait Dominus, *rapit & diſpergit oues*. Quomodo etiam conſcientias hominum ad repudiandam CHRISTI libertatem impuliſſent hi, qui tot labores, tot vigilias, tot peregrinationes, tot vincula, tot flagra, tot ergaſtula, tot cruces, tot gladios, tot flãmas, tot feras, tot mortes denique conſtanter ſubierunt, vt libertatem morte CHRI-

*Ioan.15.*
*Ioan.20.*
*Pſalm.21.*
*Ioan.10.*

CHRISTI partam, ac Euangelio descriptam toti mundo prædicarent, suaderent, inculcarent? Aut quomodo magis hominibus, quàm Deo, placere conati essent hi, qui reliquerant patres, matres, coniuges, liberos, domos, nauiculas, imò etiam proprias voluntates, vt illi penitus inseruirent: Qui propter nominis & numinis eius propagandam gloriam facti sunt vt agni inter lupos, ac oues occisionis? Vt mundi peripsema? Spectaculum mundo, & Angelis, & hominibus? Qui tyrannis constanter respondebant: *Oportet obedire Deo, magis quàm hominibus*? Qui magnæ laudi ac gloriæ ducebant, pro nomine eius contumelias pati? Impudentissimæ sunt igitur calumniæ, & Satanica mendacia, quæcunque Caluinus aduersus primum Apostolorum tam impudenter effutiuit. *Matth. 28. Marc. 16. Psalm. 18. Rom. 10. Matth. 19. Matth. 10. Rom. 8. 1. Cor. 4. Act. 4. et 5.*

DOCT. Nec magis vera sunt, quæ aduersus beatissimum Apostolum & Euangelistam Ioannem alij Ministri cum magno blaterant sermone, furuntque. Nec enim est verum nec verisimile, illum in tenebras idololatriæ aut apostasiæ incidisse, qui à veritatis magistro dictus est *lux mundi, & sal terræ*. Qui discipulus Christi fuit inter omnes magis dilectus, *qui in Cœna recubuit super pectus eius*, qui acerbissimæ passioni eius non defuit, qui Matrem Domini in suam curam recepit, quique vt omnem ex animis hominum idololatriam extirparet; veram autem veri Dei agnitionem & adorationem insereret; in feruentis olei dolium immissus, ad toxicum damnatus, denique in pestilentissimam insulam exilio relegatus est: Qui inter Euangelistarum adumbrationes, propter diuinas reuelationes, contemplationes, & sententias, cum aquila est comparatus; & totius vetustatis consensu per excellentiam Theologus nominatus? 10. *Matth. 5. Ioa. 13. et 21. Ioan. 19. Tertull. Lib. præsc. Metaphrast. Ezech 1. Apocal. 4.*

Sed quis in orbe Christiano natus ac educatus toto corde non execrabitur probra, quibus tam petulanter tamque præfractè Vas electionis, Doctorem gentium, Tubam Euangelicam, Paulum dico, in quo CHRISTVS Iesus & viuebat & loquebatur, vestri Ministri vexant atque proscindunt? Quo putas eos illaqueari sacrilegio, cùm vociferant *eum hominem* 11. *Act. 9. 1 Tim. 2. Gal 2. 2. Cor. 13.*

*fuisse Epicureum, profanum, ac maximum Dei contemptorem*, cuius vita & morte glorificatus est Deus? Qui omni hora periclitabatur, & in mortem tradebatur propter IESVM? MIN. Certè insaniæ ac rabiei extremæ est, scribere, illum *à rebus spiritualibus abhorrere*, qui raptus in tertium cælum, audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui. Qui Euangelium non didicit neque ab homine, neque per hominem, sed per reuelationem IESV CHRISTI. Qui assiduè corpus suum castigans in seruitutem redigebat: qui conuersationem suam locarat in cælis: cuique mundus crucifixus erat, & ille mundo. Qui tam arctè Deo adhærebat, vt neque mors, neq; vita, neq; Angeli, neque principatus, neque creatura aliqua posset eum separare à charitate Dei.

*Philip.21.* *2.Cor.4.* *2.Cor.12.* *Galat.1.* *1.Cor.9.* *Galat.6.* *Philip.3.* *Rom.8.* *12.*

DOCT. Totius etiam Euangelij maiestatem imminuunt, & veritatem in grauem suspitionem falsitatis adducunt ij, qui alicuius inconstantiæ, perfidiæ, infidelitatis, apostasiæ, aut prophetiarum deprauationis tam temerè quàm nefariè quosdam Euangelistarum insimulant: quod tamen Caluinum fecisse superius demonstratum est. MIN IS. Tanta hæc mihi videtur impietas, ac in Spiritum sanctum, qui per hos & scripsit & locutus est, blasphemia, vt potius supplicijs à Magistratu decretis castiganda sit, quàm prolixioribus Theologorum argumentis refutanda. Enimuerò Christus eis dixit: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Et qui me spernit, spernit eum qui me misit*. Et rursum: *Dabo vobis os & sapientiam, cui contradicere & resistere non poterunt aduersarij vestri. Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, &c.* Non possunt itaque illos Sectarij arguere, ac cuiuscunque vitij damnare, quin eundem Spiritum sanctum, eundem Filium Dei, eundemque Patrem omnipotentem ac omniscium, simul reprehendant, coarguant, & damnent; qui eos elegit, inspirauit, probauit, & misit in hunc mundum, cunctisque mortalibus præcepit vt eis omnino velut sibi ipsi obaudirent atque crederent. MIN. Non est dubium iniurias Legatis principum illatas, in Dominos resilire quorum personas referunt: atque ita

*Luc.10.* *Matth.10.* *Ioan.20.*

omnes

omnes Caluini contumeliæ in Matthæum & Marcū, obtrectationes in Lucam & Ioannem, totidem sunt iniuriæ in æternum Dei Filium qui eos ablegauit, effusæ.

DOCT. Præterea, si quis vt decet attentè meditatus fuerit feruentes illas preces, quas instante morte, Christus illorum nomine Patri suo fudit, nunquam profectò tot tantarumque iniquitatum, vt faciunt Caluiniani, illos accusabit; præsertim postquam in gratiam recepti, in eaque confirmati fuerunt. Ait enim sanctissimus Dei Filius: *Pater, rogo te pro his, quos dedisti mihi: nam tui sunt, & eos mihi dedisti Pater sancte, serua eos in nomine tuo, vt sint vnum sicut & nos vnum sumus. Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. Sanctifica eos in veritate. Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego eos misi in mundum. Pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum, & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos sicut & me dilexisti, &c.* MIN. Diuinæ profectò orationes, & summo amoris ardore affectuque plenissimæ: quæ corda etiam ferrea emollire, & adamantina frangere possent. Nec ambigo quin Pater cælestis, tam demissas ad se dilecti Filij sui preces planè exaudierit: cùm præsertim alibi dicat, *Pater, scio quod semper me audis*: & Paulus adfirmet, *eum exauditum esse pro sua reuerentia*. Atque ita Apostoli per solennem Spiritus sancti in eos aduentum, sic fuerunt Dei Patris custodia paternaque solicitudine ab omni malo seruati, vt in nullum lethale delictum siue in moribus, siue in doctrina sint deinceps prolapsi. Etenim cùm fuerint à Patre seruati, Satanæ fraudibus paterent & subiacere non potuerunt. Deinde, cùm fuerint vnum, videlicet fide, doctrina, & animo: impium est quod fingit Caluinus; *Petrum doctrinæ Pauli derogasse*. Rursum, si seruati sunt à malo, atque sanctificati in veritate; certè nefarium est illos *vel apostasiæ, vel idololatriæ, vel perfidiæ,* vel cuiuscunque alterius lethalis criminis insimulare. Postremò, si Christus semper in eis; seipsumque Deo Patri consecrauit, vt & Apostoli verè sancti essent; denique Pater cælestis dilexit eos, sicut

13.

*Ioan. 17.*

*Ioan. 11.*

*Heb. 5.*

& Christum dilexit; nullus nisi palàm impius poterit illis *stolidam indulgentiam, superstitiosum zelum, pernicio-sa scandala, schismata*, aliave grauissima delicta obijcere. Quocirca euidentissimum est in Caluini verba iurantes ministros ac Prædicantes, Christi IESV superiores preces tot àfficere contumelijs, quasi omnino fuissent inanes & vanæ; quot superioribus criminationibus peccata mortalia beatissimis tribuunt Euangelistis & Apostolis, posteaquam signis visibilibus immensa Spiritus sancti gratia fuerunt perfusi.

*Actor.2.*

14. DOCT. Hoc vltimum orationis membrum prudenter & scitè addidisti, quoniam ante magnificam illam Sancti Spiritus in eos effusionem, quidam illorum grauissimè sanè deliquerant, vt Petrus trina negatione, Thomas incredulitate, cæteriquè concertantes quis eorum futurus esset maior, & cum scandalo Dominum initio passionis deserẽtes: quoniam nondum erant induti virtute ex alto. Hinc & præclarè Cyrillus: Nõdum inerat Apostolis, ne cadere possent: quod postea superiore virtute roborati, id est Spiritus sancti gratia muniti, habuerãt. Quod & Dominus eisdẽ promiserat dicens: *Baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies*. MIN. Firmissimum sanè confirmationis Apostolorum in gratia Dei argumentum: quo omnino ex scriptura & Patribus docemur, illos deinceps in nullum delictum mortale cecidisse. Sed quis, qualis ve fuerit iste baptismus Apostolorum in Spiritu sancto, velim ex sanctissimis Patribus audire.

*Luc.24.*
*L.9.in Ioa. cap.29.*
*Actor.1.*

15. DOC. Ex antiquissimo & doctissimo sacrorum Ierosolymorum Patriarcha Cyrillo iam disces. Non est ista gratia ex pãrte, inquit, sed perfecta virtus. Vt enim is qui mergitur in aquas & baptisatur, vndique ab aquis circundatur: sic & illi à Spiritu baptizati sunt perfectè. Sed aqua quidem exterius circundat: Spiritus autem interiorem animam abluit incomprehensibiliter. Et quid miraris? Accipe exemplum corporeum. Si ignis per ferri spissitudinem interius transiens, totum efficit ignem, & frigidum fit feruens, & nigrum fit lucidum: quid miraris si Spiritus sanctus in animæ interiora ingreditur? Ne autem tantæ gratiæ descendentis late-

*Catechef.16.*

lateret magnitudo, tanquam tuba cælestis intonuit. *Repleuit totam domum vbi erant sedentes.* Facta est receptaculum spiritalis aquæ illa domus: Discipuli intus sedebant, & domus vniuersa repleta est. Baptizati ergo sunt sine vllo defectu, secundum promissionem. Induti sunt in animo & corpore diuino & salutari indumento: *& apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis: & repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Ignem non vrentem accipiebant, sed salutarem ignem comburentem delentemque spinas peccatorum, animam autem illuminantem. Hæc Cyrillus: ex quibus facilè conspicis, nomine Baptismi, quo Christus Apostolos suos in die Pentecostes abluit, significatam fuisse perfectam amplissimamque illam Spiritus sancti gratiam, qua illorum animæ modo ineffabili fuerunt circummunitæ; ipsique redditi adeò toti ignei, feruentes, ac lucidi effecti, vt iuxta Christi promissionem, deinceps essent sine defectu siue loquerentur, siue scriberent, siue quid aliud Apostolici muneris exercerent. *Actor. 2.* *Luc. 24.*

Acceperant quidem antea eiusdem SPIRITVS sancti aliqua dona in Circuncisione, Baptismo, prima missione, & ordinatione, Domino insufflante ac dicente, *Accipite Spiritum sanctum &c.* sed in die Pentecostes tãta vbertate & copia gratiarũ eius perfusi sunt, & amore Spiritus sancti repleti, sanctificati, atque regenerati; vt in homines prorsus spirituales, diuinos, cælestes, & per gratiam impeccabiles euaserint: adeò vt omnes vnius eorum ore verè dicere possent: *Nostra conuersatio in cælis est.* Item, *Viuo ego, iam non ego: viuit autem in me Christus. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Iam non sumus hospites & aduenæ; sed sumus ciues sanctorum, & domestici Dei, &c. Mortui sumus peccato, & consepulti cum Christo; & quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulamus. Nihil ergo damnationis est in nobis, qui sumus in Christo IESV, qui non secundum carnem ambulamus. Quia sumus Christi, carnem nostram crucifiximus cum vitijs & concupiscentijs, &c.* Iam quæro, quomodo per tot dona Spiritus sancti, virtutumque præsidia Satanas omnium vitiorum autor & princeps irrupisset? *16.* *Luc. 9.* *Matth. 10.* *Ioan. 20.* *Philip. 3.* *Gala. 2.* *2. Cor. 13.* *Ephes. 2.* *Rom. 6.* *Rom. 8.* *Gal. 5.*

Potuisset ne aut occultis fraudibus, aut vi aperta eundem Spiritum Domini è suis templis depellere?

17. MIN. Certè eiusdem Spiritus sancti infestos hostes esse se manifestant, qui tot innocentiæ ac cælestis conuersationis Apostolicæ contemptis testimonijs, eosdem superius commemoratis criminibus accusant. Sed si quod habes adhuc Veterum in hanc rem testimonium, illud te quæso proferas: nam horum sententijs valde delector. DOCT. Athanasius magnus explicans quid his contulerit Spiritus sanctus scribit:

*In Euang de sanctiss. Dei. para.*

Enimuerò virtus ista Altissimi descendit, vt contra omnem aduersariam virtutem vigerent, ideoque Spiritus superuenit essentialiter, cum omnibus suis dotibus, vt efficaciam acciperent omnibus signis, prodigijs, & portentis ad confirmandam, certamque & indubitatam reddendam promissionem Christi. MIN. Si contra omnem virtutem aduersariam viguerunt, clarum est, quod nec communibus nostris sordibus, nec peruersa confidentia, nec temeritate, nec Dei contemptu, nec carni prorsus addicti fuerunt, velut de Paulo Marloratus improbè comminiscitur.

18. DOCT. De ijsdem rursum ait Cyrillus Ierosol. Christus tantam exhibuit Discipulis gratiæ Spiritus sancti abundantiam, vt non modò ipsum Spiritum sanctum in seipsis haberent: sed per manuum impositionem ipsorum, participationem ipsius credentib. traderent. Paulò post illos cum veteribus prophetis cõparans inquit: Non pudeat te Apostolorum: non enim sunt Moyse deteriores, neque Prophetis inferiores, sed boni cum bonis, & bonis meliores. Elias assumptus est in cælum: sed Petrus habet claues regni cælorum. Elias in cælum tantùm: Paulus autem & in paradisum raptus. Decebat enim Christi Discipulos ampliorem gratiam capere. MIN. Profectò cùm omnibus modis Prophetis fuerint meliores, oportuit eos nec docendo, nec viuendo, nec scribendo vlla in re mortaliter aberrare: alioqui ampliorem gratiam non fuissent consequuti.

*Catech. 14. Act. 8. 10. 19*

*4. Reg. 2. Matth. 16. 2. Cor. 12.*

19. DOC. Porrò, si de vnius Pauli laudibus amplissimã cupias commendationem, Chrysostomi de hac re cõscri-

*Chrysostom.*

ſcriptas homilias legito: comperies certè illum longè maiore reuerentia & honore à ſancto & vetere Theologo excipi, quàm à profanis & nouitijs iſtis miniſtris veſtris. Non enim eum ſolùm ab eorū ſycophantijs ſuperioribus expurgat; ſed & tot tantisque virtutibus ornatum fuiſſe demonſtrat, vt etiam multis in rebus Angelis ipſis ſuperior & potior euaſerit.

MIN. Iam hæc mihi ſufficiunt: quandoquidem etiam apud eundem legam, in ſummis diſcriminibus & tentationibus dictum ſibi fuiſſe à Domino: *Sufficit tibi gratia mea.* Gratia igitur ſic eum & coapoſtolos oēs præueniebat, comitabatur, & ſubſequebatur, vt eius efficacia omnibus peccatis lethalibus ſuperiores eſſent: hoc enim decebat eos, quos Filius Dei conſtituerat *ſal terræ, lucem mundi, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Hacque freti gratia & dignitate, verè dicere potuerunt: *Legatione pro Chriſto fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, &c.* Quare vt paucis hanc diſputationem abſoluamus, de illorum ſcriptis ac rebus geſtis non aliter ſentiendum aut loquendum eſt, quàm de mundiſſimis organis Spiritus ſancti, perfectisque imitatoribus Chriſti IESV. Et quicunque aliter ſenſerit, erit mihi tanquam Ethnicus & Publicanus.

20.
2. Cor. 12.
Matth. 5.
1. Cor. 3.
2. Cor. 5.
Epheſ. 6.

## *SPIRITVM SANCTVM EXIMIAM efficaciam virtutemq; communicare tam verbo Dei, quàm Eccleſiæ Sacramentis: aduerſus 35. & 36. Caluinianorum hæreſim.*

### DOCTOR.

SPectabilis veſter Beza paucis admodum verbis duos rurſum complectitur errores contra officia Spiritus ſancti, pernegans eum aliquam virtutem communicare aut verbo Dei, aut per Chriſtum inſtitutis ac Eccleſiæ Catholicæ traditis Sacramentis. Sic enim in fidei ſuæ Confeſſione loquitur: *Spiritus ſanctus ita verbo & Sacramentis vtitur, vt illis ſuam non communicet virtutem.* Et poſtea: *Spiritus ſanctus duobus modis*

Conf. punct. 4. art. 4. 34.

*ordinarijs vtitur, quibus tamen ſuam non impertit virtutem: ſed his operatur ad creandam in nobis fidem.* Sic enim ad verbum Gallica eius ſcripta reddimus. Quid de primo articulo ſentis?

**Confutatio** MIN. Sentio Bezam turpiſſimè ſecum pugnare. 1. Nam peritum paulò ſuperius ſimulans chirurgũ, contra ſcripſerat: *Spiritum prædicatione Euangelij vulnera purgare, quæ Legis prædicatio in nobis detexit: in nobisque donum fidei creare.* Si verbo Euangelico SPIRITVS purgat; inſuper, fidem creat in animis humanis, aliquam ſanè eamque ſecretam & maximam ſanandi & creandi virtutem eidem impertit: alioquin illud eſſet prorſus inane atque ſuperfluum. Quemadmodum ergo Sole illuſtrat, igne fouet, aqua refrigerat, pane nutrit, vinoque potat mortalia corpora noſtra, quadam corporea vi ac communicata rebus illis efficientia: ita cùm animas & ſanat & fide donat verbi diuini prædicatione, quandam vim ſpiritalem illi tribuat, neceſſum eſt.

2. Sed & Caluinus velut Beſtiæ ſuæ inſipientiam ca-
*Ioã. 6. v. 63.* ſtigans & damnans, in horum verborum Chriſti, *Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam. Verba quæ ego loquor vobis, Spiritus & vita ſunt*, explicatione, arcanam viuificandi virtutem verbis Euangelicis per Spiritum ſanctum dari palam agnoſcit, dum ſcribit: *Quia de arcana Spiritus virtute loquutus erat, eleganter hoc ad doctrinam ſuam transfert, quòd ſpiritualis ſit. Porrò ſpiritualis vocatur ſermo qui nos ſurſum inuitat, vt Chriſtum duce Spiritu, in cæleſti gloria ſua quæramus. Vitam ab effectu nominat ſermonem ſuum, quaſi viuificum, &c.*

3. Alibi rurſus magnificè loquens de verbo Dei com-
*In 1. Cor. cap. 14. v. 24.* municata dataque efficientia, ait: *Verbum Dei vſque in vltimos animi receſſus penetrat, & quaſi illato lumine tenebras diſcutit, & excutit mortiferum illum torporem, quo torpent hominum conſcientiæ, ne malorum ſuorum diſplicentia tangantur, quandiu ignorantiæ tenebris ſunt obuolutæ.* Vnde verò tanta vis ac energia in verbo, vt non modò aures feriat vel demulceat; ſed etiam intimos animæ receſſus peruadat, colluſtret, commoueat, niſi à Spiritu
*Pſal. 67.* diuino, qui dat verbum Euãgelizantibus virtute multa? An

ta? An non ergo expresso Dei verbo, insuper & præceptoris sui iudicio impietatis conuictus est Beza, inquiens Spiritum sanctum verbo Dei suam non communicare virtutem?

4. Vt verò peramplius coarguatur, verbique virtus constantius defendatur, id tantum Bezæ mihi dicendum videtur, quod olim Christus cacodæmoni: *Vade retro Satana. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Si ergo verbum Dei vitam confert mortalibus, maxima cum virtute communit Spiritus sanctus. Atqui Dominus palam adfirmat Prophetas cæterosque verbi sui præcones, velut os suum esse, quo nobiscum loquens patefacit voluntates suas. Isaias enim absoluta concione sua, palam adfirmat: *Os Domini loquutum est.* Verè etenim illi, vt & Ieremiæ, dictum fuerat à Domino: *Ecce, dedi verba mea in ore tuo.* Et rursum: *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris, &c.* certè perspicuum est verbum DEI non esse tam euanidum ac imbecillum, vt Beza confingit. *Matth.4.* *Isa.1.40.51. & 58.* *Ierem.1.5.6. 15. & 25.*

5. Sed & idem SPIRITVS Bezæ vesaniam ac impudens mendacium increpando clarissimè personat: *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petras?* Et rursum ingentes vtilitates eius referans ait: *Quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur: sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit: & dat semen serenti, & panem comedenti. Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Qua potuisset concionatori re verbi maximam potentiam ostendere, quàm malleo durissimas petras conterente, ac igne omnium elementorum efficacissimo? Aut qua magis aperta & vulgata similitudine idipsum ruditati nostræ intimare & inculcare, quàm aquæ de cælo cadentis, & terram vt innumeros fructus adferat, fœcundantis? Ad id etiam mihi pertinere videtur, quod Christus idem verbum suum comparat cum aqua viua, & fonte saliente in vitam æternam. Hac enim metaphora satis indicat, verbum *Ierem.23.* *Isa.55.* *Ioā.4. & 7.*

suum

ſuum pios auditores ác diſcipulos eius illuminare, purgare, ſanctificare, viuificare, ac demum glorificare.

6. DOCT. Paucis admodum ſed grauiſſimis verbis multas virtutes effectaq; miranda complexus es, quæ verbo Dei à SPIRITV ſancto tribuuntur. Nam per hoc ille corda noſtra tanta fidei luce colluſtrat, vt in Diuinæ maieſtatis, ac perfectionum, proprietatum, iudiciorum, atque decretorum illius certiſſimam cognitionem ſubuehat, ac velut in ſacrarium eiuſdem tametſi adhuc ſuper terram ſicut repētes vermiculos, perducat. *Lex Domini*, inquit Dauid, *illuminat oculos, ſapientiam præſtat paruulis.* Et rurſum: *Declaratio ſermonū tuorum illuminat. Lucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen ſemitis meis. Da mihi intellectum ſecundum verbum tuum. Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Hinc Filius Dei excæcatos Iudæos ad ſcrutandum verbum Dei ſcriptum remiſit, vt illinc teſtimonia de Meſſiæ aduentu clariſſima in ſeipſo completa cernerent & deſumerent. Seſe igitur omnibus his opponit Beza, affirmans Spiritum ſanctum nihil virtutis aut efficaciæ verbo Dei concedere.

*Pſal.18.* *Pſal.118.* *Ioan.5.*

7. Præclarè quoque ſecundo loco dixiſti, Spiritum ſanctum verbo Dei purgandi vim contuliſſe: ſiquidem intellectum humanum ab erroribus, voluntatem à prauis deſideriis, memoriam à iudiciorum & beneficiorum diuinorum ingrata obliuione, adeoq; totam animam ab innumeris ſordibus potentiſſimè repurgat & mundat. Nam verbo à ſe prædicato hanc efficaciam adſcribens Chriſtus ait ad Apoſtolos ſuos: *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem loquutus ſum vobis.* MIN. Et ego certè non video quibus alijs artibus Apoſtoli, Diſcipuli, Martyres, Patres, innumerabiles populos ab omnibus idololatriæ, aliorumque delictorum fœtoribus emundarint, niſi aſſidua feruentique diuinorum verborum prædicatione: quod adumbratum in cæci nati, leproſorum, & aliorum languentium curationibus, multi Theologi conſtanter docuerunt. Nam vt hi ſimplici ad ſe facto verbo Chriſti magna fide credentes, illicò mundatos ſe eſſe ſenſe-

*Ioan.15.* *Ioan.9.* *Matth.8.* *Luc.17.*

ſenſerunt: ſic & Gentes idolorum immunditijs deditæ mox vt verbum Dei auribus & animis exceperunt, à Spiritu ſancto illuſtratæ atque mundæ factæ ſunt. Non quòd in ſe, aut ex ſe, tantùm virtutis ac efficaciæ habeant voces hominum linguis prolatæ: ſed quòd his SPIRITVS ſanctus tanquam viuis organis ac inſtrumentis ſuis velit vti ad hominum ſanctificationem. Ideo enim volunt Paulum de Eccleſia ex Gentibus potiſſimum collecta dixiſſe; quòd *Chriſtus eam mundauit lauacro aquæ in verbo vitæ.* *Epheſ.5.*

8. DOC. Tertiam verbo Diuino per SPIRITVM ſanctum datam virtutem in eo conſiſtere docuiſti, quòd animos hominũ iuſtificet. Enimuerò cùm per illud de peccatorum noſtrorum grauitate, ſupplicijſque eis debitis monemur; deinde etiam de horum remiſſione per Chriſti Paſſionem & mortem nobis parta & oblata adhortationes animis excipimus, confeſtim vt ab illis iuſtificemur & liberemur contendimus atque feſtinamus. MINIS. Hoc ipſum profectò ſermonis ſui obſeruatoribus Chriſtus pollicetur, cùm dicit: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus.* *Ioan.14.* Et Apoſtolus certiores nos reddit, *factores verbi Diuini iuſtos eſſe apud Deum.* *Actor.2.*

9. DOCT. Viuificandi quoque vim verbo Dei rectè tribuiſti: ſiquidem Chriſtus diſertè dixit: *Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.* *Ioan.8.* Etenim vt verbo ſuo Adoleſcentem in porta Naim, Filiam archiſynagogi, & Lazarum à morte reuocauit in vitam: ſic tandem aliquando fiet, vt omnes mortui audiant vocem Filij Dei, & viuent. An non ergo omni ratione, fideque deſtitutum ſe fuiſſe oſtendit Geneuanus hæreſiarcha, cùm illud omni virtute ac Spiritus efficacia deſtituit? *Luc.7.* *Luc.8.* *Ioan.11.* *Ioan.5.*

10. Rurſum, Moyſes & Dauid referentes Deum (cuius nomine æquè Spiritus, ac Filius & Pater comprehenditur) omnia verbo ſuo condidiſſe, quantam illi quæſo te, efficaciam adſcribunt? Cumque Dominus noſter ſolo verbo leproſos mundauit, cæcos illuminauit, claudos, paralyticos, ſurdos, mutoſque curauit, dæmo- *Geneſ.1.* *Pſal.32.* *Hebr.11.*

dæmones profligauit, mare ac decumanos fluctus eius tranquillauit, mortuosque reuocauit ad vitam, an non omnipotentissimo verbo suo hæc patrauit? Quo igitur ore, qua fronte, audet Beza scribere, Spiritum diuinum nullam verbo Dei virtutem communicare? An non etiam eodem verbo Iudæorum in se irruentem cohortem terruit, deiecit, prostrauit? Saulum minas & cædes in Christianos spirantem, eiusdem virtute coërcuit, fregit, & in alium prorsus virum conuertit?

*Ioan.18.*

*Act.9.*

11. Quantæ etiam virtutis ac potentiæ verbum Dei esse prædicauerit Apostolus, vel ex hoc vnico eius testimonio aduersus Bezanam impietatem collige. *Viuus est sermo Dei*, inquit, *& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.* MINIST. Tam clara certaque de verbi diuini efficacia disputatio satis ostendit, illud impunè non posse contemni. Deinde, docet Deum per illud tanquam propria voce sic agere nobiscum, vt omnes interiores sensus nostros afficiat, adeo vt nulla sit nostri corporis vel animæ facultas, quæ non eius virtute percellatur. Hoc exemplo suo comprobauit Adam, cùm audita in horto voluptatis voce diuina, non est ausus consistere, sed in abditissimas fugit latebras, ex quibus vi extractus dixit: Audiui vocem tuam, & timui. Et Apostolus testatur, quod Deo Moysi loquente, dixerit idem Moyses: *Exterritus sum & tremebundus.*

*Heb.4.*

*Gen.3.*

*Heb.12.*

12. Et reuera hic ipse gladius est vtraque parte acutus, qui ex ore Filij hominis procedit: cuiusque virtute muniti Apostoli totum orbem vicerũt, expugnârunt, & Christi crucifixi legibus subiecerũt. Hic gladius Spiritus quem assumere Paulus hortatur, vt possimus resistere in die malo, & constanter stare aduersus insidias diaboli. Hic mutus ahæneus, quem sanctissimi Patres omnibus hæreticis & schismaticis opposuerũt, vt & Christus Dominus quondam Satanæ impressionibus obiecerat. Hoc totius fidei ac doctrinæ Christianæ firmissimum ac tutissimum fundamentum. Hoc denique

*Apoc.1.*
*Marc.16.*
*Ephes.6.*

*Matth.4.*

denique verè dicitur forma omnium Sacramẽtorum, bonorum operum regula, electorum perfugium, afflictorum solatium, hostium Christi terror, quo etiam ipse Antichristus tandem conficiendus est. Atque hęc sufficiant pro asserenda diuini verbi multiplici maximaque virtute, aduersus Bezæ insaniam: nunc de Sacramentis à Spiritu sancto communicata vi ac energia dicamus. *Isa.11. 2.Thess.2.*

## *SPIRITVM SANCTVM Maximam saluberrimamq; Sacramentis Ecclesiæ Christianæ contulisse virtutem: aduersus Bezæ insiciationem.*

MINISTER.

EXordiar ego, & ex ipso Beza contra Bezam & asseclas eius probabo, Spiritum sanctum ingentem vtilemque Sacramentis indidisse virtutem: atque sic eum eiusdem Spiritus sancti veris effectis ac officijs nimis præfractè sese opponere commonstrabo. Scribit enim in Confessione fidei suæ, *Se non posse satis efferre dignitatem, vsum legitimum, & fructus qui à Sacramentis procedunt. Ea verè esse stillicidia & conductus, quibus DEVS in cordibus suorum gratiam suam infundit.* Caluinus insuper fatetur Sacramentis quandam inesse communicatam efficaciam, cùm ait: *Verbum Dei annexum Sacramento, externæ cerimoniæ vitam conferre.* Ex quibus ita mihi ratiocinari licebat. Si tantus Poëta, Rhetor, Theologus, diuinique verbi præco, qualis Beza vult haberi, nõ potest verbis satis efferre fructus Sacramentorum; oportet sanè illos adeo multiplices, copiosos, & abundantes esse, vt nullus eos valeat percensere numerando Sed hoc quî fieri potest, si nullam eis virtutem Spiritus diuinus communicat? Vnde tanta eorum dignitas, si omni virtute cælesti sunt destituta? Vnde vita, visque viuificandi eorum, nisi à Spritu sancto, qui per illa operatur? Confutatio 1. *Ex cõf. pũct. 4. artic. 35. & punct. 5. art. 27. vt Gallica Latinè ad verbum reddimus. In c. 3. Luc. vers. 3.*

Aut existimarent eum qui per impurum os Balaam Israëli benedixit, per proditorem Iudã multos tinxit & sana- 2. *Num.24. Luc.10.*

*Ioan.11.* & sanauit, per Caipham prophetauit, & per hominum
*Matth.7.* reprobatorum ministerium immundos spiritus expulit ex corporibus obsessorum; aut non posse, aut non dignari quandam diuinis Ecclesiæ Sacramentis efficaciam conferre? Eum qui per virgam Moysi tan-
*Exod.6.7.8.* ta in Aegypto edidit miracula, mirabilia fecit in terra
*Psal.105.* Cham, terribilia in mari rubro; per maxillam aridam
*Iudic.15.* Samsoni potū suppeditauit; arcæ præsentia Ierichun-
*Iosu.2.* tinos muros disiecit, Iordanem siccauit, solidum Ac-
*1.Reg.5.* caronitarum idolum contriuit, aut nolle, aut non posse, aut non dignari aliquantum copiosissimæ virtutis suæ Sacramentis à Filio Dei institutis & traditis impartiri?

3. Minus efficere per aquam Baptismi in animabus
*4.Reg.5.* nostris, quàm per aquam Iordanis, qua Naaman Syrus corpore à lepra curatus est? Aut minorem vim habitura sit vnda regenerationis in paruulos, quàm a-
*Num 5.* qua zelotypię in fœminas, quę se adulterijs contami-
*Ioan.5.* narant? Profectò si Angelus descendens in piscinam probaticam, eamque commouens & turbans, tantam ei vim conferebat, vt qui prior in eam descendisset, sanus euaderet à quacunque detinebatur infirmitate; nemini dubium quin Spiritus diuinus lōgè potiorem sanandarum animarum virtutem sacro Baptismi la-
*Ioan 9.* uacro tribuat. Denique, si fonti Siloë concessit, vt cęco nato visum restitueret, cur non dabit fonti Baptismatis, super quem sanctissimæ Trinitatis facta est sacra
*Tertul. l. de Baptism.* solennisque inuocatio, vt animas à delictis omnibus
*Naziā. orat. in sanct. lau.* expurget? Certè quo veritas figuris ac cunctis adum-
*Basil. lib. de Baptis.* brationibus est præstantior; superiores autem aquæ
*Grego. Nyss.* Baptismi sacrum lauacrum præsignauerunt; certum est huius vndę ac immersioni maximam à Spiritu sancto virtutem concessam fuisse, quicquid è contrario demurmuret Beza.

4. DOCT. Hæc perspicua & certa sunt: verùm rem si placet, propius discutiamus, & virtutem quàm singulis tribuit Sacramentis breuiter explicemus. Cùm
*Ioan.3.* enim Dominus adfirmat nos ex aqua & Spiritu sancto sic renasci, vt tanquam filij ac hæredes intremus in re-
*Ephes.5.* gnum Dei; Paulusq; apertè doceat *Ecclesiam sanctificari*

*atque*

*atque mundari lauacro aquæ, in verbo vitæ*; quod etiam alibi vocat *lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti*; Petrus denique asserat nos *saluari per Baptismum, sicut olim quondam saluati fuerunt per arcam*; maximã proculdubiò virtutem mundandi & saluandi efficaciam docent traditam esse huic omnium Sacramentorum primo. De hoc ante mille & ducentos annos scripsit Cyrillus Ierosolym. Per Baptismum soluitur mortis stimulus. Descendis quidem in aquam ferens peccata, sed gratiæ inuocatio signans animam non permittit deinceps ab horrendo illo submergi dracone. Mortuus in peccatis descendisti, & ascendis viuificatus in iustitia. Insitus factus es similitudini mortis Saluatoris, etiam resurrectione dignus efficeris. Ante Baptismum aduersarijs reluctari non audebas: accepta verò gratia, deinceps confidens armis iustitiæ, decertato; & si vis, etiam Euangeliza. Si simulatam non habueris religionem, descendet in te Spiritus sanctus. Vox etiam tibi paterna desuper intonat, quòd nunc per adoptionem sis filius Dei. Hęc ille de mirandis Baptismi effectis: qui & alibi etiã de spiritali eo charactare, quo ibidem signamur, sic loquitur: Spiritus sanctus hic paratus adest obsignare animam tuam, & dare tibi signaculum, quod dœmones tremunt, cæleste quoddam & diuinum, sicut scriptum est: *In quo etiam credentes signati estis Spiritu sancto promissionis.* SPIRITVS SANCTVS simul intuisibilia magna efficit. Hactenus Cyrillus, hæresim Bezanam plurimis ante seculis coarguens quàm nata esset.

*Tit. 3.* *1. Pet. 3.* *Catech. 3.* *Catech. 17.* *Ephes. 1.*

Quanta verò per sacramentum Confirmationis idem Spiritus in animis piorum hominum operatus sit, non est opus multis comprobare, quando toties Scriptura referat Apostolos per manuum impositionem dona eiusdem Spiritus non tantùm externa & visibilia, verùm & interna spiritualiaq; contulisse. *Imponebant manus super illos*, inquit, *& accipiebant Spiritum sanctum.* Et Paulus de spiritali gratia scribit ad Timotheum: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum mearum.*

*Act. 8. 9. 10. 13. & 19.* *1. Tim. 4.* *2. Tim. 1.*

De sanctissimæ Eucharistiæ virtute ac efficatia, quid

amplius & magnificentius dicere posſemus, quàm quod ipſemet Dei Filius ait, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die? Panis Dei eſt qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo? Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum? Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam?* Ioan. 6. *Qui manducat me, viuet propter me?* Paulus quoque de eodem ait: *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* 1. Cor. 11. Ex quibus cunctis peruium eſt, digna Euchariſtiæ participatione nobis per Spiritum offerri planeque conferri tam intimam cum Chriſto vnitionem, vt tanquam viua veraque membra corporis eius eidem inhæreamus; ipſe cum donis ſuis nobiſcum maneat, & nos cum illo maneamus; ſummum paſſionis eius beneficium grata commemoratione celebremus, eiuſdemq; meritorum efficiamur participes; denique (vt innumeros alios fructus præteream) futuræ gloriæ, beatæque reſurrectionis ſanctorum tandem aliquando ſimus conſortes. An non ergo Beza verè monſtroſiſſima beſtia reputandus eſt, affirmans nihil virtutis aut efficatiæ Sacramentis a Spiritu ſancto communicari?

Irenæus li. 5. Tertul. li. de reſ. carn.

7. MIN. Quoniam longum eſſet ſingula percurrere, mihi factum ſatis putabo, ſi quorundam veterum Patrum teſtimonijs efficias Spiritum ſanctum omnibus Sacramentis adeſſe, & his iuſtitiam & ſalutem noſtram operari. DOCT. Nec me labor iſte grauabit. Atque in primis TERTVLLIANVM virum omnium iudicio antiquiſſimum, & doctiſſimum tibi propono. Is quatuor Sacramentorum, videlicet Baptiſmi, Confirmationis, Euchariſtiæ, & Vnctionis mirabiles effectus his verbis perſtringit. Caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima conſecretur. Caro ſignatur, vt & anima muniatur. Caro manus impoſitione adumbratur, vt & anima ſpiritu illuminetur. Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur. Iam verò emaculari, conſecrari, muniri, atque illuminari, manifeſtum eſt opus Spiritus ſancti: certum eſt igitur potenti ma-

Lib. de reſu. carn. ca. 8.

gnæ

gnaque virtute illum per Sacramenta operari.

CYPRIANVS Martyr nulla re Tertulliano præceptore suo inferior, Sacramentis tantam vim adesse docet, vt per Baptismum animo ac mente homo renouetur, superioris æui labes detergatur, & lumen desuper infundatur, Spiritu cælitus adueniente. 8. *Epist. ad Donatum.*

CLEMENS Alexan. superioribus æqualis, vocat Baptismum, lauacrum, per quod peccata abstergimus; gratiam, qua remittuntur pœnæ peccatis debitæ; illuminationem, per quam salutarem lucem intuemur; & perfectum, cui nihil deest. 9. *Lib. 1. Pæd. cap. 6.*

GREGORIVS Nyssenus appellat quoque illud Sacramentum, peccatorum expiationem, remissionem delictorum, & caussam renouationis & regenerationis nostræ. 10. *Lib. de Bapt.*

CYRILLVS Alexan. de eodem scribit: Quemadmodum viribus ignis aqua intensius calefacta, non aliter vrit quàm ipse ignis: sic SPIRITVS sancti operatione aqua, qua baptizati corpus aspergitur, reformatur ad diuinam virtutem & potentiam. 11. *Lib. 2. in Ioan. ca. 42.*

MINIST. Vnius Augustini sententiam propone, & disputationem claudemus. DOCT. De his in vniuersum sic loquitur: Quorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas. *Et alibi:* Percussum est Christi latus, & statim manauit sanguis & aqua, quæ sunt gemina Ecclesiæ sacramenta. In aqua sponsa est purificata, sanguine inuenitur esse dotata. 12. *Lib. 19 cõt. Faustum, ca. 11. & lib. 2. de Symb. ad Cat. cap. 6. Ioan. 19.*

MIN. Aliam disputationem instituamus.

*SPIRITVM SANCTVM ECCLE-*
*siæ Christianæ & Catholicæ promissum & datum sic illi perpetuò adfuisse, vt nunquam è terris defecerit; sed neque eam in fidei atque bonorum morum definitionibus vnquam aberrare permiserit: aduersus 37. & 38. haresim.*

DOCTOR.

BIfariam rursus in SPIRITVS sancti officia & munera vestri Autores impingunt, cùm volunt eum Ecclesiam Christianam & Catholicam ita deseruisse, vt non solùm de Fide & bonis moribus constituendo frequenter aberrauerit; verùm etiam multis sæculis in terris esse omnino desierit.

MIN. Non est opus vt in alterius accusationis parte probanda labores, quandoquidem Caluinus omnia prorsus Concilia, quantumuis antiqua, vniuersa, & pura (in quibus Ecclesiæ facies conspicitur) grauiter frequenterque aberrasse, nihil affirmare veretur. Nam de secundi Niceni, cui sexcenti & supra ex toto orbe adfuerunt sancti & docti Antistites, decreto circa imaginum vsum, ait: *Tale placitum palam est à Satana manasse. Quid quòd totam Scripturam deprauando, & lacerando, ludibrio eam sibi fuisse demonstrant?* Postea de reliquis concilijs scribit: *Quanquam in illis quoque antiquis & purioribus est quod iure desideres, vel quod eruditi alioqui & prudentes viri qui tunc aderant, præsentibus negotijs distincti, multa alia non prospiciebant: vel quod simpliciter, vt hominum imperitia falli poterant.* Quin & ipsum primum ac maximum Nicenum (quod omnes hactenus cum omni fide ac reuerentia susceperunt) etiam à vero & recto aberrasse dictitans, de sequentibus infert. *Quàm multis partibus & alia quæ deinde sequuta sunt Concilia, lapsa fuisse verisimile est? Si quis acta perlegat, multas illic infirmitates animaduertet: ne quid dicam grauius.* Alibi quoq; scribit: *Inter Papistas non modò sepultam iacere veritatem, sed hor-*

*Instit. lib. 4. ca. 9. §. 9. & 10.*

rer

*rendum in modum dirutam & euersam pedibus calcari.* Est denique communis totius Sectæ sententia, Ecclesiam Roman. *Hactenus docuisse cultum idolorum, & Christo abnegato, hosti eius Antichristo militasse:* quæ peccata omnium grauissima sunt cũ aduersus fidem, tum aduersus bonos mores. *Com. in 1. ad Tim. cap. 2. vers. 15.*

Quod verò Ecclesia Christi aliquando hîc esse desierit, quod est alterum accusationis tuæ caput, non legi apud eos: sed omninò diuersum. DOCT. Meum est igitur & istud asserere. Caluinus Præfatione Institut. conqueritur, *ante tempus suum, tam altis tenebris immersa fuisse omnia, vt nulla veræ Ecclesiæ facies extaret.* Ibidemque affirmat, *aduersarios à vero aberrare, dum Ecclesiam non agnoscunt, nisi quam præsenti oculo cernant; quod eius formam semper apparere, & spectabilem esse contendunt: cùm Heliæ tempore nullam formam haberet, & ab aduentu Christi deformis latuerit; & multoties ab eo tempore bellis, seditionibus, hæresibus sic oppressa fuerit, vt nulla parte fulgeret.* Vbi verò tenebris immersa sunt omnia, vbi CHRISTVS abnegatur vt colatur Antichristus, vbi nulla veræ Ecclesiæ facies apparet, vbi sic oppressa est vt nulla parte fulgeat; quæ Ecclesia Christiana, vna, sancta, Apostolica, & Catholica esse potest? Equidem certè aut Ecclesia ex visibilibus hominibus, aspectabilibus Sacramentis, & scripturis haudquaquam occultis confici, atque constare debet; aut Ecclesia non est. Huiusmodi autem semper fuisse Caluinus inficiatur quæ oculis cerneretur, quæ forma spectabilis esset, & quæ aliqua ex parte fulgeret. Quod & tandem ipse palam fatetur de Catholicis scribens: *Fremunt nisi Ecclesia digito semper ostendatur.* Et postea: *Quin potius* (ait) *permittamus Deo, vt quando ipse solus nouit, qui sui sunt, interdum etiam Ecclesiæ suæ exteriorem notitiam ab hominum aspectu auferat.* Iudicat ergo eam posse omninò deficere. Vult itaque Ecclesiam vnam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam (quæ sola est vera Ecclesia) & verè & frequenter in orbe desijsse. His accedit, quod Beza prædicat, *primos per Europã veros Apostolos fuisse Ioannem Hus & Lutherum in Germania, Zuinglium & Oecolampadium in Heluetia, Sauanarolam in Italia, Farellum & Cal-* *Præfat.* *Præfat. Inst.* *In icon.*

*Caluinum in Gallia, Vvicleffum & Bucerum in Anglia, Cnoxum et Buchananum in Scotia*: addit insuper, *se tum primùm pedem intulisse in publicum cœtum Christianorum, cùm Genevæ Caluinianam concionem audiuit*. Itaque nec vniuersos maiores nostros atque suos Christianos fuisse; nec tot viros Apostolicos, Episcopos, Martyres, Pastores & Doctores, quibus per mille & quadringentos annos abundauit Europa, verum Christi Euangelium prædicasse; nec denique SPIRITVM sanctum tanto temporum lapsu Ecclesiam Catholicam sartam tectam ab omni errore conseruasse tam impudenter quàm impiè pronunciat. Quid de his tibi videatur, iam dicito.

*Artum. in Psal. 91.*

**Confutatio 1.**

MIN. Vtramque partem accusationis veram legitimamque conspicio: sed Caluinum simul & Bezam sibi in superioribus sententiis non semper similes fuisse, iam ostendo. Etenim ille in eâdem Præfatione Institut. magna confidentia scribit: *Vixit sanè Christi Ecclesia, & viuet quandiu Christus regnabit ad dexteram Patris, cuius manu sustinetur, cuius præsidio defenditur, cuius virtute suam incolumitatem retinet. Præstabit enim ille indubiè quod semel recepit, se adfuturum suis vsque ad consummationem seculi.* DOCT. Rectè sanè. Atqui Ecclesia non potest consistere sine Baptismo visibili, sine aspectabili prædicatione verbi Diuini, & Eucharistiæ, aliorumque sacramentorum visibilium administratione: ergo nunquam est intermortua, nunquam sic pressa aut deformata Ecclesia Catholica, quin semper aliqua parte fulgeret.

*Matth. 28.*

**2.**

MIN. Idem alibi rursum ait: *Statuendum est nullum fuisse ab orbe condito tempus, quo Ecclesiam suam Dominus non habuerit: nullum etiam fore ad consummationem vsque sæculi, quo non sit habiturus. Quod certis promissionibus testatum fecit, quales sunt istæ, Ordinaui testamentum electis meis: iuraui Dauid seruo meo, Vsque in æternum propagabo semen tuum: in generatione & generatione ædificabo sedem tuam. Item. Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi: Hæc requies mea in sæculũ sæculi, &c. Item: Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumen diei, lunam & stellas in lumen noctis. Si defecerint leges istæ coram me, tunc & semen Israel*

*Instit. l. 4. cap. 1. §. 17.*

*Psal. 89.*

*Psal. 132.*

*Ierem. 31.*

defi-

*deficiet* Hæc ille, quibus conſpicis eum docere, Eccleſiam & ſemper fuiſſe, & ſemper in terris futuram vſque ad conſummationem ſęculi: nec id ſimpliciter, ſed & ampliſſimis certiſſimisque Diuinis promiſſionibus, hoc idem ratum & firmum eſſe. DOC. Abertat igitur ipſemet à vero & recto ſcribens, nullam veræ Eccleſiæ faciem aliquando extitiſſe, nullamque illius formam pro tempore in terris apparuiſſe.

MIN. Adhæc, Caluinus & Beza ſe ſuoſque hac in re ſatis apertè damnant, cùm rurſus ſponte *fatentur vſque ad Irenæi, Tertulliani, Origenis, imò & Auguſtini ætatem, nihil à principio mutatum fuiſſe in doctrina Eccleſiæ; ſed Apoſtolicam conſtanter & vnanimi conſenſu retentam eſſe.* Inſuper, *quingentis circiter annis à Chriſto adhuc floruiſſe religionem, & ſyncериorem doctrinam viguiſſe.* Denique, cùm agnoſcant, *Et ſemper extitiſſe, & ſemper futuram Eccleſiam vnam, extra quam nulla ſalus expectanda ſit.* DOC. Nullo ergo tempore periit, nullis bellis exterminata, nullis ſeditionibus aut hæreſibus ſic oppreſſa fuit ſuper terram Eccleſia Catholica, vt præſenti oculo aſpectabilis non cerneretur. Deinde, ſi quingentis circiter annis à Chriſto doctrina retineretur Apoſtolica, floreret religio, & ſyncериor adhuc vigeret in vniuerſis Eccleſijs ea quæ ab Apoſtolis & Diſcipulis tradita fuerat fidei perſuaſio; certè impium & nefarium eſt quod alibi ſcribunt Caluiniani, ſepultam fuiſſe veritatem, Scripturam ludibrio habitam, ac primos per Europam veros Apoſtolos extitiſſe, quos numerant ac cenſent miſerrimos Apoſtatas. 3. *Inſtit. l. 4. c. 2. § 3. & l. 1. c. 11. § 13. Beza Confeſſione punct. 5. art. 1. & 41.*

MIN. Præterea, à Caluino & Beza lubens quærerem, ſi tyrannide Antichriſti, vt loquuntur, tam oppreſſa & deformata fuit Eccleſia, ſublataque ex toto orbe veritas & doctrina Apoſtolorum, in qua Eccleſia fuerunt baptizati? quorum legitimorum Paſtorum miniſterio regenerati? A quibus ſacra Biblia, in quibus tantummodo purum Dei verbum contineri volunt, hactenus ſeruata fuerunt, vt ab his ipſi eadem ſuſciperent? Quorum opera & ſtudio ſanctiſſima fidei Chriſtianæ Symbola tam eximia fide 4.

custodita, vt etiam ad eos pura & integra peruenerint? A quibus veræ religionis principia initiò didicerunt, præsertim cùm fides sit ex auditu? Non à Iudæis, Turcis, aut Ethnicis, inter quos non fuerunt educati: qui quæ huiusmodi sacra mysteria nec sciunt, nec credunt, nec tradunt, sed persequuntur. Nonne ergo à Pontificijs? Extitit igitur hactenus inter hos sanctum Dei verbum, sanctus Sacramentorum vsus, legitimum ministerium, vera fides, vera doctrina, veraque CHRISTI sponsa Ecclesia viguit atque floruit.

*Rom. 10.*

5. Denique, si quibus dã bellis, seditionibus, ac cruentis Tyrannorũ persequutionibus omninò vastari & opprimi; si aliquibus hæresibus & schismatibus deformari, lacerari, ac funditus deleri aliquando potuisset, vt Caluinus existimat; hoc præsertim decem illis vniuersalium persecutionum, quas totidem Imperatores Romani aduersus eam olim exercuerunt, impressionibus atque durissimis certaminibus; ac veterum Gnosticorum, Arrianorum, Manichæorum, Donatistarum, Nestorianorumque prauis dogmatibus ac erroribus, peractum atque completum fuisset. Tantum abest verò vt persecutionibus illis vel exterminata, vel etiam imminuta fuerit Ecclesia Christiana; vt è contrario, docente Hieronymo, persecutionibus creuerit, & martyrijs coronata sit: & verè à Tertulliano teste oculato scribatur ad persecutores, Semen est sanguis Christianorum, plures efficimur quoties metimur à vobis. Hæretici quoque, ait Augustinus, Ecclesiæ prosunt, non verum docendo quod nesciunt, sed ad verum quærendum & aperiendum Catholicos excitando. Hinc præclaræ beati Hilarij voces: Ecclesia dum persequitur floret, dum læditur vincit, dum arguitur intelligit, tunc stat cum superari videtur. Falsum est igitur quod assumit Caluinus, Ecclesiam Catholicam & visibilem (de hac enim agitur) à tempore Christi multoties bellis, seditionibus, ac hæresibus sic oppressam fuisse, vt nulla mundi parte fulgeret. Atq; hoc meum de illius errore iudicium: tuum mihi nunc aperias oportet,

*De vita Malchi. Apolog. cap. 50. Lib. de vera religione cap. 8.*

DOCT.

DOCT. Velim scias, eos qui contendunt Ecclesiam Catholicam ex quo à Christo & Apostolis per totum orbem disseminata & plantata fuit, vel omnino exterminatam ac deletam esse; vel adeo oppressam latuisse, vt penitus forma faciesque illius non appareret; Donatistarum veterem impietatem, toties ab Augustino conuulsam & labefactatam, pro viribus reparare. Conuicti enim de nefario schismate, omnis excusationis ac defensionis loco vociferabantur, *Ecclesiam toto orbe aberrasse, ac sic defecisse, vt tantùm esset in parte Donati*: vti nunc contendunt Sacramentarij veram Ecclesiam apud se solos consistere. Sed attende quid Donatistis respondeat eximius antistes Augustinus: O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es? Vide, ne tu ideo non sis: nam illa erit, & si tu non sis. In libris porrò aduersus Parmenianum, longè lateque de hac re differens, contendit ex varijs locis Prophetarum & scriptis Apostolorum sic illam fuisse toto orbe diffusam, & Spiritus virtute seruatam, vt nullis persecutionibus, nullis schismatibus, nullis vnquam hæresibus pessundari aut extingui potuerit. Hæc pauca tantùm ex eo proferam: Quid se ipsi iactant, (de Donatistis loquitur) quod habeant aliquam Ecclesiam, si iam illis temporibus superioribus esse destiterit? Dicant vnde natus est Maiorinus, aut Donatus, vt per eos nasceretur Parmenianus atque Primianus? Et rursum alibi: Sed fortè ista ciuitas quæ mundum tenuit, aliquando euertetur? Absit. *Deus fundauit eam in æternum.* Si ergo eam Deus fundauit in æternum, quid times ne cadat firmamentum? Hæc ille, quæ mutatis tantùm nominibus, ad Caluinum, Farellum, Bezam, cæteroſque schismaticos ac Hæreticos, qui Ecclesiam Catholicam ante tempora sua perijsse volunt, eodem iure referenda sunt.

*Aug. epist. ad Vincent. & epist. ad Bonifacium.*

*In Psal. 101. & 147.*

*Lib. 3. cont. epist. Parm. cap. 2. & 4.*

*In Psal. 47.*

6

7. Rursum, Ecclesiæ Catholicæ ac visibilis amplitudinem perpetuamque stabilitatem ex eo probat, quod Dominus ad eã attendens, non semel dixerit Abrahæ: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Christoque Filio suo pollicitus sit, *Dabo gentes hæreditatem tuam, & pos-*

*Gene. 21. 22. Psalm. 2. 23.*

*ſeßionem tuam terminos terræ.* Eandem porrò hæreditatem Chriſti explicari poſtea, cùm in alijs Pſalmis dicitur: *Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ. Et adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium.* Rurſumque latitudinem & perpetuitatem huius hæreditatis ac regni Chriſti, quod eſt Eccleſia Catholica, alibi deſcribens ait: *Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.* His namque regni Meſſiæ amplitudinem, maieſtatem, atque ſplendorem deſcribi, nec ipſi Rabbini Iudæorum diffitentur: quandoquidem nec Salomon tam latè imperauerit, nec à cunctis Gentium regibus adoratus fuerit, nec in ipſo, aut propter ipſum omnes tribus terræ Diuinam benedictionem ſint aſſecutæ: ſed tantummodò per Chriſtum Dominum noſtrum, quemadmodum Apoſtolus diligenter obſeruauit. Quòd autem hoc Chriſti regnum in terris ſemel conſtitutum, nullis machinis euerti, nullis fraudibus corrumpi, nullis denique quorumcunque hoſtium viribus ſuperari poſſet, aſſerit ibidem Pſaltes, dicens: *Permanebit cum ſole & ante lunam in generatione & generationem.* Sed clarius id quoque explicat Daniel, referens *Antiquum dierum*, id eſt, Deum Patrem, *dediſſe Filio hominis poteſtatem, & honorem, & regnum; & omnes populi,* (ait) *tribus, & linguæ ipſi ſeruient. Poteſtas autem eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur; & regnum eius, quod non corrumpetur.* Ad quod alluſit Angelus dicens Mariæ Deiparæ de Filio ſuo, *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Hæc porrò ad quandam inuiſibilem Eccleſiam, id eſt, Platonicam ideam, quæ nunquam extitit, cum hæreticis referre, non ſolùm inepta tergiuerſatio, ſed & manifeſta inſania eſt: quaſi videlicet, omnes Gentes, & omnes Reges, ac termini terræ res eſſent inaſpectabiles. Fuit igitur regnum CHRISTI, quod eſt Eccleſia Catholica & viſibilis, ſemper inuictũ, ſemper de hoſtium ſuorum ſpolijs ac triumphis tandem

Pſalm. 21.

Pſalm. 71.

Gen. 21. 22. & 23

Galat. 3.

Pſalm. 71.

Dan. 7.

Luc. 1.

deco-

decoratum, ſicut in veteri Iſraele pridem enituit, atque apparuit. *Exod. 14. & 15.*

Confirmat iterum Pſaltes iſtud Meſſiæ regnum inſuperabile ac inuictum futurum eſſe, cùm ait: *Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cælo fidelis.* Potius ergo Tyranni, potius Schiſmatici ac hæretici ſolem aut lunam dentibus lacerabunt, & de ſedibus ac ordinibus ſuis detrahent; quàm regnum Chriſti, id eſt, Eccleſiam Catholicam poſſint delere. Addit quoq; Pſaltes: *Ponam in ſæculũ ſæculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cæli.* Hoc aũt ſemen Chriſti ſunt Apoſtoli, diſcipuli & pij omnes quos in Chriſto publica Euangelij prædicatione conceperunt, deinde aſpectabili Baptiſmo pepererũt, alijs denique viſibilibus Sacramentis confirmauerunt, educauerunt, & ad vitam æternam perduxerũt: ne quis de inuiſibili ac imaginaria quadam Eccleſia hîc rurſum obſtrepat. *Pſal. 88.* 1. *Cor. 4.* *Gal. 4.* 1. *Ioan. 2.*

MIN. Hæ certè præclaræ ſunt de Eccleſiæ perpetuitate atque conſtantia confirmationes: ſed quidpiam nunc adijcias de noui teſtamenti teſtimonijs. 9.

DOCT. Iam apertum certumque beati Gabrielis Angeli de perennitate Eccleſiæ oraculum exaudiſti: accipe nunc eiuſdem Chriſti firmas conſtanteſque de eadem promiſſiones: *Tu es Petrus*, inquit ad potiſſimum Apoſtolorum ſuorum, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* *Matth. 16.* Et rurſum: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* *Matth. 28.* Audis Eccleſiam fundatam *ſuper petram*; & non ſuper terram, quæ cuniculis pateat; aut ſuper arenam, inconſtantem ac mobilem? Audis rurſus *portas inferorum*, quæ ſunt fraudes dæmonum, tyrannorum furores, & hæreticorum fallaciæ, aduerſus eam nullo vnquam tempore præualituras? Audis & ipſum omnipotentem Dei Filium, non vno aut altero tantùm ſæculo, *ſed in perpetuum* ſuam illi præſentiam, virtutemque repromittentem? MINISTER. Exaudio, atque inde Caluinianam malitiam ſatis damnare ac execrari non poſſum, qua contra tot diuina promiſſa & oracula contendere non formidat,

*ſic eam*

*sic eam multoties bellis, seditionibus, ac hæresibus oppressam fuisse, vt nulla parte fulgeret.* Oporteret enim & Christum non fuisse veracem in promissis; & eundem multis non solùm diebus, sed & annis, & sæculis à suis abfuisse.

10. DOCT. Præterea, perstringens Apostolus lectissimum ordinem à Christo per Spiritū sanctum in Ecclesia visibili ac in terris adhuc militante institutum, ait: *Eum dedisse quosdam quidem Apostolos, alios Euangelistas, alios Prophetas, alios Pastores & Doctores:* adfirmans perpetuandam hanc Hierarchiam, *donec occurramus omnes in vnitate fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, & mensuram ætatis plenitudinis Christi.* MINIST. Nihil ergo dubitandum quin omni sæculo extiterint ac deinceps futura sint in Ecclesia, isthæc pastorum & ouium, doctorum ac discipulorum externa officia atque visibilia ministeria; donec ad cęlestem illam Ecclesiā peruenerimus, inqua solus Christus pastorum omnium princeps præsidebit; & Deus euacuato omni principatu, erit omnia in omnibus. Sed iam ad Patrum doctrinam accedamus.

*Ephes. 4.*

*1. Pet. 5.*
*1. Cor. 15.*

11. DOCT. Primus occurrit Martialis vnus ex 70. Discipulis, de perpetua Ecclesiæ Christianæ constantia scribens: Inimicus venturus est, vt superseminet in populo Dei grana errorum: sed firma Ecclesia Dei & Christi, nec cadere, nec disrumpi poterit vnquam.

*Epist. ad Burdeg. c. 11.*

MIN. Egregia sanè viri Apostolici verba: & quæ multam pijs animis ingerunt fiduciam & consolationem.

12. DOCT. Non cedro tantùm, sed & auro digna mihi videntur ista Ambrosij de perennitate Ecclesiæ Catholicæ verba: Ecclesia videtur sicut Luna deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest: quia aliquorum quidem persecutionibus discessione minuitur, vt Martyrum confessionibus impleatur. Et idem rursum alibi: Et si vndarum fluctibus aut procellis sæpe (Ecclesia) vexatur, tamen nunquam potest sustinere naufragium: quia in arbore eius, id est, in cruce, Christus erigitur: in puppi Pater residet gubernator: proram, paraclitus seruat Spiritus: hanc

*Lib. 4. Hexamer. c. 2.*

*Lib. de Salom. ca. 4.*

per

per angusta huius mundi freta duodeni Apostoli & totidem Prophetæ in portum remiges ducunt: &cær. Hæc nauis Ecclesia est, quę etsi quotidie seculum istud tanquam aliquod pelagus sortitur infestum, nunquā elidituradsaxum, nec mergitur in profundum. Hucusque Ambrosius.

Huic adiungo beatum Hieronymum, scitè ac eleganter comparantem statum Ecclesiæ Catholicæ cum Rubo, quem inflammari quidem cernebat Moyses, non consummari. Sic videmus inflammari Ecclesiam persecutionibus, inquit, & eam, loquente in ea Domino, non perire. Perstringens quoque illud Isaiæ, *In lege eius sperabunt insulæ, &c.* ait: Quomodo insulæ turbine flatuq; ventorum, & crebris tempestatib. feriuntur quidem, sed non subuertūtur, in exemplum Euangelicæ domus, quæ supra petram robusta mole fundata est: ita & Ecclesiæ quæ sperant in nomine Domini, loquuntur per Isaiam: Ego ciuitas firma, quę non expugnatur. 13. *Epist. ad Fabiolam. Exod. 3. Quæst. 2. ad Algas. Isaiæ 11. 27. Matth. 7.*

His si placet, addam & Bernardum, stabilem & perpetuam Ecclesiæ in fide, spe, & charitate permansionem & Scripturis, & rebus pridem gestis comprobantem. Ait enim: Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in eam, & non cecidit, eò quòd fundata esset supra petram: petra autem erat CHRISTVS. Itaque nec verbositate Philosophorum, nec cauillationibus hæreticorum, nec gladijs persecutorum, potuit ista aut poterit aliquando separari à charitate Dei. 14. *Serm. 79. in Cant. Matth. 7. Matth. 16. 1. Cor. 10. Rom. 8.*

MIN. De his iam satis. Sed quoniam superiorum ac similium argumentorum pondere pressi ac omninò superati hæretici, tanquam ad tutissimum asylum confugere solent ad tempus Eliæ, quo persecutione Achab & Iezabelis, tanta facta est populi Israelitici à diuina lege, Patrumque veteri religione defectio, vt cum graui gemitu & lamentatione pius Vates ad Deum conquestus, quòd solus fidelium remansisset, *petiuit animæ suæ*, inquit Scriptura, *vt moreretur*. Itaque cùm nulla tunc esset veteris Ecclesiæ forma, nulla 15. Obiectio. *3. Reg. 19.*

nulla illius externa vel aſpectabilis ſpecies aut facies in terris appareret; *nihil mirum*, inquiunt, *ſi iſtud quoque multoties Eccleſiæ Chriſtianæ contigerit*. Hæc itaque obiectio tibi nunc eſt diſſoluenda.

DOCT. Et facilè, & multis modis id faciã. Primò enim etſi illis concederemus, quod (falsò tamen) præſupponunt, nimirum veteris Synagogæ externã formam ex orbe tunc omninò defeciſſe; nihil tamen idcirco aduerſus Eccleſiæ Chriſtianæ & viſibilis perennitatem obtinerent: quoniam & amplioribus & longè melioribus repromiſſis hæc quàm illa, à Chriſto ſponſo ſuo conſtabilita & confirmata eſt. Illa vmbram tantum habuit futurorum bonorum, Iudæiſque pro tempore pædagogus fuit ad Chriſtum. Illi nunquam dictum eſt, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*: nunquam, *Tibi dabo claues regni cælorum*: nunquam, *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*: nunquam, *Manebit vobiſcum in æternum Spiritus veritatis*: nunquam, *Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi*: quæ Eccleſiæ Catholicæ atque viſibili, ab æterno Dei Filio, qui mentiri non poteſt, apertiſſimè & conſtantiſſimè dicta & repromiſſa fuerunt. Atque ideo etiam ſi illa ad tempus ſuppreſſa & deleta fuiſſet; non tamen conſequitur, vt hæc aliquando de mundo ſublata ſit.

*Hebr.10.*
*Galat.4.*
*Rom.4.*
*Matth.16.*
*Luc.22.*
*Ioan.14.*
*Matth.28.*

Secundò, pernegamus externam veteris Synagogæ formam tunc omninò periiſſe; quandoquidem in tribu Iuda & Beniamin verus Dei cultus, adeoque in ipſo ſacrorum Ieroſolymorum templo, tunc palam vigeret ac floreret: atque in ore & oculis omniũ Legis & Prophetarũ extarent paſſim in Synagogis lectiones & conciones; exſoluerentur ac offerrẽtur decimæ atque primitiæ; deniq; totius religionis ſacratiſſimę Circũciſionis & Paſchatis cæremoniæ palam adhuc ſeruarentur. Illis etenim temporibus, Ieroſolymis imperauerunt Aſa, deinde Ioſaphat, piiſſimi Reges, qui fecerunt rectum coram Domino, (ait ſcriptura) ſicut Dauid Pater eorũ; abſtulerunt effœminatos de terra, purgaueruntque vniuerſas ſordes idolorum, quas ſtatue-

*3. Reg. 15. & 22.*

rant

rant anteceſſores eorum. Erat & Michæas filius Iemla, conſtantiſſimus Legis præco, &c. Itaque tametſi Eccleſiæ illius temporis exterior facies in regno Iſraelis valde deformis & obſcura eſſet, in regno tamen Iudæ non parum reſplendebat.

Tertiò, nec quidem tam vniuerſalis ac communis fuit in decem tribubus apoſtaſia, quàm iudicauit Elias, putans ſe ſolum relictum; vel ipſo Domino conteſtante, *plus ſeptem millia virorum adhuc in his ſupereſſe, qui non curuauerunt genua ante Baal.* Supererat et iam in ipſa crudeliſſimi Achab & Iezabelis aula pius princeps Abdias, timens Deum. Supererant centum Prophetæ, id eſt, Diuini verbi præcones, quos iſte alebat in ſpeluncis. Supererat Eliſæus cum ampla quoque familia. Supererat denique & ipſe Elias diuinæ Legis feruentiſſimus præco, qui magnis miraculis non exiguam populi partem ad hanc publicam Dei veri confeſſionem perduxit, *Dominus ipſe eſt Deus: Dominus ipſe eſt Deus*: atque ideo nihil Caluinianis criminationib. aut defectionibus patrocinari poteſt, quod de hiſtoria temporum Eliæ, ab eis aduerſus Eccleſiæ Catholicæ perpetuam firmitatem producitur. 3 *Reg.* 18. & 19. *Rom.* 11.

## *SPIRITVM SANCTVM NVNquam ſtuiſſe Eccleſiam Catholicam aberrare in fidei ac morum definitionibus.*

MINISTER.

ABſoluto primo capite, quod eſt de Eccleſiæ Catholicæ conſtanti perennitate; nunc ſupereſt, vt eam nunquam à vero rectoq; aberraſſe demonſtres. DOCT. Et id quoque Deo bene propitio nunc efficiam: atque ab incommodis & abſurdis quæ ſequerentur, ſi ea in cõmuni de fide ac bonis moribus doctrina hactenus, (quemadmodum Caluiniani volunt) aberraſſet, primùm ductis argumentis. Nam inde conficeretur, Deum non tanta beneuolentia & charitate complexum eſſe, nec tanta ſolicitudine curaſſe populos credentes & ſperantes in Chriſtum

ſtum vnicè dilectum Filium ſuum, quanta paſſim in ſacris literis iactatur & prædicatur, ſi tot millia fortiſſimorum martyrum, tot centurias ſanctiſſimorum paſtorum, Epiſcoporum, Doctorum & confeſſorum, tot cœtus caſtiſſimarum virginum & matronarum, tot examina piiſſimorum Anachoretarum & monachorum, tot denique myriades gentium & nationum; poſt ſacri initiationem lauacri, poſt ſanctiſſimæ Trinitatis inuocationem, poſt ieiunia preces lacrymas & vota innumera ad ſe fuſa, poſt tantos labores pro nominis ſui gloria exantlatos; tot inquam, filios hominum regeneratorum ab Oriente ad Occidentem & à Septentrione vſque ad Meridiem penitus dereliquiſſet ſine legitima Sacramentorum adminiſtratione, ſine veris paſtoribus, ſine vera verbi ſui interpretatione, ſine fide, ſine ſpe, ſine charitate, ſine peccatorum remiſſione, ſine Eccleſiæ vera communione, ſine religione, ſine lege, denique etiam ſine vero Deo, turpiſſimè & flagitioſiſſimè deſeruire idolis, Antichriſto, atque diabolo. Idque per mille ducentos, trecentos, ac etiam quadringentos annos; id eſt, donec Zuinglius ac Oecolãpadius ex horridulis Heluetiorum ſaltibus, Farellus & Viretus ex Alpium Delphinianorum antris, Caluinus ex Nouiodunenſibus popinis, Beza ex ganeis, Bucerus & Vermilius ex monaſterijs & clauſtris deſertis, Cnoxus & Buchananus ex luſtris ſuis in publicum prodierint; & hactenus maximis Europæ prouincijs inauditam Euangelicam veritatem tanquam primi, ſi dijs placet, Apoſtoli reuelauerint, protulerint, omnibuſque prædicauerint & annunciauerint. Donec, vt dicere inſtitui, aliquot miſeri concubinarij ſuas parœcias, aliquot omnibus modis diſſoluti monachi ſuas cucullas deſeruerint, & aliquot velut ſilentes vmbræ in foro patroni, aliquot ſine arte ac lucro medici, aliquot ludiones, ſartores, fullones, tinctores, ſutores, pelliones, decoctores, ſpretis negotiationibus ſuis, Caluinianæ Theologiæ Doctores ac Prædicantes repente facti, ſolam in Chriſtum fidem ad ſalutem requiri, opera verò

quam

quantumuis bona videantur, peccata mortalia coram Deo censeri, suis putidissimis orationibus toti excæcatæ Europæ patefecerint, docuerint, persuaserint. Interea verò, vtar verbis Tertulliani, perperam Euangelizabatur, perperam credebatur, tot milia milium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata. Aut si nec perperàm, nec in vacuum, quale est vt ante res Dei currerent, quàm cuius Dei notum esset? Ante Christiani, quàm Christus inuentus? Ante hæreses, quàm vera doctrina? Equid verisimile est, vt tot ac tantæ Ecclesiæ in vnam fidem errauerint? Nullam respexerit Spiritus sanctus, vti eam in veritatem deduceret; ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de Patre, vt esset doctor veritatis? Neglexerit officium Dei villicus, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quàm ipse per Apostolos prædicauit? Hæc ille aduersus Valentinianos, Marcionistas, & Gnosticos, quæ nos aduersus successores eorum Hugnosticos magno iure vsurpamus.

*Tertull. Præscrip. c. 28. et 29.*

*Io. 14. & 16.*

2. MIN. Res profectò attenta consideratione dignissima: quoniam verè vtique Spiritus sanctus non satis copiosè, & diligenter paracliti & doctoris officium suum præstitisset, si Ecclesiam Catholicam tot errorum tenebris inuolutam & prostratàm reliquisset, quando quidem non mansisset cum ea in æternum, non suggessisset ei omnem veritatem, nec in memoriam reuocasset quæcunque Christus dixit primis eius doctorib. Apostolis. Sed neque Pater ipse cælestis satis verax & constans haberetur in promissis, quibus se illam conseruaturum vt pupillam oculi sui pollicitus est, si tot sęculis eam pro libidine Satanæ excæcari, & pedibus Antichristi conculcari siuisset. Qui & rursus instar muri ignei in circuitu eius se futurum, & velut vnicè dilectam sponsam suam amaturum: nec id solùm, sed etiam vsque ad senectam & senium eam seruaturum & portaturum se recepit. Ait enim: *Vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram: ego portabo, & ego saluabo.* Tum in Euangelio eadem &

*Zach. 2.*

*Psalm. 16.*

*Isaiæ 46.*

amplificans & confirmans promissa, eius à se constituto primo & magno Pastori dixit, *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Omnino autem defecisset, si ante aduentum Caluini & Bezę, nec verum Euangelium, nec vera sacramenta, nec vera fidei doctrina in orbe permansissent, sed nefarijs erroribus ac Antichristi tyrannide subuersa fuisset vera religio: quod secundi absurdi locum iure obtinere poterit. Tertium adijce.

*Luc.22.*

3.

DOCT. Si Spiritus sanctus Ecclesiam in morum ac fidei definitionibus tandiu siuisset aberrantem, his non fecisset satis Christus, quæ veteres de illo Prophetæ prædixerant: nimirum quod crudelissimam illam tyrannidem, qua totum genus hominum Diabolus oppressum subactumque sibi retinebat, auferret: & eos in libertatem filiorum Dei assereret. Tolleret maledictionem, benediceret autem omnes gentes. Vniuersam è mundo deleret idololatriam, fictitiosque cultus ac superstitiones exterminaret: insereret verò hominum cordibus leges suas, ac vnius veri & viuentis Dei veram doctrinam, fidem atque religionem toto orbe spargeret atque plantaret. MIN. Daniel reuera id eleganter præsignauit lapide excisо de monte sine manibus, conterente idolum, seu statuam auream, argenteam, æream, ferream, ac fictilem; denique complentem cælum & terram. Nec dubito quin Ezechias & Iosias pij Reges, è finibus imperij sui idola, lucosque dissipantes, verum autem Dei cultum instaurantes; quid acturus esset per orbem Rex Regum Messias, factis ipsis vaticinati sint: quoniam veterum illorum sanctorum non solùm lingua, sed & vita Prophetica fuit. Accedit & hoc Isaiæ de rebus temporibus Christi futuris vaticinium: *Idola penitus conterentur. In die illa proijciet homo idola argenti sui, & simulachra auri sui, quæ fecerat sibi vt adoraret.* Et copiosius de ijsdem apud Ezechielem, ait Dominus: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam etc.* Tum adhuc per vnū ex nouissimis Prophetis mundo Deus pollicetur, quod sub aduentum Messiæ, futu-

*Genes.3.16. & 22. 1.Ioan.3. Luc.11.*

*Ierem.31.*

*Dan.2.*

*4.Reg.23. 2.Paral. 15.*

*Isa. 2.*

*Ezech.30. & 36.*

*futurus esset fons patens domui Dauid*, id est Ecclesiæ, *in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra: & pseudoprophetas, & spiritum immundum auferam de terra, &c.* Zach. 13.

DOCT. Iam te obsecro obtestorque, quomodo aut quando tam magnifica diuinaque de rebus in orbe post Messiam futuris promissa, omnino completa fuissent, si ex quo Ecclesia Catholica & Romana de fide ac moribus pronuncians, docuit sanctissimam Eucharistiam summo cultu adorare; beatissimam Deiparam, Angelos, Apostolos, Martyres, cælicolas omnes, & horum memorias decenti honore colere; quod iam plus mille & quingentis annis prædicatum & obseruatum fuit; vniuersus per Europam, Asiam, & Africam populus Christianus in tetris erroribus, superstitionibus, & turpissimorum idolorum sordibus, vt vestri vociferant, volutatus esset? MINISTER. Tantum abest profectò vt Spiritus sanctus illis oraculis suis satisfeciisset; vt multo magis è contrario, post aduentum CHRISTI incredibiliter multiplicatus fuisset omnis error & superstitio, supraque modum aucta idololatria, & propagatus in omnem terram cultus cacodæmonum: eò quod super numerum templa sint ædificata, erecta ad sacrificandum altaria, propositæ ad venerandum sanctorum reliquiæ atque imagines; & innumeris libris, decretis, & concionibus, cunctis hominibus tradita, & virtute Spiritus sancti persuasa huiusmodi religio. Ex quibus tandem consequeretur, aut sanctos Prophetas à mendacibus prædictionibus non posse excusari, aut Christum mundi Saluatorem nondum aduenisse, aut certè Spiritum sanctum suo erga Ecclesiam Catholicam officio omnino defuisse: quæ omnia tam absurda & execranda sunt, vt ea piorum aures ferre nequeant.

DOC. Quarto etiam loco sequeretur, eundem Dominum nostrum IESVM CHRISTVM frustra in hunc mundū venisse, frustra Patris sui voluntatē prædicasse mortalib. frustra tot miraculis Euangelicā doctrinam confirmasse; frustra corpus ad crucifigendū,

sanguinem vt effunderetur,& vitam vt morte tolleretur,obtuliſſe: ſicque peccata totius mundi expiarentur,carnificibus expoſuiſſe; fruſtra ſepultum, fruſtra reſuſcitatum; fruſtra Apoſtolos edocuiſſe ac in orbem ad erudiendas & tingendas omnes gentes miſiſſe: ſiquidem iuxta Caluiniana & Bezana decreta, Eccleſia per totum orbem diſperſa hactenus in fide ac moribus aberrans,docuerit idola colere, ac Antichriſto inſeruire. His enim pro ſua repurgata modeſtia, titulis exornant ſanctiſſimi Chriſti IESV corporis ac ſanguinis in Euchariſtia reapſe exiſtentis,cultum religioſum ſemper exhibitum; ac beati Petri in cathedra Romana Succeſſori continuè debitam obedientiam atque reuerentiam. Nec verum Deum, aut Chriſtum eius rectè agnouit aut coluit totum Romanum Imperium,donec noui illi Apoſtoli quos nominat, & pro ſua auctoritate indigetat Beza, in Europam proruperint,ac nouo Caluini Bezæque Alcorano, ferro,flamma, ignitis globis,proditionibus,ſeditionibus, ac cædibus viam aperuerint, ſedemque in illa conſtituerint.

5. *Ioan.10.* Sed neque etiam Paſtoris peruigilis ac ſoliciti officio perfunctus Chriſtus fuiſſet,ſi traditum ſibi à Patre gregem ouium tamdiu in poteſtate crudeliſſimarum ferarum non tam ſponte reliquiſſet, quàm volens & prudens tradidiſſet:quod quintum eſt incommodum. Inſuper, neque legitimi ac naturalis capitis munus ſubiuiſſet,ſic corpus ſuum myſticum, & ſingula eius membra ſine aliquo ſpiritalis vitę,motus,ac ſenſus influxu tantis temporum interuallis derelinquendo. Demum, nec Sponſum magno ſpiritalis Sponſæ ſuæ,id eſt, Eccleſiæ, zelo feruentem ſeipſum comprobaſſet, eam permittens quingentis,nongentis, mille ducentis ac trecentis annis, omnium hæreſeon ſordibus inquinari,ac etiam ipſius infeſtiſſimi hoſtis ſui Satanæ, & Antichriſti fœtoribus,flagitijſque in oculis ſuis turpiter cõſtuprari;quam pretioſiſſimi ſanguinis, ac crudeliſſimæ mortis ſuæ pretio ſibi redemerat, ſanctificauerat,& tanta celebritate deſpõderat. Dixerat enim per Prophetas velut per paranymphos ſuos,*Sponſabo te mihi in*

*Eph.1.4.et 5. Ephe.1.& 2.*

*Cant.3. Ioan.3. Apoc.21.*

*Epheſ.5.*

*Oſe.2.*

*hi in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia & in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide: & scies quia ego Dominus.* Dauid describit eum instar Sponsi egredientis de thalamo suo. Isaias verò istas Ecclesiæ de Sponsi præstantia & largitate gloriantis voces recitat: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimẽto salutis, et indumento iustitiæ circundedit me, quasi Sponsum decoratum corona: & quasi Sponsam ornatam monilibus suis.* Quomodo enim sponsata in sempiternum, si tanto tempore relicta? Quomodo sponsata in iustitia, misericordia, & miserationibus, si tandiu hostium exposita libidini? aut quomodo salutis ac iustitiæ ornatu circundata, si de Christo sponso suo, de verbo & testamento ipsius, si de salute per eum parta, si de sacris & sacramentis omnibus tam peruersè & nequiter statuit, quàm volunt aduersarij illius? *Psalm. 18.* *Isaiæ 61.*

MIN. Cedo nunc sextum incommodum. DOCT. 6. Apostoli primi eiusdem Ecclesiæ Pastores ac duces, postquam eam toto orbe plantassent & propagassent, non satis ei accuratè ac diligenter prospexissent de bonis, fidelibusque Episcopis atque doctoribus, qui commissum sibi veræ fidei depositum seruassent in ea, posterisque ac successoribus fideliter vt acceperant, tradidissent. Adeo vt nec Petrus Romæ vel Antiochiæ, nec Paulus per Græciam, nec Matthæus in Aethiopia, nec Ioannes in Asia, nec Andreas in Achaia, nec alij toto orbe dispersi à se fundatis primis Ecclesijs pro dignitate consuluissent, si homines imperitos, salutaris doctrinæ corruptores, & salutis commissarum curæ suæ animarum negligentes, sibi successores ordinassent & reliquissent. Etenim vt præclarè vidit & scripsit Irenæus martyr, Valde perfectos & irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos & successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterij tradentes: quibus emendatè agentibus fieret magna vtilitas, lapsis autem summa calamitas. *Lib. 3. c. 3.*

MINISTER. Iam septimum incommodum audire percupio. DOCT. 7. Veteris Iudæorum Synagogæ rebus, quàm Ecclesiæ Christianæ, SPIRITVS san-

ctus longè melius prospexisset atque consuluisset: & ideo non parum aberrasset Apostolus scribens, *Christũ melioris testamenti mediatorem esse, quod in melioribus repromissis sancitum est.* Nunquam enim illa vero & summo quodam Pontifice caruit; nunquam sacerdotibus, leuitis, aut quibusdam Prophetis veram religionem publicè docentibus ac exercentibus destituta diutius permansit. Tametsi verò Ieroboam, Achab, Manasses, Sedechias, alijque tyranni & desertores magnis eam cladibus affecerint, cultusque idolorum in eam inuehere conati sint; nihilo minus fortissimos suę religionis cultores & doctores Eliam, Elisęum, Tobiam, Isaiam, Ieremiam, Michæam, filiosq;, id est, discipulos huiusmodi sanctissimorum Prophetarum, Spiritus sanctus opposuit, qui horum conatus retardarent & propulsarent, Aegypti ac Babylonis captiuitatis illius ordinem pietatemq; miserabilem in modum dissiparunt & deformarunt; veruntamen exemplis sanctissimorum Leuitarum, Amram, Mosis, Aaronis; deinde Danielis & sociorũ eius, Ezechielis, Esræ, Nehemiæ, Mardochæi, ac multorũ similium continuis adhortationibus, magna populi pars in veræ pietatis publica professione constanter permansit. Hamanes, Ptolomęi, Antiochi, Lysiæ, Triphones, Nicanores, Timothei, Gorgiæ, Heliodori ac consimiles gigãtum fraterculi, vniuersum Legis & Regni illius statum horrificè quatefecerunt: sed ad eum propugnandũ & sartum tectumq; seruandum optimos Iaddos, Simeones, Eleazaros, Onias, Syrachos, Matthatias, & Machabæos illicò Dominus destinauit, quoadusq; veniret Christus, quem illa interim concipiebat & pariebat. Atq; sic inter prospera & aduersa, inter persecutiones & tranquillitates Spiritu S. aspirante, supra 2000. annorum salua permãsit veteris Synagogæ publica fides atq; religio. Cõtra verò, si Bezanis & Caluinianis credatur, Ecclesia sãcta Catholica & Apostolica, sublatis Apostolis ne vno quidẽ aut altero seculo in eorũ syncera doctrina pietateq; perseuerauit: sed mox de viríb. liberi arbitrij, de bonis operibus & eorum meritis, de iustificatione, de sanctorũ cultu & intercessione, de Sacramentorum effectis ac

Heb. 8.

riti-

ritibus,cæteriſq́ue doctrinę Chriſtianæ ſummis capitibus perperam docuit atq; decreuit, Spiritu S.perpetuo doctore ac conſolatore ſuo deſtituta. Pluſquā mille annis, vero ſenſu Euangelij,vera Apoſtolicorum ſcriptorum intelligentia,veris miraculis, veris Epiſcopis & doctoribus,veris & manifeſtis Dei cultorib. omnino caruit:ſicq; falſi ſunt Prophetæ affirmantes, gloriam nouiſſimæ huius domus Domini longè maiorem & potiorem futuram eſſe,quàm primæ: falſuſq́ue Chriſtus dicens Apoſtolis, *Miſi vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* *Agg.2.* *Ioan.15.*

8. Denique,ſequeretur(id citra acerbiſſimum cordis dolorem & horrorē dicere nequeo) quod omnes ſancti Epiſcopi,ſacerdotes,monachi quantauis pietate excelluerint,qui nos abhinc mille annis in Gallia, Hiſpania,Italia,Sicilia,Cypro,Polonia,Suedia,Dacia,Hūgaria,Dalmatia,Germania, Boëmia, Anglia, Scotia, Hibernia,cæteriſq; Chriſtianorum regnis, in Chriſto præceſſerunt;omnes Imperatores,Reges,Duces,Principes,nobiles,& magiſtratus,qui res publicas cū pietate &laude adminiſtrarunt;oēs ciuitates,vrbes,caſtra, oppida Chriſtiano nomine comprehenſa;omnes deniq; parentes & maiores noſtri quamquam religioſi ac Deū timentes,tanquam Papiſtæ, excæcatiq; idolatræ, æternis inferorū tormentis flammiſq; nunc dimerſi cruciarētur & diſtorquerentur.Equidē certè nullus illorū profanis Caluinianorum ac Bezanorum aduerſus ſeptem Sacramenta,Purgatoriū,Concilia,Romanā ſedem,traditiones Apoſtolicas,erroribus adhęſit:nullus ſuperi⁹ enumeratas aduerſus Trinitatē,Dei perfectiones,Chriſti ac Spiritus S. opera & myſteria, teterrimas blaſphemias admiſit aut probauit:ſed quæ aduerſus eas defendimus & adſeruimus Catholica dogmata.Omnes eam fidē ſequuti ſunt, quā à maiorib. & hi primū ab Apoſtolis,& viris Apoſtolicis receperant.Eandē omnes fideliter retentā,poſteris ſuis & viuendo tradiderunt,&⁹moriendo ſolicitè cōſtāterq; cōmendauerunt. Omnes Eccleſię Catholicæ decretis & verbis obaudientes, vnum & ſummum in terris Pontificem,deinde Epiſcopos vt legitimos Paſtores,

ſuos, (vt & nos) obſeruauerunt; omnes Chriſtum in Euchariſtia ritè conſecrata verè ac reipſa præſentem crediderunt & adorauerunt; omnes & Angelos & Deiparam & Apoſtolos & Martyres & cunctos cælicolas venerati ſunt, coluerunt & inuocauerunt; & venerabiles eorum imagines ſacris communibuſque locis retinuerunt; & vt concludam, quicquid nunc à Nouatoribus in cõtrouerſiam aduerſus Catholicam fidem adducitur, id omne non ſolùm nobiſcum tenuerunt & crediderunt: ſed & multis antea ſæculis à parentibus acceptum & ſeruatum omni conſtantia vt Apoſtolicã & verè Catholicam doctrinã defenderunt, & ad nos vſque perduxerunt. Hæc porrò Caluinianis ſunt ſuperſtitiones, corruptelæ, inuenta humana, notæ Antichriſti, ſignacula beſtiæ, ac execrabiles idololatriæ, Chriſti apertæ negationes &c. Quid ergo illis pro huius religionis defenſione & propagatione, Prædicantum iudicio, ſupereſſe poteſt, præter ſempiternam ruinam, iram Dei, gehennam perpetuam, fletum & ſtridorem dentium? Quid reddi debet illis præter ignem æternum, *paratum diabolo & Angelis eius?* Atque hæc nouorum iſtorum Reformatorum de ſuis noſtriſque parentibus, priſcis Paſtoribus, magiſtratibus, & cunctis anteceſſoribus cenſura, hoc iudicium: quod aliud non eſt ab horum atheorum ſententia, qui vt improbos omnes beatos dicerent, *vniuerſam filiorum Dei nationem reprobabant, dicentes malum bonum, & bonum malum: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Hæc quoque incommoda, hæc abſurda, hæc turpia, hæc nefaria, hæc quæ omnium mentes aſpernentur & abhorreant; quæ tamen neceſſariò conſequuntur, ſi ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam in his quæ ad fidei ac bonorum morum rationem ſpectant, SPIRITVS ſanctus aberrare permiſerit.

*Sup. pag. 5. & c. & pag. 141. etc.*

*Matth. 25.*

*Pſalm. 72. Iſaiæ 5.*

9. MIN. Ad hæc omnia ne hiſcere quidem valeo, quandoquidem cum his diutius verſatus, particeps que omnium ſectę conſiliorum, familiarium colloquiorum, concionum, librorum, diſputationum, atque concluſionum; probè cuncta ſuperius adducta vera & certa eſſe non dubito. Itaque propriæ ſalutis ſuper

omnia

omnia ſtudioſus, credam in poſterum SPIRITVM veritatis & totius veræ religionis authorem & Doctorem, ſic ſemper Eccleſiæ Catholicæ adfuiſſe, vt nunquam illam à vero rectoque abduci paſſus fuerit: nequando in abſurda ſuperius commemorata incidam. Verùm, ſi quas habes apertas Scripturas, vel Patrum dogmata, quæ idipſum corroborent, nunc libens audiam. DOCTOR. Occurrit in primis hic certiſſimus & apertiſſimus fidei articulus: *Credo ſanctam Eccleſiam.* Qua enim potiſſimùm parte ſancta & pura eſſe poteſt, quandiu in terris inter tot ſcandala & tentationes peregrinatur, niſi in his decernendis atque tradendis, quæ ad filiorum ſuorum fidem & mores componendos pertinēt? Hanc enim ob rem, vt piè peritèque Cyrillus Ieroſolymitanus ante mille & ducentos annos obſeruauit; habetur in illa omne genus virtutis, in factis & dictis, & ſpiritualibus chariſmatibus omnigenis: & paſſim in Scripturis appellatur *Domus Dei, Eccleſia ſanctorum, Regnum cælorum, & Sponſa Domini noſtri.* Apoſtolus quoq; ſcribit ad Timotheum: *Vt ſcias quomodo oporteat in domo Domini conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viuentis, columna & firmamentum veritatis.* Symbol. Cateches. 18. Heb. 3. Pſal. 149. Matth. 13. 25. Apoc. 21. 1. Tim. 3.

10. Sunt rurſum in hanc rem apertæ & certæ Scripturę illæ, quibus pro certo adfirmatur, quod Eccleſia ſit *corpus Chriſti, & Chriſtus caput Eccleſiæ.* Inſuper, Spiritus ſanctus dicitur in ea *manere in æternum, & docere omnem veritatem.* Itaque ne Chriſto aut Spiritui ſancto errorum nota impingatur, neceſſe eſt omnis erroris in ſuis decretis expertem eſſe Eccleſiam. Ephes. 1. 4. 5. Ioan. 14. 16.

11. Denique, certum eſt Chriſtum nunquam tam ſedulò præcepturum fuiſſe, vt omnes Eccleſiæ voces & decreta exaudirent, ni vellent haberi *pro Ethnicis & Publicanis*, ſi illa erroneis decretis poſſet aliquando vel falli vel fallere. Sed neque cœtui Apoſtolorum, quo repræſentabatur Eccleſia, tam aſſeueranter dixiſſet, *Qui vos audit, me audit*: ſi cuiquam iure liceret falſitatis eandem accuſare. Non poteſt itaque illa vel errorem docere, vel peccatum cuiquam vnquam imperare. Matth. 18. Luc. 10.

12. MIN. Iam veterum Patrum quibuſdam teſtimonijs diſputationem iſtam claudamus. DOCT. Am-

*Lib. 1. com. in Luc.* brosius adfirmat, Eam ab initio esse immaculatam: non per naturam, sed per Dei gratiam, & qualitatem sui: & quia iam non peccat, fit vt immaculata videatur. *Dialog. cont. Lucif. & Ep. ad Epiphan.* Hieronymus tradit eam perpetuò virginē incorruptā, non scortum: hancque illi Dominum largitum esse gratiam, vt corpus eius integrum seruetur, & in nullo *Lib. 1. cont. Eresion. c. 33.* hæreticorum dogmatum venena præualeant. Augustinus quoq; docet, Scripturarū veritatem teneri, cum hoc facimus, quod vniuersæ placuit Ecclesiæ, quam Scripturarum commendat authoritas. Alicubi quoq; idem præclarè concludit: Vt contra rationem nemo sobrius, sic contra Ecclesiam nemo Christianus sentit aut loquitur. MIN. Iam mihi de propositis duobus articulis abundè satis factum est: reliqua persequamur.

## *SPIRITVM SANCTVM NON promiscuè hîc vnumquemque certum reddere suæ electionis ac prædestinationis æternæ; aut quod sit verè iustus & in gratia: aduersus 39. & 40. hæresim.*

DOCTOR.

POsteaquam veris ac proprijs SPIRITVS sancti ófficijs Satanas per vestros Prædicantes pro virili detraxit, iam falso & omnino ab eius diuina maiestate & dignitate aliena, eidem, per eosdem, nec sine cōtumelijs, affingere conatur: atq; in primis, quòd cùm hîc adhuc inter innumera pericula & scandala militamus, Vnumquemq; fidelium omninò certum reddat, idque certitudine fidei, quod sit ab æterno electus & prædestinatus ad vitam æternam: deinde etiam, quod sit coram Deo verè iustus ac in gratia, quam in Scholis appellamus, gratum faciente. Beza *Conf. puncto 4. ar. 5. & 13.* enim *Fidem vult esse certam quandam scientiam, quam Spiritus sanctus in cordibus electorum insculpit, qua vnusquisque eorum de sua electione in corde suo adeo certus est, vt de illa dubitare non debeat.* Scribit rursum postea: *Oportet vnumquemque priuatim apud se concludere: Sum in IESV Christo per fidem, & ideo perire non possum, & de æterna salute mea sum*

*sum securus.* Caluinus passim libro de prædestinatione, Institutionis, & Harmoniæ, vtranque sententiam pro viribus amplificat & inculcat, innumera suo more, euomens conuitia in cos, qui aliter docent atque sentiunt.

MINIS. At ego habeo eiusdem Bezæ atque Caluini quædam non aspernanda testimonia, quę vtramque simul sententiam refellant & coarguãt. Ait enim ille: *Solus Deus nouit qui sint sui: cuius secreti integram ei relinquimus vt æquum est, notitiam, quotiescunque de proximis nostris agitur.* Etenim si fidelium æterna prædestinatio ac electio esset publica & communis reuelatio, à Spiritu sancto per sacras Scripturas (vt alibi contendunt) palam ædita & comprobata, tantundem mihi de proximi electione, atque de propria reuelaretur, idque pari fide credendum obijceretur. Cùm itaque notitia de proximorum electione Deo relinquenda sit, identidem de cuiusque nostrûm electionis cognitione præstandum erit. Confutatio 1. Conf. puncta 4. art. 47. 2. Tim. 2.

Iste verò adfirmat, *Eos regno Christi expellendos, qui certam eius vitæ iam sibi arrogant possessionem. Deum nullis exorabilem futurum, quàm his qui cum tremore ad eius confugiunt misericordiam. Et nisi in animis nostris magno timore & tremore concutiamur, peruersam fiduciam mox in carnem nostram irrumpere.* Iam verò si certam vitæ æternæ possessionem non liceat nobis arrogare, ne tota excidamus; nónne Caluiniani & Bezani eius omnino extorres erunt, qui eam sibi tam arroganter quàm temerariè vendicant? Et si Deus his tantùm exorabilem se præbeat, qui cum iudiciorum suorum timore ac tremore ad suam confugerint misericordiã, vbi ea quam sibi repromittunt, æternæ salutis atque iustificationis suæ securitas & fiducia vt de vtraque dubitare non liceat? Et cùm diuinus metus animis nostris tantopere vtilis & necessarius sit, procul certè abigere oportet eam quam ingerunt electionis & iustitiæ propriæ temerariam iactantiam & præsumptionem; vt iuxta pijssimam B. Paŭli cõmonitionem, *Cum metu & tremore salutem nostram operemur.* Coapostoli quoque eius Petri adhortationem sequuti, *In timore incolatus nostri tempore conuersemur.* 2. In c. 14. Luc. ver. 24. & c. 18. v. 13. In c. 8. Matth. vers. 25. Phil. 2. 1. Pet. 1.

Ad

3. Ad hæc, ingenti confidentia Caluinus adfirmat, *In cap. 27. Matth. Instit. lib. 2. cap. 16.* *Christum aliquando de salute animæ suæ non solùm dubitasse; sed & adeo diros in eadem anima sua cruciatus damnati ac perditi hominis pertulisse; adeo omnia irati & punientis Dei signa expertum esse; adeo horribilis exitij metu & anxietate cruciatum esse; adeo profundam mortis abyssum exhorruisse; adeoque diuinæ maledictionis horrore percussum esse, vt in desperati hominis voces eruperit.* Ex quibus sic ratiocinari mihi liceat. Si Christus omnium nostrûm Seruator, de salute animæ suæ dubitauit; an non Caluiniani eò sunt feliciores, quòd de sua nec dubitent, sed nec vllo vnquam pacto de electione & iustificatione propria ambigere debeant? Christus æternus Dei Filius, iram Patris sui adeo timuit, vt diros in anima sua sentiret cruciatus; ergo longè beatiores eo sunt Bezani, quibus & semper & vbique persuasissimum est, quod sint coram eo iusti, dilecti & chari. Christus perditionis metu & anxietate cruciatus est; præstãtiores ergo sunt illo Geneuani, qui nullam sibi à Deo perditionem metuunt, sed neq; metuere possunt aut debent. Christus profundam mortis abyssum animo exhorruit; ergo longè maiori constantia, magnanimitate, ac virtute animi præditi Hugnostici omnes, qui nullam abyssum, nullam mortem, nullam damnationem exhorrent; quippe qui de æterna prædestinatione, & presenti iustitia sua sunt securissimi. Ecquid hoc aliud est, quàm Luciferiana superbia, & prorsus diabolica præsumptione, temeritate, & arrogantia, sese supra Altissimi ac Omnipotentis Dei verè altissimum & omnipotentem Filium attollere; & maiorem sibi gratiam & gloriam insolentissimè & intolerantissimè arrogare? Atque hæc sunt quæ ex illis aduersus istas eorum sententias nunc mihi obijcienda in memoriam occurrerunt. Tu quod præstò habes dicito.

4. DOCT. Habeo grauissimas quorumlibet electorum ac sanctorum Dei seruorum querelas, expressas in Dauide, quæ satis indicant quanto metu ac tremore ad peccatorum suorum memoriam, & diuinorum iudiciorum recordationem consternantur, timentes ne in æternum à Deo abiecti, damnatique reprobẽtur.

Plan-

Plangore etenim & lamentatione terram complens, ille exclamat: *Ab occultis (peccatis) meis mũda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.* Tum etiam alibi palàm efferens quanto diuini ac diſtricti iudicij timore percelleretur, ait: *Iuſtitia tua ſicut montes Dei, iudicia tua abyſſus multa. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo. A iudicijs tuis timui.* Hic nullam audis de æterna electione aut prædeſtinatione ſua iactantiam, nullam de præſenti iuſtitia ſecuritatem: ſed magnam trepidationem, magnam de peccatis contritionem, maximam denique iudicij ac perditionis deprecationem. Ergo cùm tantus Dei ſeruus toto corpore tremit, totoque animo profundiorem mortis abyſſum propter ſuperioris ætatis ſuæ peccata reformidat; extremæ profectò vel ſocordiæ vel temeritatis eſt affirmare, Nemini de ſalute ſua timẽdum eſſe, propterea quòd vnuſquiſque fidelium exploratam perſpectamque habeat in corde æternam ſuam electionem. Nam ſi vir iſte ſecundum cor Dei, poſt tot diuinę erga ſe beneuolẽtiæ manifeſta teſtimonia, poſt tranſlatum à ſe peccatum, poſt ſacrificia Deo grata, adhuc metu ac tremore damnationis & reprobationis adeo concutitur; quam fiduciam, quam ſecuritatem audebunt ſibi repromittere hi, quos conſciæ ſibi continuè vellicant, mordent, & flagellant conſcientiæ propter innumera grauiaq; peccata? An non potius eiuſdem verbo ac imitatione, cum gemitibus & ſuſpirijs iugiter eis clamandũ: *Ne proijcias me à facie tua? Ne proijcias me in tempore ſenectutis cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me? Non me derelinquas vſquequaque? Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne diſceſſeris à me? Intende in adiutorium meum Domine Deus ſalutis meæ? Intende animæ meæ, & libera eam? Non abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum?* MIN. Longè tutius certè ac ſalubrius id fieret, quàm de ſua præſumere prædeſtinatione, aut de ſuæ iuſtificationis ſecuritate inſoleſcere. Tametſi enim externi homicidij aut adulterij non omnes cum Dauide ſint rei, habent tamen

Pſal. 18. Pſal. 6. & 37. Pſal. 35. 118. & 142. Pſal. 50. 70. Pſal. 37. Pſal. 68.

fortaſ-

fortaſſis, longè grauiora ſuperbię, inuidiæ, odij, ingratitudinis in Deum, philautiæ, cogitationum blaſphemiæ, ſpiritalia peccata; quibus animæ & fornicantur à Deo, & ſeipſas occidunt præcipitantque in mortem ſempiternam: atque ideo à diuinis ſeuerisque iudicijs debent trepidare, ſibique timere, & huiuſmodi Caluinianam ſecuritatem procul à ſe repellere.

5. DOCT. Sunt etiam in ſacris literis expreſſa Iobi, Iſaiæ, Ezechiæ, Danielis & ſociorũ, Tobiæ, Eſdræ, &c. lamentabiles cõqueſtiones, quibus & peccata ſua coram Deo humiliter & demiſsè confitentur, & iudiciorum illius ſeueritatem deprecantur, orantq; ne pœnas his debitas inferat: nullam verò de ſua electione æterna, aut præſenti iuſtitia mentionem audies. Primus enim quaſi ad Dei tribunal vocatus ait: *Quãtus ſum ego, vt reſpondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiã ſi habuero quippiam iuſtũ, non reſpondebo: ſed meũ iudicem deprecabor.* Poſtremus autem cum multa cõſternatione exclamat: *Deus meus, confundor & erubeſco leuare faciẽ meam ad te, quoniã iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra creuerunt vſque ad cælum à diebus patrum noſtrorum. Sed & nos ipſi peccauimus grauiter vſque ad diem hanc, &c.* Quid his vel ſimile, vel affine Caluiniani? Omnes ſeu verbis ſeu ſcriptis gloriantur ſe electos ac prędeſtinatos eſſe ab æterno, omnes huius rei adeo certos vt ambigere nefas ſit, omnes ex vteris matrum ſanctos effectos, omnes adeo in gratia & fauore Dei receptos, vt nullo vnquã modo poſſint excidere. MIN. Me non ſolùm piget ſtultitiæ eorũ, ſed etiam pudet.

Iob 9.

1. Eſdr. 9.

6. DOCT. Rurſum, temerariam ſecuritatem iſtam D. Pauli metu refello. Is enim à Domino Ieſu immediatè, cælitusque ad Apoſtolatum vocatus, ad tertium vſque cælum raptus, vt arcana quæ non licet homini loqui, exaudiret, cùm nullius ſibi ſceleris conſcius eſſet; huiuſmodi tamen ſecuritate prædituin ſe apertiſſimè denegans, ait; *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Quid ergo? *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* MIN. Reuera, Deus multo acutius cernit

1. Cor. 4.

1. Cor. 9.

quàm

quàm nos: ac proinde quod nitidiſſimum nobis appa-
ret, ſordet in eius oculis. Ille pluſquam perſpicax eſt,
nos obtuſi ſumus: ille ſeueriſſimus iudex, nos indul-
genter nimium ſentimus de nobis. Nouerat, nouerat
pro certo Dei fulgore ſtellas etiam obtenebrari, eius
robore liquefieri montes, eius ira terram concuti, eius *Iob 4.15.33.*
ſapientia deprehendi in aſtutia ſua prudentes; ſed nec
ipſos etiam cælos mundos eſſe in conſpectu eius. At-
que huc attollens oculos, trepidare potius elegit, quàm
temerè exultare. Nouerat inquam, Dominum, cuius
vult miſereri, & quem vult indurare: quodque iam ad
Romanum populum, omnium Chriſtianorum ergô
ſcripſiſſet: *Propter incredulitatem fracti ſunt rami, tu autem* *Rom.9.11.*
*fide ſtas. Noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturali-*
*bus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bo-*
*nitatem & ſeueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, ſe-*
*ueritatem: in te autem bonitatem Dei ſi permanſeris in boni-*
*tate: alioquin & tu excidêris.* Quapropter verè diabolicã
video eſſe ſecuritatem, ſic pluſquam iuueniliter de
ſua prædeſtinatione & iuſtificatione quaſi de re peni-
tus explorata exultare & gloriari.

DOCT. Quam ob rem etiam ſcripſiſſet ad Corin- 7.
thios, *Qui ſtat, videat ne cadat*, ſi quiſque electorum tam *1.Cor.10.*
æternę electionis, quàm iuſtificationis, ac perſeuran-
tiæ ſuæ in finem prorſus ſecurus ac fide certus eſſet?
Aut iuſta occaſione timuiſſet, ne Serpens qui ſeduxe- *2.Cor.11.*
rat Euam aſtutia ſua, ita corrumperet ſenſus eorum, &
excíderent à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto Ieſu; ſi hi
qui electi, iuſtificati, & ſemel in gratiam recepti ſunt,
ab his omninò excidere non poſſent? Aut ad Hebręos
ſcripſiſſet: *Timeamus ne fortè relicta pollicitatione introeũdi* *Hebr.4.*
*in requiem eius, exiſtimetur aliquis noſtrum deeſſe*; ſi fides
vnumquemque priuatim ſalutis ſuæ ſecurum redde-
ret ac certum?

MIN. Nunquam certè Deus tot Prophetarum & 8.
Apoſtolorum vocibus diuinæ iuſtitiæ ſuæ metum, ac
diſtricti iudicij ſui terrorem incuſſiſſet mortalibus, ſi
Spiritu ſuo in cordibus fideliũ huiuſmodi cõtrariam
iuſtitiæ atq; ſalutis propriæ ſecuritatẽ infunderet. Sed
neque tam ſtudiosè promiſſis ſuis conditionalem di-
ctionem

Matth.19. Ioan.5. ctionem appoſuiſſet, dicens: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Nec his vſus eſſet verbis: *Qui bona fecerunt, ibunt in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in reſurrectionem iudicij.* Nec comminationes iſtas pollicitis ſuis adhibuiſſet: *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes & areſcet, & in ignem mittent, & ardet;* niſi temerariam de ſalute propria perſuaſionem voluiſſet è cordibus noſtris excutere; contrà verò in ſancto timore, ac bonorum operũ ſtudio mentes noſtras perpetuò retinere.

Ioan.15.

9.

Rom.11. Pſal.65. DOCT. His adde, quod ſi ex hac parte attentè conſiderauerimus quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia Dei, & inueſtigabiles viæ eius, quamque terribilis ſit in conſilijs ſuis ſuper filios hominum; ex altera verò ſummam intellectus humani imbecillitatem, planeque ſtupidam ignorantiam, qua nec nos ipſos, nec ſenſuum, nec corporum, nec facultatum animæ compoſitiones aut naturas ſatis perſpectas habemus; ſed neque cordium cogitationes ſeu præſentes ſeu futuras non eſſe nobis exploratas; quanta denique ex ordinibus & perfectionibus Angelorum, ac corporum cæleſtium motibus & influxibus nos lateant: non inuiti ſanè confitebimur ſummi Dei de noſtra, huiuſque, ac illius æterna prædeſtinatione aut reprobatione conſilia atque decreta, prorſus nobis imperuia & inſcrutabilia eſſe. *Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut conſiliarius eius fuit? Cum quo iniit conſilium, & inſtruxit eum, & docuit eum ſemitam iuſtitiæ, & erudiuit eum ſcientiam, & viam prudentiæ oſtendit illi? Quis hominum poterit ſcire conſiliũ Dei: aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ. Difficilè æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt inuenimus cum labore; quæ autem in cælis ſunt, quis inueſtigabit?* MIN. Non eſt ambigendũ profectò, quin his vocibus ſuis nos Spiritus ſanctus remittat ad noſtræ imbecillitatis ac ſtupiditatis conſiderationem, vt hac ſuperati ſubactique diſcamus non temere in æternum ac ineffabile Dei conſilium irrumpere, nec de noſtra aliorúmve prædeſtinatione vel reprobatione pronunciare. Atq; ad hoc etiam pertinere iudico,

Rom.11. Iſa.40.

Sap.9.

quod

quod ait Paulus: *Noli altum sapere, sed time.* Et iterum: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Rom. 11. Rom. 12. 10.

DOCT. Omnium autem maximè in hæc Spiritus sancti oracula erigendi ac defigendi sunt animi nostri. *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorũ in manu Dei: & tamen nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta, eò quòd vniuersa æquè eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & sacrificia contemnenti.* Eccles. 9. MIN. Certè apertioribus aut grauioribus verbis nemo posset Bezanam de propria *cuiusque electione* ac iustificatione scientiam atque securitatem damnare, quãdoquidem si omnia nobis nunc incerta sunt, horumque manifestatio in futurum seruatur, *cùm Deus reuelabit abscondita tenebrarum, & aperiet consilia cordium,* inconsideratissimæ ac dementissimæ procul dubiò temeritatis pleni sunt, qui omnem de sua electione æterna, aut præsenti iustificatione certitudinem tam asseueranter sibi repromittunt. 1. Cor. 4.

Sed quid ad superiora Sapientis verba Hieronymus commentatur velim audire. DOCT. Hac paraphrasi illorum germanum sensum explicat: Etiam in hoc dedi cor meum, & scire volui, quos Deus diligeret, & quos odisset: & inueni iustorũ quidem opera in manu Dei esse: & tamen vtrum amẽtur à Deo, an non, nunc eos scire non posse, & ambiguò fluctuare, vtrum ad probationem sustinent, an ad supplicium. In futuro autẽ scient, cùm de hac vita decesserint. MIN. Equidem non possunt in hoc articulo Hieronymus & Caluinus cõuenire. Quod enim vir ille sanctus iuxta Scripturam, dicit mortalibus ac viatoribus ignotum ac incertum: profanus iste tam manifestum ac certum affirmat, vt non liceat dubitare. 11. Hieron. in c. 9. Eccles.

DOCT. Idem rursum alibi tam frequenter quàm piè quemque nostrum admonet, Cauendas ac metuendas esse carnis, mundi, & diaboli tentationes ac insidias, diuinum continuò inuocandum esse aduersus illas patrocinium, timendum ne labamur, & futurum Dei iudicium perhorrescẽdum. Ait enim. Nullus intrepidus incertusque de sententia, absque pauore Iudi- 12. In cap. 30. Ezech.

*In c. 5. Mat.* cem præstolatur. Aut rarus, aut nullus poterit inueniri, qui ira corripiente non dignus sit: nec erit vlla anima, quæ non paueat ad iudicium Dei, cùm astra quoque non sint munda in conspectu eius. Denique *In c. 2. Iere.* etiam aduersus hæreticam securitatem inquit: Semper in periculo consistimus, & vbique diabolus tendit laqueos suos, frustra hæresis suspicatur hîc perfectam esse victoriam, vbi assidua pugna est, & incertus exitus furorum.

13. MIN. De Hieronymo iam satis: ad Augustinum accede. DOCT. In hanc hæreticam præsumptionem magna confidentia inuectus, clama: Quis ex multitudine fidelium, quandiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? Quasi dicat, Neminem reperiri tanta inflatum arrogantia & impudẽtia, qui idipsum audeat profiteri. Et ea propter addit, Expediuisse hoc mysteriũ nobis ignotum esse, ad domãdam innatam cordibus humanis elationem: quæ etiam cauenda fuit in Paulo, atque in hanc rem datus ei stimulus carnis Angelus Satanæ, qui eum colaphizaret. Alibi rursum nõ superbè de se præsumere, sed multo magis humiliter sapere atq; timere sic docet: Quantalibet iustitia sit præditus homo, cogitare debet ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inueniatur esse culpandum, cùm Rex iustus sederit in throno: cuius cognitionem fugere delicta non possunt, nec illa de quibus dictum est, *Delicta quis intelligit?* Cùm ergo Rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? Aut quis gloriabitur, mundum se esse à peccato? Et alio in loco, ad incerta & occulta diuinæ sapientiæ referendum esse docet, An ignoscat Deus, & quibus, qualiterque ignoscat. Et ad hoc incertum Niniuitas pœnitentiam egisse dicentes: *Quis nouit, si Deus flectat in melius sententiam suam, & misereatur?* Ait demũ & libro sexto Hypognosticon, Se multos cognouisse multiplici virtute præditos, tandem in senecta prolapsos perijsse: contrà, alios in grauissimis delictis maiorem ætatis partem transegisse, qui tandem à vitijs conuersi, beati euaserũt. Vidisse præterea paruulos in complexu parentum cùm ad sacrum lauacrum

*2. Cor. 12.*

*L. de perfect. iustitiæ c. 19.*

*Psal. 18.*
*Prou. 20.*

*Comment. in Psal. 50.*

*Ion. 3.*
*Ioel. 2.*

crum deferrētur, vitam cum morte antequam regenerarentur, cōmutasse. Quisborum diuinorū iudiciorū exactā rationē exoluet? An nō decet nos post Psalrem exclamare: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ! Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* MIN. Prodigiosum planè, nullum esse in Caluiniana secta tam sordidum ministrum, stolidum Superintēdentem, aut impurum Hugnosticum, qui non palam iactitet se probè perfecteque nouisse, quid de illo Deus singulariter statuerit: nimirum quòd pro certo sit de numero electorū; item, per fidem in Christum iustus & gratiosus coram Deo; & ab hac iustitia quicquid vnquam agat, nequaquam excidere possit; atque hæc omnia tam certa & perspicua sibi esse, quàm si super Apostolum Paulum ascendisset, in octauum, nonum, ac decimum cælum, ibidemque in corde ac mente Dei altissimi cuncta eius consilia & iudicia euidentissimè conspexisset, quæ nec ipsis beatissimis Angelis nota sunt. Precor cōmunem Deum ac Dominum nostrum, vt ab hac cæcitate illos tandem aliquādo expediat, reducat verò in eam quam deseruerunt lucis veritatem. Pergamus ad reliqua. Psal 91. Psal. 91.

## *SPIRITVM SANCTVM ALIQVOties permittere vt veram Fidem semel à se datam homines amittant, nec donum PERSEVERANTIAE illi semper aut necessariò connexum esse: aduersus 41. & 42. hæresim.*

### DOCTOR.

IN duplici rursum errore versantūr, Spiritui sancto affingētes quod semel à se fidem nunquā extingui sinat, nec perseuerantiæ donū ab eadem vnquam seiungi permittat. Hoc est enim Caluinicum axioma. *Vt nunquam extinguitur Spiritus ille, (sanctus) ita & fidem quam ille insculpsit piorum cordibus euanescere & perire impossibile est.* Bezam mali corui malum ouum aliter crocitare non decuit: ac ideo scripsit: *Donum Fidei à dono perseuerantiæ nunquam potest separari.* Easdem ne amplecteris sententias? Inc. 13. Mat. v. 20. Conf. puncto 4. art. 50.

**Confutatio** MIN. Omnino contrarias ac repugnantes & teneo
1. & doceo, ipsisq; Authoribus ita mihi persuadentibus. Caluinus namq; de trina Petri negatione magna con-
*In cap. 26. Matth. v. 74.* fidentia scribit: *Petri infidelitas in summum cumulum erupit.* Quid autem à fide magis alienum, eidemq; magis contrarium, quàm infidelitas, ac eadem in summum cumulum erumpens? Qui ad huius apicem peruenit, nónne manifestè ostendit fidem tum in se extinctam esse? Donum perseuerantiæ non ipsi perpetuò annexum esse? Ergo vel Petrum ad horã illam vsque omni fide caruisse, vel fidem semel acceptam aliquando euanescere ac perire posse, fateatur Caluinus necessum est.

2. Alibi etiam scribit: *Plus satis apparet quàm teneri simus*
*In c. 13. Ioan. v. 20.* *ad recipienda ex malis exemplis vulnera. Ita fit vt vnius hominis defectio ducentis alijs lethale infligat vulnus ad extinguendam eorum fidem.* Ex quibus apertè consequitur, & virum antea fidelem posse à fide non solùm deficere: sed & multorum aliorum suo lapsu fidem extinguere ac opprimere, salua tamen semper Spiritus sancti manente persona diuinaque maiestate.

3. Vbi etiam de scandalo concepto ab Apostolis pro-
*In c. 16. Ioã. v. 31. & in c. 20. v. 8. & 10. & 19 & 24.* pter Domini nostri apprehensionem & passionem disputat, asserit, *Fidem eorum deiectam, velut succubuisse. Petrum & Ioãnem die resurrectionis, longè adhuc abfuisse à pura & liquida fidei notitia. seipsum accusare Ioannem, dum hoc sibi fuisse credendi principium fatetur. Quamuis Ioannes se credidisse dicat, non fuit tamen firma illa fides, sed confusus quidam miraculi sensus, & ecstasi similis. Sic Apostolos trepidasse, vt fidei defectum proderent. Thomam non modò tardum & difficilem ad credendum fuisse, sed etiam cõtumacem. Verba eius nihil habuisse affine fidei; sed sensuale iudicium.*
*In c. 21. Ioan. vers. 15.* Item: *Petrum à fide turpiter defecisse. Omnes quidem quandam sanctiorem opinionem de Christo conceperant, tamen multum aberat à syncera cognitione fidei, &c.* Hæc ille de Apostolorum fide, & eorundem in ea lapsu: ex quibus sic disputationem aduersus duos eius errores conficio. Fides, vt & ipsi alibi docent, nullam admittit dubitationem: Petrus, Ioannes, cæteri Apostoli vt hîc autumant, etiam in ipsa resurrectionis Christi die, longè
*In c. 21. Mat. v. 21.* aberant

aberant à fide; & trepidatione, fidei ſuę defectum prodebant; ergo ante illum diem tametſi baptizaſſent & miracula in nomine Chriſti edidiſſent, omni fide & religione caruerant: quod vel cogitaſſe ſolùm nefas & ſcelus eſt. Ioannes, inquiunt, reſurrectionis diem initium credendi ſibi principium fuiſſe fatetur: ergo vel antea nunquam crediderat vnum eſſe Deum Legis & Prophetarum, qui Filium ſuum in carnem miſiſſet; nec hunc IESVM verè eſſe Chriſtum, nec eum vera docuiſſe, & certa miracula feciſſe; quæ omnia abſurda & impia ſunt; neceſſe eſt vt fateatur Caluinus: vel fidem ſemel acceptam imminui, tandemque penitus extingui poſſe: quod ſuperioribus ſentētijs ſuis omnino contrarium eſt. Quod ſi etiam Petrus ſemel à fide turpiter defecit; Thomasque & incredulus, & infidelis, & contumax ad tempus fuit, vt hîc palam adfirmant; nónne apertiſſimè conſequitur, & Fidem pro tempore extingui poſſe, & donum perſeuerantiæ non ſemper illi connexum eſſe? His itaque Caluinum & proprijs verbis illaqueatum & damnatum teneo: & diſco Fidem ſic donum eſſe Spiritus ſancti liberum, vt ab impio auferri poſſit, ſicut in pio viro liberè ſeruari.

Placet his quædam ex Proteſtantium miniſtrorum aduerſus errores Caluinianos adijciam? DOCT. Perplacet, hinc enim illuſtrior erit de iſtis victoria. MIN. In colloquio Mompelgartenſi Beza quæſiuit à Cancellario Tubingenſi. *An Simon Magus crediderit cùm baptizatur?* Reſpondit ille. Maximè. Id enim Scriptura apertè teſtatur: Ait Beza. *At, non habuit partem in regno Chriſti: quomodo ergo fidem habuit?* Reſpondit Iacobus Andreas. Gratiam quam in Baptiſmo accepit, per ſuam impietatem, iterum amittere potuit. Fieri enim poteſt, vt verè credens, fidem & Spiritū ſanctum iterum amittat, quibus à Deo in Baptiſmo donatus erat. Beza, *Simon Magus ſimulauit ſe credere, ſed non credidit.* Iacobus Andreas. Videamus & audiamus ipſum Euangeliſtam Lucam de Simone Mago, & eius fide ſic loquentem: *Cùm verò (Samaritani) credidiſſent Philippo Euangelizāti de regno Dei, in nomine Ieſu Chriſti baptizaban-*

4. Pagina 461. 462. Act. 8.

*tur viri & mulieres. TVNC SIMON ET IPSE CREDIDIT.* Hoc testimoniū apertū est, quo testatur Lucas, ipsum Simonem credidisse. Et post Petri ad ipsum factam cōminationem, ait: *Precemini & vos prō me ad Dominū, vt nihil veniat super me horū, quæ dixistis.* Quod nunquam feciſſet, si non verè credidiſſet. Respondenti rursum Bezæ: *Non fuit vera fides, sed simulata*: dixit Lucas Osiander. Si ad hunc modū semper licebit omnia aperta Scripturæ sacrę testimonia, per glossas eludere: quid tandem certi in vniuersa sacra Scriptura retinebimus?

5. DOCTOR Reuera huic hæreticæ licentię nihil certi, nihil firmi ac indubitati relictum erit. Verùm, huic à Germanis per te desumpto clarissimo apostasiæ Simonis Magi exemplo, omnium temporum ac sacrarum historiarum apertissima testimonia paucis verbis subnecto. Docent scripta Moysi & reliquorum Prophetarum, innumeros à vera Patrum fide turpissimè defeciſſe, tum ante diluuium; tum diebus Abrahæ, Isaac & Iacob; tum denique sęuientibus aduersus populum Dei Aegyptijs, Chaldęis & Gręcis: quinetiam referunt Ieroboamos, Achabos, Ochozias, Manasses, Sedechias, Rhapsaces, Simones, Iasones, Menelaos, & alios absq; numero apostatas, à vera quam semel professi fuerant, religione nequissimè defeciſſe, vt ritus ethnicorum penitus amplecterentur. Christianę quoque literæ suos recensent Iudas, Ebiones, Cerinthos, Nicolaos, Demas, Hermogenes, Philetos, Hymenæos, Alexandros; deinde etiam Patrum temporibus Lulianos, Porphyrios, Lucianos, Ecebolios, Peregrinos, &c. *qui* (vt ait Paulus) *à fide naufragauerunt.* Hos & alios innumeros neceſſe est vt vel Caluinus inuito Spiritu sancto iustificet: vel Paulo reclamante, à fide vere excidiſſe perneget; vel deniq; rediens ad cor, nobiscum fateatur Fidem amitti posse, donumque distinctum esse à Perseuerantia.

*1. Tim. 1.*

6. Cùm etiā Dominus tam sollicitè rogauit pro Petro, *vt non deficeret fides illius*: satis ostendit eam & deficere posse: & pijs viris orationibus opus esse, vt Perseuerantiæ in eadem donum à Spiritu sancto obtineant.

*Luc. 22.*

Ad

Ad hæc, arguens Petrum modicæ fidei, & Phariſęis exprobrans, quòd fidem & miſericordiā relinquerēt; an non docet eam virtutem ſua incremēta, decrementa, imò & maximos pati defectus? Et alijs Scripturis Spiritus S. Elymam redarguens, quòd Proconſulem Cypri auerteret à fide; Corinthijs exprobrans, quod à fidei ſimplicitate defeciſſent; Galatas obiurgans, quòd nimia leuitate in aliud tranſiſſent Euangelium; Pſeudoapoſtolos damnās, quòd ſubuertiſſent quorundam fidem; prænunciansque in nouiſſimis temporibus diſceſſuros quoſdam à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, omni luce clarius oſtendit particularem hominum Fidem deficere poſſe, nec ſemper Perſeuerantiam adiunctam habere. 7. *Matt. 14. 25. Act. 13. 2. Cor. 11. Gal. 2. 1. Tim. 6. 2. Tim. 6. 1. Tim. 4.*

Sed omnium clariſſimè id conuincitur ex eo quod audito ſermone Domini de Euchariſtia, *Multi ex Diſcipulis eius*, inquit Euangeliſta, *quum audiſſent dixerunt: Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire?* Et paulò poſt: *Ex eo multi eius Diſcipuli abierunt retrò, nec amplius cum eo ambulabant.* At verò diſcipuli non fuerant ſine vera fide: nec defecerant ab eo niſi ſua infidelitate. Fides igitur ſemel accepta per aduenientem infidelitatem verè amittitur & extinguitur; proinde haberi poteſt ſine finali perſeuerantia. 8. *Ioan. 6.*

MINIST. Locus planè apertus eſt: hæreſesque præfatas penitus labefactat: nihilominus audire geſtio, quid de eo ſenſerint Patres. DOCT. Chryſoſtomus diſertè ſcribit: Abierunt retrò: hoc eſt, non proficiebant in virtute: & quam iam habebant fidem perdiderunt, cùm ſe ſciderunt. Cyrillus æquè apertè ait: Incredulitate ſua rem totam contemnunt, retrò abeunt, & ambulare cum Domino ſua moroſitate recuſant. 9. *Homil. 47. in Ioan. L. 4. in Ioan. cap. 20.*

Quod ſi duorum Græcorum nondum tibi facit ſatis interpretatio; en & duorū Latinorum perantiquorum ſanè diuinus conſenſus. Cyprianus Martyr docet nec mirandum, nec deficiendum animis, ſi quidam extremis tēporibus ſuperbi & contumaces de Eccleſia Dei recedunt, aut contra Eccleſiam faciunt, quando tales 10. *Epi. ad Corn. Matth. 24.*

do tales futuros & Dominus & Apoſtoli ante prædixerint. Quinetiam ipſum Dominum miracula facientem Diſcipuli reliquerint. Et ad Apoſtolos aliquando dixerit: *Nunquid & vos vultis abire*? Plantationes ſunt non à Deo Patre plantatæ: de quibus & Ioannes ait: *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis.*

*Ioan.6.* *Matth.15.* *1.Ioan.2.*

11. Tertullianus hæc corroborans, addit, Phygellum & Hermogenem, Philetum & Hymenæum à fide dececiſſe, Paulo adhuc ſuperſtite; Nicolaũ & Simonem viuente Petro; Iudam ſub Chriſti regno; & impios Angelos è cælis excidiſſe. Quid ergo ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi etiam Martyr lapſus à regula fuerit? Ideo hæreſes veritatem videbuntur obtinere? *Homo in faciem videt, Deus in præcordia contemplatur.* Et ideo cognoſcit Dominus qui ſunt eius. Plantam quam non plantauit Pater, eradicat: & de primis nouiſſimos oſtendit: & palam in manu portat, ad purgandam aream ſuam. Auolent quantum volent paleę leuis fidei quocunque afflatu tentationum, eo purior maſſa frumenti in horrea Domini reponetur, &c.

*L. Præſcript.* *1.Reg.16.* *2.Tim.2.* *Matth.15.* *Matth.3.*

12. MINIST. Hæc ſanè perdocta & ſancta: ſed nondum planè animo meo ſatis eſt factum, donec magni Antiſtitis Auguſtini de hac re ſententiam audiero.

DOCT. Libro integro de bono perſeuerantiæ plurimis Scripturis, rationibus, exemplisque cõmonſtrat, Perſeuerantiæ donum mortalibus incertum & occultum eſſe: ideoque aſſiduis gemitibus ac precibus illud ipſum eſſe à Deo requirendum. Aſſerimus, inquit, donum Dei eſſe Perſeuerantiam, qua vſque in finem perſeueratur in Chriſto. Vtrum verò quiſq; hoc munus acceperit, quandiu hãc vitam ducit, incertum eſt. Et rurſum ibidem: De vita æterna nemo poteſt eſſe ſecurus, niſi cùm cõſummata fuerit iſta vita, quæ tentatio eſt ſuper terram: ſed faciet nos perſeuerare in ſe vſque in eius vitæ finem, cui quotidie dicimus, *Ne nos inducas in tentationem.* Scribit iterum in Ciuitate Dei: Quis hominum ſe in actione profectuque iuſtitiæ perſeueraturum vſque in finem ſciat, niſi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re iuſto latentique iudicio, non omnes inſtruit, ſed neminem

*Lib. de bono perſeuer. c.1.* *Cap.22.* *Iob 7.* *Matth.6.* *Lib.11. c.12.*

nem fallit? MINISTER. Hæc ſufficiunt. Ex his enim ſatis video tantam eſſe in rebus humanis inconſtantiam, vt & homines à fide ſemel ſuſcepta poſſint deficere, atq; idcirco pro dono perſeuerantiæ ad Deum continuò cum Apoſtolis exclamandum, *Domine, da ſeruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum. Domine, adauge nobis fidem*: quoniam ab ipſo eſt omnis patientia, conſtantia, & fortitudo noſtra. Perſpicio deniq; tantam eſſe diſtantiã, inter Spiritus ſancti æternã perſonam, ſubſtantiam, & maieſtatem, & inter fidem noſtrã, quę eſt donũ ac effectus ab eius bonitate & gratuita largitate procedens; vt hoc extingui ac perire poſſit, imò in Apoſtatis ac hæreticis frequenter pereat, illo in ſempiternum manente. Atque ideò tetro errore Caluinum cum ſuis detineri, quando illum cũ donis ac effectis ſuis temporalibus ita confundit; vt ſimilis atque par ſit vtriſque vel pereundi vel permanendi neceſſitas. Aliam diſputationem incamus. Act. 4. Luc. 17. Pſ. 61. et 72.

## *SPIRITVM SANCTVM FREQVENTER permittere electos atque iuſtificatos, per peccata lethalia ab accepta gratia ſua & fauore excidere: aduerſus 43. Caluinianorum hæreſim.*

DOCTOR.

ILLO etiam Prædicantes veſtri detinentur errore, vt adfirment Spiritum ſanctum nunquam ſinere ſemel iuſtificatos aut electos per peccatum mortale excidere ab illa gratia gratum faciente, ſeu iuſtitia, quam ſemel eius beneficio conſequuti fuerint. Scribit enim Caluinus, vt Gallica eius ad verbum reddimus, *Tam grandi efficacia Spiritus ſancti Deus in electis ſuis operatur, vt nullus eorum cadat.* Et alibi apertius: *Sanctificatio filijs Dei collata, radicem habet in eis, quæ nunquam poteſt euelli.* In Ioan. c. 5. & 13.

MIN. Amplioribus probationibus non eſt opus: noui enim communem eſſe totius ſectæ ſententiam. Confutatio 1.

Veruntamen nec eam probo, nec probabo vnquam, quoniam nec ipsi eandem semper probant aut retinent. Volunt etenim alibi, *Christum significasse suis Apostolis, quod nisi vigilarent & orarent, opprimi possent à tentatione: intrare verò in tentationem, nihil aliud esse quàm eidē succumbere.* At verò, ex Euangelio constat Apostolos tum nec vigilasse, nec orasse: certum est igitur illos tentationi succubuisse, atque sic ab accepta prius gratia, iustitia, & sanctitate ad tempus excidisse.

*In cap. 26. Matth. v. 41.*

2. Deinde, palam etiam vociferant, *Petrum publicè Christum abnegando, sub Christi persona lumen totius redemptionis nostræ sepeliuisse: & tertia negatione in summum infidelitatis erga Præceptorem, cumulum peruenisse.* Manifestum est igitur electos & sanctificatos aliquando fœdissimè cadere, & sanctificationem illis collatam tales in eis radices non iecisse, quin aliquando reuellantur: iterumque inserantur & repullulent, quando pœnitentia conuersi ad Dominum redeunt. Non enim negare possent tam Petrum, quàm alios decem coapostolos de numero fuisse electorum, aut iustificatos à peccatis, antequam accepto de passione Præceptoris scandalo, lapsi sint.

*In c. 26. Mat. v. 70. et 74.*

3. Præterea, superiori disputatione relatum est, Caluinum beatum Petrum retulisse in reos, *propter pernitiosissimum scandalum, scissam Ecclesiæ vnitatem, obrutam Christi gratiam, oppressam Christianam libertatem, deformatum Euangelium*; & alia, quæ in eum comminiscitur, plurima & mortalia crimina, in quæ etiam post acceptum Spiritum sanctum ceciderit. Quinetiam beatissimum vas electionis Paulum, *communibus hominū passionibus, imò et epicureismo, maximoq; Dei contemptu, pro viribus commaculare.* Cum his autem fœdissimis ac turpissimis sceleribus minus potest consistere gratia Dei, aut sanctitas iustitiaque à Spiritu sancto infusa, quàm lux cum tenebris, calidum cum frigido, iustitia cum iniquitate. Possunt igitur sancti Dei homines eam gratiam & sanctitudinem aliquoties perdere, quam à diuina largitate susceperunt. Atque sic iacent proprijs machinis prostrata & euersa Caluini præsidia.

*Supra pagin. 631. 632. &c*

DOC.

DOCT. His tuis argumentis subijcio Adæ, Mosis, Aaronis, Mariæ sororis eorum, & Dauidis exempla notissima & certissima. Hos enim ex electorum ac sanctorum albo delere non possunt, nisi velint cum Marcionistis ac Manichæis ab omni religione Christiana deficere. Illi autem in peccata grauissima & pessima delapsi, prius datam sibi Spiritus gratiam & sanctificationem ad tempus amiserunt. Enimuerò ea stare nequit cum fœdissimis adulterijs, proditionibus, homicidijs, detractionibus, infidelitate, ac idololatria, quibus hos in Deum deliquisse, etiam aduersarij vltrò confitentur. 4.

Ecquid etiam in Euæ primæ fœminæ excusationem à peccato lethali possent adferre: quam constat diabolo mentienti maluisse credere ac obaudire, quàm Deo omnipotenti? Ambitu planè Satanico, Diuinam æqualitatem appetijsse? An non etiam orbis reparator Noë nimio vini potu sese ingurgitando, Lot filiarum suarum virginum pudicitiam incestuosè expugnando, fratres Ioseph odio fraterno, Samson cum Dalila scortando, Ionas à conspectu Domini fugiendo, Caluinianorum censura & iudicio, actualibus & mortalibus delictis seipsos commaculantes, iram atque indignationem diuinam in sua capita accersiuerunt; & præcedentem sanctitudinem & iustitiã commaculârunt? Nam quicunque aliter senserit aut docuerit, vniuersos infideles, ambitiosos, ebriosos, incestuosos, fratricidas, scortatores atque perduelles, contra omnem Scripturam & rationem iustificans, ad quæuis scelera perpetranda incitabit, prouocabit, inflammabitque. MIN. Enimuerò cùm è sacro suggestu, Prædicantisq; iuxta purum Euangelium repurgati, ore, in templo Domini personare audierint adulteri, fornicatores, mœchi, sacrilegi, incestuosi, raptores, homicidæ, helluones, prauis aduersus Deum opinionibus infecti, omnes denique improbi, sese propter huiusmodi scelera diuini Spiritus sanctificationem, gratiam, & fauorem nec amisisse, nec vnquam amittere posse; ad omnia scelerum genera siue contra Deum, siue contra proximum perpetranda longè redden- 5.

*Genes. 9.* *Genes. 19.* *Genes. 37.* *Iudic. 14.* *Ionæ 1.*

dentur audentiores & impudentiores. Atque hi erunt Caluinicæ doctrinæ fructus, hi profectus.

6. DOCT. Verùm, his absurdis & incommodis superiorem hæresim consequentibus, prætermissis; apertissimis Scripturarum testimonijs nunc eandem refello. Quo pacto veræ possent remanere hæ comminationes diuinę, *Ezech. 18.* *Si iustus auerterit se à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, &c. nunquid viuet? omnes iustitiæ eius non recordabuntur, in peccato suo morietur*: si sanctificatio, filijs Dei collata, radicem habet in eis, quæ nunquam potest euelli?

7. Aut quo iure Spiritus Domini dixisset Philadelphiē *Apocal. 3.* sium Episcopo, *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*; vel Laodicensium Antistiti comminatus esset, *Incipiam te euomere ex ore meo*; si nullus credentiū posset ab accepta semel gratia Dei excidere?

8. Certè nec Apostolus vnquam scripsisset ad He- *Hebr. 3. et 4.* bræos, *Videte fratres, ne fortè sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedēdi à Deo viuo, etc.* Et paulò post: *Hebr. 6.* *Timeamus ne fortè relicta pollicitatione introeundi in requiē Domini, existimetur aliquis ex vobis deesse*: Iterumque postea: *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti; & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam*: nisi omnino persuasum habuisset, & fideles per incredulitatem posse à Deo discedere; & sanctos viros quandiu inter huius viæ incedunt scandala prolabi, ac extra omnem sanctitudinem, gratiam & fauorem Dei cadere, mori, atque perire posse.

9. MIN. Si quæ tibi occurrunt veterum Theologorum in hanc rem testimonia, nunc, quæso te, producas. DOC. Nec simpliciter nec perfunctoriè in hanc hæresim, quæ etiam olim Pelagij ac Iouiniani fuisse dicitur; sed eximio zelo, atque varijs Scripturarum testimonijs ac exemplis instructus Hieronymus inuehi- *Epist. ad Ctesiphont.* tur, his verbis exorsus: Quæ potest alia maior esse temeritas, quàm Dei sibi non dicam similitudinem, sed æqualitatem vendicare; & breui sententia omniū hæreticorum venena complecti? Et consequenter docet fanaticam opinionem istam, hominem ex homine tol-

ne tollere, & in corpore constitutum esse sine corpore; cùm solus Deus natura iustus & ἀναμάρτητος existat Huius quoque assertores contendit seipsos attollere super Patriarchas & Prophetas, qui sua palam confitentur peccata, & ad veniam obtinendam ingemiscunt. Apostolis denique sanctiores sese venditãt, quorum vnus de seipso ait: *Sentio legem in membris meis repugnantem legi mentis.* Alter de cunctis coapostolis: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nosipsos seducimus &c.* 2. *Reg.* 16. 2. *Par.* 6. *Psalm.* 50. & 142. *Prou.* 20. *Iob.* 14. *Rom.* 7. 1. *Ioan.* 1.

Augustinus in hanc rem Salomonis exemplum memorabile proponit. De hoc enim in sacris refertur, quantum illum Deus initio dilexerit, & gloria, honore, sapientia, & opibus præ cunctis huius seculi Regibus auxerit: verùm in senectute alienigenarum fœminarum delitijs deprauatus, infeliciter ab excelsa, gloria, in summam ignominiam; & ab excellenti gratia, in fœdissimam idololatriam & iram Dei prolapsus sit. Apparet (inquit) in persona huius Salomonis & mira excellentia & mira subuersio. De eadẽ scribit etiam Cypr. Salomõ postq̃ reliquit viam Domini, perdidit & gratiam Domini. Et Tertullianus: Salomon omni gratia & sapientia donatus à Domino, ad idololatriã à mulieribus inducitur. Et alibi: Salomoni etiam ira Dei accessit, post luxuriam & idololatriam. Rursumque: Salomon (audeo dicere) etiam quam habuit in Deo gloriam amisit, per mulieres in idololatriam vsque pertractus. Iterumque de Saule simul & Salomone Cypr. Salomon & Saul & cæteri multi, quandiu in vijs Domini ambulauerunt, datam sibi gratiam tenere potuerunt: recedente ab eis Dominica disciplina, recessit & gratia. M I N. Grauissima planè sunt hæc testimonia, & satis ostendunt quàm sit imbecilla inconstansque humana conditio, ita vt non debeat in superiori iustitia vel sanctitate quisquam confidere: sed potius qui stat, videat ne cadat: & si ceciderit, Deũ inuocet vt resurgat. Sed redeas obsecro, ad Augustinum. 10. *L.* 29. *adu. Faustum c.* 81. 82. *&c.* *L. de vnit. Eccl.* *L. præscript.* *L.* 3. *adu. Marci. ca.* 10. & *L.* 5. *c.* 9. *Epist. ad Rogatianum.*

DOCT. Is ad inconstantiam humanæ mentis, simulq; tremenda iudicia Dei stupens exclamat: Magna 11.

sunt

Iolilo. c. 29. sunt hęc iudicia tua Domine Deus, iudex iustè & fortis, qui iudicas æquitatem, & inscrutabilia facis: quæ cùm considero, contremiscunt omnia ossa mea. Quoniam non scrutatur homo super terram, vt seruiamus tibi piè & castè cunctis diebus vitæ nostræ in timore, *& exultemus tibi cum tremore*: vt non sit seruitium sine timore, neque gaudium sine tremore: *& non glorietur accinctus æquè vt discinctus, neque glorietur ante te omnis caro*: sed paueścat & contremiscat à facie tua, cùm ignoret homo, *Vtrum amore an odio dignus sit: sed in futurum omnia reseruantur incerta*. Vidimus enim multos Domine, & audiuimus à patribus nostris, quod vtique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor, ascendisse primitus quodammodo vsque ad cælos, & inter sydera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse vsque ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de cælo cecidisse ab impetu ferientis caudæ draconis: & eos qui iacebant in puluere terræ, à facie subleuantis manus tuæ mirabiliter ascendisse. Vidimus viuos morientes, & mortuos à morte surgentes: & eos qui inter filios Dei ambulabant, quasi lutum ad nihilum defluxisse. Vidimus lucem obtenebrasse, & de tenebris lumen processisse: quia publicani & meretrices præcedunt incolas in regnum cælorum, *filij autem regni eijciuntur in tenebras exteriores*. Hactenus æquè piè ac eruditè Augustinus.

Pſalm. 2. 3. Reg. 20. 1. Cor. 10. Eccl. 9. Pſal. 106. Abd. v. 4. Apoc. 12. Ezech. 28. Matth. 21. Matth. 8.

12. Ambrosius autem non solùm electos ac sanctificatos viros à gratia excidere posse docet, assumptis Adæ & Dauidis exemplis; verùm etiam cur hoc alto iudicio suo permittat Deus, causas inuestigans, primam assignat, vt homines nos esse cognoscentes, nemo propriæ virtuti confidat. Secundam, vt animaduertamus nos habere aduersarium magnum, qui vinci à nobis sine Dei fauore non possit. Tertiam, ne Sanctos ob egregias virtutes, plusquam homines esse credamus. Postremam, vt alienis periculis & lapsibus cautiores redditi, insolentiæ scopulum timeamus, in quo naufragium sit bonorum.

Com. in c. 3. Luc.

MINISTER. His ego contentus sum. Didici autem,

autem, incredibilem esse humanæ mentis inconstantiam, iudicia diuina planè exhorrescenda, nec de præterita iustitia insolescendum: quin potius cum religioso timore, diuinum auxilium assiduis precibus omni loco & tempore implorandum. Quid adhuc superest?

## *SPIRITVS SANCTI GRATIAM IN his non hærere, qui actu reque ipsa sunt in peccatis mortalibus: aduersus hæresim 44.*

### DOCTOR.

NEfarius error, quo Vestri docent Spiritum S. etiam cum his habitare, qui actu reque ipsa peccatis mortalibus sunt inquinati ac deformati. Beza dum id asserere nititur, exempli gratia beatum Petrum proponit: *qui licet* (inquit) *carnis & sanguinis instinctu deliquerit, tunc nihilominus non omnem fidem perdiderat: sed neque omninò Spiritus sanctus ei ademptus fuerat*. Idem in nouissimo colloquio Mompelgartensi, eundem errorem palam sustinuit: nec admonitus conuictusque à Iacobo Andrea, Luca Osiandro, alijsque Lutheranis, dicentibus, se nullo vnquam pacto docere velle, scortatores, adulteros, & alios perpetrantes peccata, retinere in ipso actu peccati, fidem & Spiritum sanctũ; vnquam ab hac prauitate resipiscere voluit.

*Confess. puncto 4. ar. 20.*

*Pag. 463. 464. 465. 466. &c.*

MINISTER. Si de Spiritus sancti diuina persona & maiestate id asserat, nihil eximium aut rarum dicit: quoniam nemo Christianorum nescit eundem Spiritum esse natura immensum, & secundum personam, essentiam & potentiam esse vbique ac omnibus præsentem in cælis, in terris, in abyssis & in inferis. Sin de donis illius, vt de gratia, iustitia, sanctitate, & charitate, *quam* (vt scribit Apostolus) *diffundit in cordibus piorum*, affirmet, vt profectò adfirmare videtur; Patri suo Caluino in primis apertè contradicit, Hic namque scribit, *Petri infidelitatem in sum-*

**Confutatio 1.**

*Rom. 5.*

*In cap. 26. Matth.* *ſummum cumulum erupiſſe, dum Præceptorem tertio abnegauit.* Atqui ſumma infidelitas cũ perfecta fide non poteſt conſiſtere: ergo ſi verũ hîc loquatur præceptor, neceſſe eſt diſcipulum illic abomni veritate alienum eſſe. Vbi verò nulla fides, nulla quoque ſpes, nulla charitas, nulla iuſtitia, nulla ſanctitudo (cùm *ſine fide*, iuxta Apoſtolum, *impoßibile ſit placere Deo*) poteſt conſiſtere. Itaque omnem prorſus ſanctitatem & Spiritus ſancti gratiam illò tunc Petrus amiſit, cùm Dominum noſtrum turpiter abnegauit.

*Heb. 11.*

2.

Deinde, beato Paulo apertè repugnat, fortiſſima ſimul & apertiſſima ratione contendenti, *Nullam eſſe participationem iuſtitiæ cum iniquitate, nullam ſocietatem luci ad tenebras, nullam conuentionem Chriſti ad Belial, nullam partem fideli cum infideli; nullum denique conſenſum templo Dei cum idolis.* At verò omne peccatum mortale ab alio Apoſtolo vocatur iniquitas; ergo impoſſibile eſt illud cum iuſtitia ſeu gratia conſiſtere Spiritus ſancti. Omne peccatum mortale cum tenebris comparatur, operaque tenebrarum peccata nuncupantur: non poſſunt ergo cum luce gratiæ cohærere. Omnes impij dicuntur filij Belial, pij verò vnum cum Chriſto capite ſuo myſticum corpus: nullam igitur cum impietate conuentionem habent. Denique, gratia Spiritus diuini, templa Dei dicimur & ſumus, nullus igitur eſt peccati cum ſanctitate conſenſus, vt impiè Beza comminiſcitur.

*2. Cor. 6.*

*1. Io. 3. & 5.*

*Ioan. 3.*
*Rom. 13.*
*Deut. 13.*
*Iudic. 19.*
*1. Reg. 1. 2. 25.*

3.

DOCT. Verè tanta eſt repugnantia & contentio inter gratiam & peccatum mortale, vt potius lux & tenebræ conuenirent, cœlum cum terra miſceretur, dulce & amarum, frigus & æſtus coaleſcerent, quàm illa ſimul in eadem mente coadunarentur. Peccatum nãque opus eſt diaboli; gratia beneficium Dei: peccatũ longè ſeiungit à Deo, gratia intimè coniungit: peccatum animam ſua fœditate deformat, gratia exornat magnificè: peccatum iram Dei accerſit, gratia miſericordiam: peccatum membra diaboli, filioſque gehennæ authores ſuos conſtituit; gratia verò filios ac hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti deſignat. Nullo autem modo vnquam fieri poteſt, vt res tam pugnan-

pugnantes ac contradicentes conueniant: nequit ergo Spiritus sancti gratia cum peccatis mortalibus in eadem anima conuenire.

MIN. Agamus scripturis. DOC. Prophetæ palam testificantes quantum peccata nos à Dei nostri fauore, amore, & gratia procul separent, subinde clamant: *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrũ: & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.* Isa. 59. Alius quoq; ait: *Iniquitates vestræ declinauerunt hæc (dona Dei): & peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis.* Ierem. 5. Dauid quoq; canit: *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereunt peccatores à facie Dei. Omnes peccatores disperdet:* & Sapiẽs docet: *Similiter odio sunt Deo impius & impietas eius.* Psal. 67. & 144. Sap. 14. Alibi rursum velut ex professo Bezanam hæresim copiosè & eleganter his verbis damnat atq; refellit: *Peruersæ cogitationes separant à Deo: probata autẽ virtus corripit insipiẽtes: quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim S. disciplinæ effugiet fictum, & aufert se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate.* Sap. 1. Ex quibus clarissimum, & certissimum efficitur, Spiritum S. simul cum Satana, virtutes & peccata, gratiam cum iniquitate nullatenus coadunari posse. 4.

MIN. Verè etenim Dauid post admissum peccatũ nunquã tam anxiè rogasset, *Cor mundum crea in me Deus & Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, &c.* si vel credidisset, vel tantùm cogitasset Spiritus S. gratiam à peccatorib. nusquam discedere, etiam cùm peccatorum laqueis ir retiũtur. Dumq; tam suppliciter ac demissè precatur, ac metuit, ne Spiritus S. auferatur à se; credit profectò docetq; ab his eum recedere, qui grauioribus delictis commaculantur, & (vt loquitur Apostolus) *ipsum contristant Spiritum sanctum.* Psalm. 50. Eph. 4. 6. 5.

DOCT. Et hoc illis etiam Scripturis confirmatur, quæ disertè referunt, Dominum recessisse à Samsone, quando cum Dalila scortando & ipse Dominum dereliquerat. Insuper, Spiritum Domini Saulem deseruisse, illicò verò Satanam in eum inuasisse, multisque Iudic. 16. 1. Reg. 16. & 28.

tormentis eum vexasse. Quod & ipsemet coram Samuele ingenuè confitetur dicens: *Deus recessit à me, & exaudire me noluit.* Et Samuël idem asserit his verbis: *Dominus recessit à te, & transijt ad æmulum tuum.* MIN. Equi dē vix clarius posset hæresis Bezana refelli, quā cùm ab his Prophetis tam dilucidè refertur Spiritus S. cum suis donis ab illis penitus abscedere, qui scortationibus, simulationibus, proditionibus, homicidijs, veneficijs, hisq; similibus criminibus seipsos addicunt atque mancipant.

1. Reg. 16. & 28.

7.

DOCT. Ad hoc quoq; maximè pertinet hæc sanctissima Christi commonitio: *Nemo potest duobus Dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire, & mammonæ.* Ergo qui facit peccatum, cùm seruus sit peccati & filius diaboli; non potest quatenus talis est, talisque permanet, Deo deseruire, aut Deum diligere: sed è contrario, quantum in ipso est, odio habet illum, contemnit & aspernatur: igitur procul ab omni amore & gratia illius recedit, atq; sic gratia & iustitia stare non possunt in his qui peccatis continuā nauant operam.

Matth. 6. Luc. 16. Ioan. 6. et 8.

8.

MIN. Dic paucis, quid Patres de huiusmodi errore Bezano censeant. DOC. Augustinus iudicauit hanc esse Pelagianorum hæresim, eandemq; constantissimè damnauit, vt Spiritus sancti donis planè contumeliosam. Exclamat enim aduersus eos qui dicebant homines ex parte filios Dei fieri, ex parte autem filios seculi, id est, diaboli remanere: Mentiuntur, insidiātur, tergiuersantur, &c. Hieronymus vt Iouiniani nefariā impietatem, eandem coarguit, dicens: Quomodo dies & nox misceri non queunt, sic nec iustitia & iniquitas, peccatū & bona opera, Christus & Antichristus. Si susceperimus Christum in hospitio nostri pectoris, illicò fugamus diabolum. Si peccauerimus, & per peccati ianuam ingressus fuerit diabolus, protinus Christus recedit. Vnde & Dauid post peccatum,

L. de hæres. & L. 3. cont. duas ep. Pelag. ca. 3.

L. 2. contra Iouin.

*Redde*, ait, *mihi lætitiam salutaris tui*, quam peccando amiserat. &c.

Psalm. 50.

SPI-

## SPIRITVM SANCTVM NON ITA sanctificare paruulos in vteris maternis, vt sine lauacrô regenerationis saluentur, aduersus 45. & 46. hæresim.

### DOCTOR.

DVplici rursum aduersum Spiritus sancti opera, errore Vestri tenentur. Priore, eidem falsò tribuentes, quod omnes fidelium paruulos in ipsis matrum vteris sic gratia sua præueniat, vt iam sancti ac iusti sint, antequam his egrediantur. Deinde, etiam sic de hoc sęculo exeuntes, sine lauacro regenerationis in cælis recipiantur & saluentur. Hæc enim Bezæ tam certa sunt, vt inter suæ ac Geneuanorum fidei articulos connumeret: *Paruulos fidelium semen, germenque fidei iam tum habere, eò quod Dominus eos ex vteris parentum sanctificauerit*. MINISTER. Probationibus amplioribus non est opus, quandoquidem & in Catechismo, & Commentarijs in c. 3 Ioannis; in cap. 11. ad Romanos; in c. 7. prioris ad Corinthios; & passim in Institutione Caluinus vtramq; sententiam adfirmet atque propugnet. *Confess. fidei puncto 4. articulo 48.*

Sed ingenuè profiteor, me in libris ministrorū nunquam maiorem quàm in his duobus articulis, reperisse ac legisse contradicentiam: atque idcirco adhærens doctrinæ vniuersæ Ecclesiæ, semper credidi ac docui, Peccato originali omnes adeoque fidelium paruulos inuolui; eos sic natura filios iræ & perditionis nasci, vt nisi regenerati prius fuerint ex aqua & Spiritu sancto, non possint videre regnum Dei. Nam ita sentit etiam Beza, secum euidentissimè pugnans, in eodem Confessionis suæ fidei libro, puncto tertio, articulo tertio decimo: & puncto quarto, articulo quarto decimo. **Confutatio 1.** *Ioan. 3.*

Nec magis sibi Caluinus constat scribens: *Exules nos ac prorsus alienos à regno Dei nasci, ac perpetuum nobis cum ipso dissidium esse, donec alios secunda genitura nos faciat. Et hac sententia complecti totum genus humanum.* **2.** *In c. 3. Ioan. v. 3.*

DOCT. At verò, qui sancti & iusti habentur coram Deo, non sunt exules à regno eius, sed ciues eius atque domestici; quinetiam (vt Apostolus ait) *conuiuificati, & conresuscitati in Christo, eidemque considentes in cælestibus; nec opus est illis secunda generatione, quæ fit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti: cuiuis igitur ex Caluinianis commentis apertum est, paruulos fidelium neque concipi, neque nasci cum ea quàm aliâs fingit, fide aut sanctitate.

*Ephes. 2.*

*Ephes. 5.*

*Tit. 3.*

3. MIN. In repugnantijs ac contradictionibus secum pergens, subdit: *Ex vtero nihil afferimus nisi carnalem naturam. Sequitur ergo nos omnes naturaliter exulare à Regno Dei, & cæleſti vita priuatos, manere sub mortis seruitute.* Et paulò post: *Omnes pariter in vno Adam corrupti sumus, quia statim post eius defectionem, Deus quod naturæ humanæ dederat, abstulit.* Si cęlesti vita indigni nascimur, manemusque sub mortis seruitute, profectò nec paruuli ex veteris sancti sunt, nec in cælum ac regnum Dei sine regenerationis lauacro euadere possunt. Et cùm omnes in Adam lapsi sunt, certè & paruuli, cùm eius filij iam censeantur, nobiscum ceciderunt.

*In c. 3. Ioan. v. 6.*

4. MIN. Baptismi quoque necessitatem videtur idem agnoscere, cùm ait: *Verum quidem est, Baptismi neglectu arceri nos à salute: atque hoc sensu necessarium esse fateor.* Postea quoque fatetur, quod cùm Christus dicitur baptizasse, *tunc munus sibi à Patre iniunctum publicè auspicatus fuerit.* Iterumque Baptismi magnificos effectus, proindeque necessitatem volens nolensque prædicans, inquit: *Singularis ad nos consolatio redit, dum scimus Baptismum nostrum ad nos abluendos & renouandos non minus habere efficaciæ, quàm si à Filio Dei nobis datus foret.* DOCT. Multis certè seipsum coarguit. Nam si Baptismi contemptio arcet à salute, illius perceptio vel in voto vel in effectu prorsus ad salutem necessaria est. Et si administratio illius munus est mandatum à Patre cæleſti, quis sine illo regnum cælorum audebit vel sibi vel alijs polliceri? Denique, cùm Baptismo abluimur & renouemur, certè nullam innocentiam, nullam sanctificationē paruuli ex veteris secū adferūt.

*In c. 3. Ioa. v. 5. & 22.*

*In c. 4. Ioan. v. 2.*

MIN.

MIN. Et hanc rursum damnans, omnesque natura originis peccato infectos nasci adfirmans scribit: *Vt Adam prima sua creatione, tam sibi quàm posteritati Diuinæ gratiæ dotes acceperat, sic à Domino excidens, naturam nostram in seipso corrupit, vitiauit, deprauauit, perdidit. Abdicatus enim à Dei similitudine, semen nisi sibi simile gignere non potuit. Peccauimus igitur omnes, quia naturali corruptione omnes imbuti sumus.* DOC. Vbi ergo est illa iustitia, innocentia, & sanctitudo, quam paruulis affingunt ex veteris matrum? Vbi prærogatiua sanguinis? Vbi innata puritas? Dum itaque sic omnes corrupti, deprauati, & perditi nascimur, nonne penitus necessarium est, nos per sacrum Baptismi lauacrum prius emundari, quàm videamus regnum Dei? 5. *In c. 5. Rom. v. 12.*

MIN. Alibi quoque admodum copiosus est in recensendis totius generis nostri miserijs, amplificandisque peccati originis, quod omnes contrahimus, incommodis. Ait enim: *Natura nos omnes esse Dei inimicos: dæmonemq; habere in hominum corporibus & animis suum domicilium, sed postea expelli à Filio Dei. Insuper, tenendum esse natura nos omnes miseros ac maledictos, donec in Christo inuenerimus remedium. Adhæc, certum esse paruulos nõ esse innocentes ac sine culpa coram Deo, ex quo ex vtero prodierunt.* DOCT. Rectè certè, insuper & directè aduersus eiusdem errores. Etenim nemo inimicus Dei constituitur, nisi reipsa peccato detineatur: ergo & paruuli peccato sunt irretiti, non sancti in veteris. Dæmon quoque in sanctificatis & iustis domicilium non habet: non exeunt igitur sanctificati, sed inquinati. Institutum à CHRISTO aduersus tantam perniciem remedium, est regeneratio quæ fit ex aqua & Spiritu sancto in susceptione baptismi: est igitur maxima huius Sacramenti ad salutem consequendam necessitas: & qui aliter sentiunt ac docent, semper miseri sunt ac maledicti. Ex his te iterum atque iterum obsecro, attende quanta sit Authorum hæreseon vestrarum leuitas & inconstantia: vt sic in quanto salutis suæ discrimine versentur, qui huiusmodi non dico Protheis, sed arundinibus innituntur, agnoscas. 6. *In c. 9. Matt. v. 21. & in c. 12. v. 18. & in c. 16. v. 17.*

7. MIN. Vis cæteras contradictiones Caluinianas persequar? DOCT. Præstat, vt me ex Scripturis & Patribus aduersus vtramque hæresim dicentem paululum audias. Ac in primis nosse te velim, impuros ac veteres Gnosticos, deinde & Pelagianos harum hæreseon primos authores fuisse: verùm tanta constantia & virtute à sanctis Patribus victi ac profligati sunt, vt per mille & ducentos, id est, vsque ad hoc seculum nostrum, nemo inuentus sit, qui has sit ausus reuocare ac instaurare. MIN. Non exiguum planè est aduersus Caluinianos præiudicium, quod tam peruersos, damnatos, ac omni dedecore infames dogmatũ suorum parentes habeant. Sed scripturas expecto, quarum authoritate sint conuicti & damnati.

8. *Genes. 2.* DOCT. Primò ex hoc Dei omnipotentis ad primũ hominẽ verbo: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. In quocunq; enim die comederis ex eo, morte morieris.* Vter que comedit, ac in Deum tam grauiter deliquit, vt acceptam in creatione omnem gratiã, innocentiam, & iustitiam, in quibus vera vita consistit, penitus amiserit; ac in iram Dei, quę omniũ miserrima mors est, inciderit. At verò Paulus docet hoc peccatum adeò contagiosum & velut hæreditariũ esse, vt tota simul Adæ posteritas in eo, cum eo, & per eum deliquerit. *Rom. 5.* *Per vnũ hominem*, inquit, *peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Et ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Iudicium ex vno in condemnationẽ. Vnius delicto mors regnauit per vnum. Per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi.* MIN. His certè perspicuum est, etiam paruulos, cùm sint filij Adę, per peccatum originis coram Deo verè immundos, ideoque morti obnoxios esse: quousque per Baptismum Christi sanguine, meritis, & gratia fuerint renati, & in adoptionem filiorum Dei recepti.

9. *Genes. 17.* DOCT. Addiderunt hoc summi Dei ad Abraham de cunctis paruulis districtum præceptum. *Infans octo dierum circuncidetur in vobis. Masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Quamobrem morti adiudicatur paruulus, idque iudice Deo, nisi ob peccatum letha-

lethale in eo inuentum? An non etiam tanta Circuncisioni imposita necessitas, Baptismi qui huius loco successit, necessitatẽ expressit? Nam idem (inquit Gregor.) qui hoc olim clamauit, & de Baptismo dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ioan. 3.

10. Hanc naturæ communem iniquitatem & immũditiem Iob agnouit & defleuit, vociferans: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es? Cæli non sunt mundi in conspectu tuo, quanto minus homo abominabilis & inutilis? Stellæ non sunt mundæ ante faciem eius, quanto magis homo putredo & vermis?* Quibus appositè conueniunt etiam ista, quæ à Salomone scribuntur: *Quis potest dicere, Mundum est cor meum, Purus sum à peccato?* MIN. Nulla subest dubitatio, quin hæc de totius generis humani communi sorde ac originali nequitia dicantur. Iob 14. et 25. secundũ 70. Prou. 20.

11. DOCT. Dauid fidelibus sanctisque parentibus ortus, nequaquam se ex vtero mundũ aut sanctum effectum esse iactauit: sed contrà, penitus immundum & inquinatum se confessus est, dicens. *Ecce ego in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et de cunctis alijs etiam cecinit: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum:* quæ etiam intetprete & laudatore Apostolo, communem omnium hominum iniquitatem & miseriam hæreditariam satis exprimunt. Psalm. 50. Ps. 13. & 52. Rom. 3.

13. Accedit & superioribus testimonijs hoc rursum Pauli euidentissimum & certissimum: *Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.* Nam ira Dei in homines non accenditur, non excandescit, nisi propter peccatum. Communi ergo peccato vniuersi commaculamur, & à regno Dei tantisper exulamus, donec per lauacrum regenerationis omninò renouemur, & in album fratrum ac cohæredum vnici Filij Dei referamur. An non ergo extrema cęcitate, imò & amentia laborant veteres recentesque Pelagiani & Gnostici, dum iactitant se, ex vteris matrum per Spiritum diuinum ita sanctificatos & mundos esse; vt si etiam sine Baptismi sanctissimo lauacro decedant, Ephes. 2.

non minus pateat illis aditus & introitus regni cælorum?

MIN. Auferat Dominus velamen ab oculis & cordibus eorum, vt tot tamque horrendis erroribus agnitis & positis, ad viam veritatis & salutis tandem aliquando redeant. Mihi autem nunc sufficiunt tot Scripturæ, quibus & peccatum originis etiam in paruulis agnoscitur, & summa sacramenti regenerationis necessitas euidenter confirmatur. Tantùm auco ex te audire libros locosque Patrum, qui de his duabus sententijs disseruerunt; vt cùm mihi fuerit commodum, in eorum me lectione exerceam. DOCTOR. Augustinus de his copiosè & eleganter disputat, multis libris aduersus Pelagianos: præsertim verò contra Iulianum L. 2. capit. 1. Lib. 4. capite 10. & libro 6. capite 2. Hieronymus Dialogis tribus aduersus Pelagianos. Ambrosius Apologia pro Dauid, capite sexto, & libro sexto Epistolarum, ep. 10. Basilius magnus Homilia de pœnitentia. Origenes homilia 2. & 3. in Numeros: & Comment. in epist. ad Romanos. Cyprianus martyr libro 3. epist. 8. Tertullianus libro de patientia. Iustinus martyr in Dialogo. Ignatius martyr epist. ad Trallianos, & alij plerique omnes.

MIN. Sufficit. Persequamur reliqua. DOCT. Mihi compertum est illos hisce adhuc multò plures errores fouere, tam contra Christi & Spiritus sancti opera, quàm aduersus omnes Beatos cælorum ciues; aduersus ea quæ de Purgatorio, & spiritb. in eo detentis; aduersus ea quæ de locis ac tormentis inferorum, quibus reprobi cruciantur, retinere. Sed ad hæc satis diligenter & fusè inuestiganda, simulque refellenda, alia rursum dierum hebdomas necessaria foret. MINISTER. Illam quæso te, ne deneges mihi, cùm tibi per otium & salutem licuerit. Sic enim & animam meam multis expedies erroribus, & vt alijs plurimis pari morbo laborantibus auxilio & consolationi esse valeam, plenè efficies. Interim verò singula hactenus examinata religionis Christianæ capita diligenter expendam; ieiunijs, & orationibus ad Deum

omnis

omnis sapientiæ & pietatis fontem vbertimum effusis operam dabo, vt me diuino Spiritu suo illustrans, omnium hæreseon tenebras ex animo meo depellat; lectioni sacrorum Bibliorum, veterum Theologorum pia scripta & synceras interpretationes adijciam; à ministerio hæretico, librisque sectariorum penitus abstinebo, magna fide & spe confidens, quod me ouiculam suam hactenus aberrantem Princeps ille pastorum Christus Dominus in ouile suum colliget atq; foucbit. Tantisper verò dum hæc facio, summis precibus à te contendo, vt in precibus, ac sacris pertim astans altaribus, salutis meæ sis memor apud communem Deum & Saluatorem nostrum. DOCT. Bona fide id faciam. Huic autem hebdomadæ atque colloquio finem istis ad SPIRITVM SANCTVM demissis precibus imponamus.

*ORATIO, ex Lib. Medit. S. Aug. cap. 9.*

IAM ô Diuini amor numinis, Patris omnipotentis, Prolisque beatissimæ sancta cõmunicatio, omnipotens paraclite SPIRITVS, mœrentium consolator clementissime; iam cordis nostri penetralibus potenti illabere virtute, & tenebrosa quæq; laris neglecti latibula coruscl luminis fulgore habitator lętifica, tuique roris abundãtia longo ariditatis marcentia squallore visitando fœcunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris iaculo, & torpentis medullas iecoris flãmis salutaribus penetrando succende, sanctique feruoris igne illustrando, intima mentis & corporis vniuersa depasce. Pota nos torrente voluptatis tuæ, vt nihil iam mundanorum degustare libeat venenatæ dulcedinis. Iudica Domine, & discerne causam nostram de gente non sancta, doce nos facere voluntatem tuam, quia Deus noster es tu. Credimus quod quemcunque inhabitaueris, Patris ac Filij domicilium condis. Beatus qui te merebitur hospitem, quoniam per te Pater & Filius apud eum facient mansionem. Veni iam, veni benignissime dolentis animæ consolator, protegens in opportunitatibus, in tribulatione adiutor. Veni mundator scelerum, curator vulnerum. Veni fortitudo fragilium, releuator labentium. Veni humilium doctor, superborũ destructor. Veni orphanorum

pius Parer, viduarum dulcis iudex. Veni spes pauperum, refocillator deficientium. Veni nauigantium sidus, naufragij portus. Veni omnium viuentium singulare decus, morientium vnica salus. Veni sanctissime SPIRITVS, veni, & miserere nostri, & apta nos tibi, & condescende propitius nobis, vt nostra tuę magnitudini exiguitas, roboriq; tuo nostra imbecillitas, secundum multitudinem tuarum complaceat miserationum: Per IESVM CHRISTVM Saluatorem nostrum, qui cum Patre in tua vnitate viuit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Finis primę hebdomadis Dialogorum de SANCTISSIMA TRINITATE: cui omne decus & imperium in sempiternum. Author opus absoluit Coloniæ Agrippinæ,

CIↃ. IↃ. XCIV.

Non. Augusti.

ELEN-

# ELENCHVS ERRORVM, QVI HIS SEPTEM DIALOGIS REFELLVNTVR.

## DIALOGO PRIMO.

I.

*TRinitatis, & personarum consubstantialium nomina sunt sepelienda. Refellitur pagin. 27. 28. 29. &c.*

2.

*Illa non sunt coram Ethnicis confitenda: & primi Christiani illa ignorauerunt. Ibidem.*

3.

*Deum essentia infinitum, Deum in Trinitate personarum, sunt nomina monstrosa, Satanica, Prophetis & Apostolis incognita. Ibid.*

4.

*Sancta Trinitas non est inuocanda. 37. 38. 39. 40. &c.*

5.

*Eadem non est adoranda. 37. 43. 44. &c.*

6.

*Essentia Diuina est realiter & ab eterno distincta, adeoque triplex in personis diuinis. 48. 49. 50. 51. &c.*

7.

*Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt tres Spiritus; non vnicus & simplex. 58. 59. 60. 61.*

8.

*Essentia diuina non est in personis, nisi relatiuè. 61. 62. 63. &c.*

9.

*Personæ diuinæ subsistunt in Essentia. 64. 65. 66. 67 &c.*

10.

*Essentia diuina est incommunicabilis. 71. 72. 73.*

11.

*Personæ in Deo sunt discretæ proprietates, quæ mentibus nostris conspiciendæ offeruntur. 74. 75. 76. &c.*

12.

*Tres personæ diuinæ sunt tres causæ rerum: nomen Dei per excel-*

excellentiam ad solum Patrem pertinet. Personæ Diuinæ differunt gradu, forma, & specie. 82. 83. 84. &c.

13.

Potentia Dei absoluta est commentum profanum, & meritò detestabile, & execranda blasphemia, à Scholasticis introducta. 90. 91. &c.

14.

Nec credenda nec admittenda est vniuersaliter hæc Angeli propositio, Non est impossibile apud Deum omne verbum. 90. &c.

15.

Deus non potest efficere corpus humanum sine suis dimensionibus. 91. &c.

16.

Deus non potest seruare dimensiones seu quantitates sine repletione loci. 91. &c.

17.

Deus nulla virtute potest efficere, vt corpus Christi simul & semel existat in diuersis locis. 91. &c.

18.

Deus non potest facere vt corpus Christi sit inuisibile, & ab humanis sensibus imperceptibile. 91. &c.

19.

Deus non potest corpus de genere substantiæ comprehendere sub minore quantitate, quàm sua naturali atque propria. 92. &c.

20. & 21.

Deus non potest facere vt funis nauticus, vel camelus per foramen acus transeat. 92. &c.

22. 23. & 24.

Impossibilia sunt Deo quæ nunquam visa fuerunt; quæ nunquam futura sunt: & quæ Deus prænunciauit nunquam euentura. 92. &c.

25.

Id simpliciter Deo est impossibile, quod per naturam nobis est impossibile. 92. &c.

26.

Deus nihil efficere potest quod sit supra, aut contra ordinem in natura constitutum. 92. &c.

27. &

27. & 28.

*Deus nec potest velle, nec intelligere, vnum corpus eodem tempore in diuersis locis.* 92. 93. &c.

29. & 30.

*Omnipotentia Dei è Symbolo & Confessione fidei Christianæ tollenda: nec inter perfectiones diuinas est connumeranda.* 93. 94. 95. 96. 97. &c.

## DIALOGO SECVNDO.

1.

*Deus non esset verax, si faceret corpus Christi simul præsens diuersis locis.* 115. 116. 117. 118.

2.

*Esset quoque inconstans, mutabilis, ac propriæ repugnans naturæ.* 119. 120. &c.

3.

*Deus non est sine reprehensione, quicquid faciat, propterea quod nulli legi subiectus sit.* 121. 122. 123. &c.

4.

*Deus necessariò vult & facit bene: quia sibi loco necessitatis est. Nec est ei liberum semel datam nobis gratiam tollere, nec damnatum liberare: eò quòd nunquam sententiam suam immutet: & quod semel statuit, ita fieri necessum est.* 124. 125. 126. 127. &c.

5. & 6.

*Præscientia & voluntate Dei cuncta necessitate sic eueniunt, vt nulla sit in hominibus arbitrij libertas: nullaque in rebus huius mundi contingentia.* 130. 131. 132. 133. &c.

7.

*Deus nulla cura aut solicitudine improborum tãgitur.* 141. 142. 143. &c.

8.

*Dogma de Permissione Dei circa peccata, est mendaciũ, effugium, tergiuersatio, insulsum cauillum, & friuola solutio.* 146. 147. 148. &c.

9.

*Deum simplicem habere peccatorum præscientiam, sunt nugæ, & argutiæ, quas non admittunt Scripturæ.* 151. 152. 153. &c.

10.

*Deus improborum peccata decernit, consulit, constituit, & ordinat:*

ordinat: non solùm permittit. 155. 156. 157. &c.

11.

Deus suo arbitrio dispensat, & prædestinat homines ad peccandum. 159. 160. &c.

12.

Deus maiorem hominum partem destinatò creat vt damnet ac perdat. 164. 165. 166. &c.

13.

Deus dat menti reprobæ, vt ita mereatur perdi. 170. &c.

14.

Deus improbos seducit, indurat, & immittit errorem in eos, non tantùm deserendo: sed inclinando illorum mentes. 170. &c.

15.

Deus animos hominum in malas cupiditates inclinat: & peruersis desiderijs addicit, vt à concupiscentijs vincantur. 170. &c. at pelli-

16.

Nisi confiteamur Deum omnia (etiam peccata) in omnibus efficere, Deum esse negamus. 171. &c.

17.

Faciunt indurati ea, quæ Deus ipse vult eos facere, imò quæ ipse in eis facit. 171. &c.

18.

Deus voluit Pharaonem iussui suo non obtemperare: imò vt ei repugnaret, ipse in eo effecit. 171. &c.

19.

Deus immisit in cor Dauid, vt censeret populum, vtique ipse & voluit, & effecit, vt ille populum numeraret. 171. &c.

20. 21. & 22.

Adulterium Dauidis, sæuitia Manlij, & proditio Iudæ, æquè sunt Dei opus, atque ipsa conuersio Pauli. 171. &c.

23. & 24.

Deus fuit author furoris Satanæ; & rapinarum, prædationum, ac cædium Sabbæorum aduersus Iob. 172. &c.

25.

Deus fuit author cæcitatis & tyrannidis regis Achab. 172. &c.

26.

Incestus Absalomi in nouercas.

27. Con-

27.

*Conuitiorum Semei aduersus Dauid.*

28.

*Apostasiæ ac idolomaniæ decem tribuum Israelis.*

29.

*Omnium incendiorum, rapinarum, cædium, propulationū, quæ Chaldæorum exercitus commisit in Iudæa.*

30.

*Furoris, ingratitudinis, & malitiæ Iudæorum aduersus Christum.*

31.

*Iniquissimi iudicij à Pilato pronunciati.*

32.

*Omnium scelerum militum, qui Christum in cruce fixerunt, & deriserunt. Superiora crimina non sola Dei permissione: sed voluntate & decreto facta sunt. Satan, & scelesti latrones, ministri fuerunt. Deus author. Deus præcipuus est author: Satan verò tantùm minister. 172. &c.*

33.

*Deus vult, imò & præcipit Satanæ, vt mentiatur, seducat, fallatque incautos; tam per seipsum, quàm per seductores & pseudoprophetas. 172. &c.*

34.

*Impij sceleribus operam dantes, sunt tantùm velut secures aut gladij in manu Dei. ibid.*

35.

*Deus aduocat sceleratos, latrones, sicarios, quos sua manu disponit, vt diripiant ciuitates, sanctissimaque templa subuertant. 173. &c.*

36.

*Cùm cæcis obtruditur velum, vt in suis tenebris maneant, est arcanum Dei consilium. 173. &c.*

37.

*Deus nominatur author omnium, quæ dicuntur euenire per eius permissionem. ibid.*

38.

*Deus operatur omnia sine vlla exceptione boni aut mali, virtutis aut vitij: alioqui in otio delitesceret, iuxta errorem Epicuri. ibid.*

39.

*Deus vult & ordinat homines cadere in peccatū: Satanā co-*

*tra eos*

*tra nos insurgere: ac efficaciter peruicaciam operari in reproborum cordibus.* 173. 174. 175. 176. 177. 178. 179. 180. *&c.*

## DIALOGO TERTIO.

1.

*Filij Dei æterna persona est proprietas in Deo, quæ mentibus nostris conspicienda offertur.* 196. 197. 198. *&c.*

2. & 3.

*Filius Dei est simplex Dei Sapientia: & Voluntas æterna.* 200. 201. 202. *&c.*

4.

*Filius Dei bene & propriè à se esse asseritur: & fulgorem ingenitum habet.* 205. 206. 207. *&c.*

5.

*Filius Dei non est propriè de essentia aut substantia Patris genitus.* 211. 212. 213. *&c.*

6.

*Filij Diuinitas ab humanitate seiuncta nihil nobis prodesset.* 217. 218. *&c.*

7.

*Filius Dei habet distinctam substantiam à Patre.* 219. 220. 221. *&c.*

8.

*Filius Dei est secunda à Patre vitæ nostræ causa.* 223. 224. 225. *&c.*

9.

*In Christo sunt duæ vniones hypostaticæ; & alia persona Filij Dei, alia Mediatoris.* 228. 229. 230. *&c.*

10.

*Qui ad carnem Christi, etiam in vnione, adorationem dirigit, Dei ore maledictus est.* 233. 234. 235. 236. *&c.*

11.

*Qui ad carnem Christi, etiam Filio Dei hypostaticè vnitam, inuocationem dirigit, maledictus est. Qui dixerit Iesum Christum necessariò orandum & inuocandum esse, hæreticus est.* 242. 243. *&c.*

12.

*Venerari nomen IESV, est magicum & detestabile.* 248. 249. 250. *&c.*

13.

*Christus homo non potuit semetipsum suscitare à morte.* 254. 255. 256. &c.

14.

*Christus non est iudicaturus viuos & mortuos: sed Pater in eius persona. Neq; apparebit in iudicio: sed Pater.* 259. 260.

15.

*Christus secundum Deitatem pro nobis apud Patrem intercedit.* 262. 263. &c.

16.

*Filius non est Deus æternus, ac Patri consubstantialis & æqualis.* 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. &c.

## DIALOGO QVARTO.

1.

*Christi humanitas à Diuinitate separata, nihil mundo profuisset.* 287. 288. &c.

2.

*Christus cõmuni omniũ lege natus est ex Maria: nec ad fidem pertinet quod illa virgo pepererit.* 290. 291. 292. &c.

3.

*Christus tantùm canalis est, per quem vita in nos defluit.* 295. 296. 297. &c.

4. 5. & 6.

*Christus secundum animam non fuit ab initio conceptionis suæ beatus: ideoque Fidem, & Spem more aliorũ habuit.* 301. 302. 303. 304. &c. 309. 310. &c.

7.

*Nec omni gratia Spiritus sancti donatus fuit, adeo vt in hac cum ætate profecerit.* 313. 314. 315. &c.

8. 9. & 10.

*Christi anima subiecta fuit ignorantiæ; ita vt erudiretur more hominum; communem Angelis ignorantiam assumpsit.* 317. 318. 319. &c.

11.

*Christus secundum hominem diem vltimum absolutè nescivit.* 327.

12.

*Nescius fuit fidei offerentium sibi paralyticum.* 332. 333.

13.

*Species arboris fici, ad quam accessit, fuit illi incognita.* 335. 336.

14.

*Christus docendo impropriè & absurdè multa dixit.* 337. 338. 339. &c.

15. 16. 17. 18. 19. 20. & 21.

*Christus docendo non solidè probauit: parum appositè respondit; à longè petitus & propè intempestiuus fuit eius sermo: duris metaphoris & similitudinibus non omni ex parte quadrantibus vsus est: partitiones minus conuenientes vsurpauit: superuacuas intulit illationes: parum solidè calumnias obiectas refutauit: parumque solidè ratiocinatus est.* 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350.

22.

*Castimonia eius suspecta fuit, cùm haberet fomitem in carne sua.* 351. 352. 353. &c.

23.

*Christus non abstinuit à cibo & potu, vt nobis temperantiæ documentum ederet.* 358. 359. 360. &c.

24.

*Christus Discipulos sibi colligere non potuit, nisi ex fæce & quisquilijs populi.* 364. 365. 366.

25.

*Fides est vnicum instrumentum, quo Christus apprehenditur & suscipitur: & hoc vnum postulat Deus à nobis vt credamus.* 368. 369. 370.

26.

*Quandiu in terris versatus est Christus, non egit aduocati nostri partes.* 372. 373. 374. &c.

27. & 28.

*Christus simpliciter & per se oppositus iudicio Dei non meruit: nec in eo reperta est dignitas quæ posset Deum promereri.* 376. 377. 378. 379. 380. &c.

29. 30. 31. 32. 33.

*Christus sua incarnatione, natiuitate, tentationibus, afflictionibus, alijsque laboribus, nihil nobis profuit, nihil meruit.* 391. 392. 393. 394. &c.

## DIALOGO QVINTO.

1.

*In Christi crucifixi contemplatione non reperit fides Christiana quo se sustentet, quoniam illic tantùm apparet carnis infirmi-*

*firmitas, ac extremæ desperationis materia.* 402. 403 404. 405. &c.

2.

*Christus tanquam vnus aliquis ex hominum numero, ostendit mollitiem animi, votaque habuit vocationi suæ contraria, inconsiderata, corrigenda, & retractanda.* 412. 413. 414. &c.

3. 4. & 5.

*Christus orans in horto Oliuarum rem impossibilem sibi concedi popposcit; Pater flecti non poterat ad mittendum ei suppetias; & illius oratio fuit abrupta, immeditata, extorta, immoderata; ac iccirco castiganda & reuocanda.* 416. 417. 418.

6.

*Christo memoria excidit se missum esse Saluatorem mundi.* 423. 424. &c.

7.

*Mediatoris officio defungi renuit atque detrectauit.* 426. 427. &c.

8.

*Nihil memoria dignum actum est cum Christo in domo Annæ.* 430. 431. &c.

9.

*Nihil humanæ salutis actum erat, si corporea tantùm morte defunctus esset Christus.* 435. 436. 437. &c.

10. & 11.

*Christus in anima sua omnia iræ ac maledictionis Diuinæ signa expertus est: omnesque damnatorum ac perditorum hominum cruciatus pertulit.* 443. &c.

12.

*Idem de æterna salute animæ suæ dubitauit.* 458. 459. &c.

13. & 14.

*Christus verè peccator fuit, & reus maledictionis diuinæ: & vt reus cunctorum maleficiorum oportuit eum sisti ad Dei tribunal.* 462. 463. 464. &c.

15. 16. & 17.

*Christus sibi persuasit Patrem sibi iratum esse: se exhorrere, detestari, deserere ac maledicere: deniq; in æternum velle perdere.* 468. 469. 470. &c.

18.

*Christus tortus fuit hac conscientiæ persuasione & anxietate, quòd verè à Deo derelictus esset.* 472. 473. &c.

19.

*In cruce pendens desperationis voces plenas emisit.* 481. 482. 483. &c.

20. & 21.

*Sua passione & morte nihil sibi meruit: quoniam omnem gloriã & exaltationem habuit ab initio.* 490. 491. 492. &c.

22.

*Pro cunctis in vniuersum hominibus passus & mortuus non est.* 498. 499. 500. &c.

## DIALOGO SEXTO.

1.

*Articulus descensus Christi ad inferos de Symbolo fidei Christianæ delendus est.* 506. 507. &c.

2. 3. & 4.

*Fabula est quicquid à priscis aut recentioribus Theologis dicitur de Limbo Patrum: illic nequaquam descẽdit Christus: nec veterum animas inde liberauit.* 508. 509. &c.

5.

*Christũ clauso tumulo non resurrexisse.* 518. 519. 520. &c.

6.

*Nec ianuis clausis ad Apostolos in Cœnaculum introijsse.* 523. 524. &c.

7.

*Docentes sanguinem Christi cum carne eius cõiunctum esse, furunt.* 527. 528. &c.

8.

*Multos hominum filios ante Christum in cælos ascendisse.* 530. 531. 532. &c.

9.

*Locum imaginari non conuenit in quem Christus ascenderit.* 536. 537. 538. &c.

10.

*Non potuit corpore suo cælos sine apertione penetrare.* 541. 542. &c.

11.

*Sessio eius ad dextram Patris designat secundum gradum potestatis, quem vt vicarius Dei obtinet.* 543. 544. &c.

12.

*Christus sola effusione sanguinis sui, & mortis efficacia pro nobis*

nobis apud Patrem in cælis interpellat. 552. 553. 554. &c.

13.

Ex quo in cælos ascendit, nunquam in terris secundum humanitatem apparuit. 558. 559. 560. &c.

14.

Stultum & anile delirium est imaginari Christum venturum ad iudicium cum cicatricibus pro nobis susceptorum in carne sua vulnerum. 565. 566. 567. 568.

15.

Non est timendum vt in iudicium veniant peccata nostra. 570. 571. 572. 573. &c.

16.

Improbi virtute Christi non sunt resurrecturi, sed potentia & virtute filij tanquam iudicis. 576. 577. 578. &c.

## DIALOGO SEPTIMO.

1. & 2.

Spiritus sanctus non habet Diuinitatem à Patre & Filio: sed à semetipso. 581. 582. 583. 584. &c.

3.

Spiritus sanctus habet Essentiam distinctam à Patre & Filio. 587. 588. &c.

4.

Spiritus sanctus est tertia tantùm rerum causa, tertiumque obtinet imperij & honoris gradum. 591. 592. 593. &c.

5.

Est Patris ac Filij essentialis virtus & potentia. 594. 595. 596. &c.

6.

Est quædam proprietas quæ animo in Deo concipitur. 597. 598. 599.

7.

Pater non vult adorari in Spiritu sancto, æquè vt in Filio. 600. 601.

8.

Non est supremo cultu adorandus. 602. 603. 604. 605.

9.

Non est religiosè inuocandus. 606. 607. 608.

10 & 11.

Nec est absoluta potestate, nec simplici peccatorum futuro-

*rum præscientia præditus.* 610. 611. 612. *&c.*

12. & 13.

*Est author peccatorum; & reprehensioni nonnunquam obnoxius.* 614. 615. 616. *&c.*

14.

*Non est nobis propositus vt in eum fidem nostram dirigamus.* 618. 619. 620.

15. 16. & 17.

*Nec est propriè persona Diuina, à Filio distincta, vel consubstantialis.* 621. 622. 623. *&c.*

18.

*Apostolos in gratia sua non confirmauit in die Pentecostes.* 630. 631.

19. & 20.

*Siuit B. Petrum in grauissimum Ecclesiæ scandalum, & Schismatis peccatum incidere.* 632.

21. & 22.

*Eundemque in periculum adducere Christianam libertatem, & gratiam Christi obruere.* 632.

23. & 24.

*Illum etiam derogare Pauli doctrinæ; in agendis non tenere modum, sed magis gratificandi hominibus, quàm ædificandi studio teneri.* 632.

25. & 26.

*Praua, intempestiua, ac Ecclesiæ noxia vti simulatione: & Gentes arcere ab Ecclesiæ communione, nisi abdicata Euangelij libertate* 632.

27.

*Permisit denique illum Euangelium deformare, eius puritatem in discrimen adducere, iniquum esse erga Gentes, piorum conscientias Legi obstringere, & silentio doctrinam libertatis sepelire.* 633.

28.

*Idem Spiritus sanctus siuit D. Iacobum stolida indulgentia quasdam Legis ceremonias vitioso & stolido zelo retinere, & vota superstitiosa probare.* 634.

29.

*Ioannem Euangelistam crimine idololatriæ & apostasiæ se commaculare.* 634. 635.

30.

*Paulum multis sordibus inquinari, peruersæ cõfidentiæ & temeritati subijci, viuere vt securus Epicureus, maximus Dei contemptor, profanus, abhorrens à spiritalibus & cælestibus, atque carni prorsus deditus.* 635.

31.

*Spiritus S. permisit B. Matth Euang. veterum Prophetarum sententias contra proprium sensum torquere.* 636.

32.

*B. Marcum esse hominem inconstantem, perfidũ, & sanctæ vocationis suæ desertorem.* 636.

33.

*B. Lucam sententias Christi ex abrupto, & absque cõtextu referre.* 636.

34.

*B. Ioannem vocibus sacris impropriè vti.* 637. 638. 639. 640. *&c.*

35. & 36.

*Spiritus sanctus nullam virtutem communicat verbo Dei, aut Sacramentis.* 655. 656. 657. *&c.*

37. & 38.

*Permisit Ecclesiam Christi è terris deficere: & in doctrina fidei ac bonorum morum aberrare.* 660. 661. *&c.*

39. & 40.

*Spiritus S. vnumquemque fidelium reddit suæ prædestinationis, atque propriæ iustitiæ certum.* 682. *&c.*

41. & 42.

*Nec à fide semel data hominem vnquam cadere permittit: sed donum perseuerantiæ semper connectit.* 691.

43.

*Nec à gratia semel collata sinit excidere.* 697.

44.

*Hos etiam inhabitat qui actu peccant, & in peccatis perseuerant.* 703.

45. & 46.

*Spiritus S. paruulos fidelium sic in vteris maternis sanctificat, vt sine lauacro regenerationis decedentes intrent in regnum Dei.* 707. 708. *& seq.*

FINIS.

# INDEX SACRARVM SCRIPTVRARVM, QVAE SPARSIM HOC LIBRO explicantur, vtriusque Testamenti Librorum seruato ordine.

## GENESIS.


Cap. 1 In principio creauit Deus cælum & terram. Pagina 84. 218.
Spiritus Domini ferebatur super aquas 594. 599. 611. 625.
Faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinem nostram 88. 225. 276.
Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona 184.
2 In quacunque die comederitis, morte moriemini. 710.
3 Semen mulieris conteret caput tuum 276.
Eritis sicut dij scientes bonum & malum 53.
4 Nónne si benefeceris recipies, sin autem malè, peccatum &c. 134.
Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear 485.
17 Infans octo dierum, cuius caro præputij circuncisa non fuerit &c. 710.
18 Loquar ad Dominũ, cùm sim puluis & cinis 240.
23 In semine tuo benedicentur omnes gentes 276. 665 666.
37 Descendam ad filium meum in infernum 534.
49 Non auferetur sceptrum de Iuda &c. & ipse erit expectatio Gentium 239. 277.


## EXODI.


3 Ego sum, qui sum. Qui est, misit me ad vos 62. 81.
10 Indurauit Dominus cor Pharaonis &c. 194. 195.
20 Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te &c. 277.
Non occides. Non mœchaberis &c. 186.


DEV-

6 Dominus Deus tuus, Deus vnus est. 53. 61. 69. 158.
26 Tu hodie elegisti Dominum Deum, vt per vias eius ambules. 134.
30 Testes inuoco cælum & terram, quod proposuerim vobis vitam & bonum, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam &c. 134.
32 Ego occidam, & viuere faciam: percutiam, & sanabo, &c. 130.
Dei perfecta sunt opera. Deus fidelis & absque vlla iniquitate. 184.

IVDICVM.

14 Spiritus Domini irruit in Samson. 586. 599. 629.

SECVNDI REGVM.

24 Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his. 134.

TERTII REGVM.

2. Si custodierint filij tui vias meas, & ambulauerint &c. 129.
21 Quia humiliatus est Achab mei causa, non inducam malum &c. 129.

IOB.

1 Ecce cuncta quæ habet, in manu tua sunt. 149.
6 Vtinam appenderentur peccata mea, quibus irã merui: & calamitas quam patior, in statera &c. 385. 388.
15 Cæli non sunt mundi in conspectu eius &c. 711.
19 Rursum circundabor pelle mea, & in carne mea &c. 529.
26 Spiritus Domini ornauit cælos 599. 611.

PSALMORVM.

2. Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam &c. 665.
Seruite ei cum timore, & exultate cum tremore. 239. 702.
Apprehendite disciplinam, nequando irascatur &c. 238.
5 Non Deus volens iniquitatem tu es. 185.
6 Domine, ne in furore tuo arguas me, &c. 572. 573.

8 Minuisti eum paulo minus ab Angelis &c. 270. 271.
Gloria & honore coronasti eum 278.
11 Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum &c. 347.
15 Caro mea requiescet in spe 313.
Non derelinques animam meam in inferno, &c. 320. 512. 513.
Delectationes in dextera tua vsque in finem 547.
21 Deus meus, quare me dereliquisti? 456. 479.
In te sperauerunt patres nostri, & liberasti eos &c. 477.
Ego autem sum vermis & non homo &c. 224. 470.
Spes mea ab vberibus matris meæ 313.
Omnes videntes me, deriserunt me, &c. 434. 477.
Adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ Gentium 238.
32 Spiritu oris eius omnis virtus eorum 625. 630.
44 Diffusa est gratia in labijs tuis, &c. 343
Sedes tua Deus in sæculum sæculi, &c. 278.
Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis 320.
Ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum 238. 278.
47 Deus fundauit eam in æternum 665.
49 Inuoca me in die tribulationis, eruam te &c. 241.
50 Ecce ego in iniquitatibus conceptus sum &c. 711.
Spiritum sanctum tuum ne auferas à me 599. 607. 685.
Spiritu principali confirma me 594. 607.
67 Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium &c. 279.
Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem &c. 279 534.
88 Si autem dereliquerint filij tui legem meam &c. 128.
96 Adorent eum omnes Angeli 279.
103 Emitte Spiritum tuum & creabuntur 594. 611. 630.
105 Dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset &c. 127.

109 Sede à dextris meis &c. 545. 546. 550. 551.
Ex vtero ante luciferum genui te 214.
Tu es sacerdos in æternum secundum &c. 555.
De torrente in via bibet, propterea &c. 494. 495.
118 A iudicijs enim tuis timui 572. 685.
129 Copiosa apud eum redemptio 386. 399. 400.
138 Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiã? 589.
142 Non intres in iudicium cum seruo tuo 573. 685.

PROVERBIORVM.

16 Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoq; ad diem malum 193. 194.

ECCLESIASTES.

9 Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit 689 690. 702.
12 Cuncta quæ fiunt adducet Dominus in iudicium 570.

SAPIENTIAE.

1 Deus mortem non fecit, nec lætatur in morte pereuntium 162.
Spiritus Domini repleuit orbem terrarum 589 630.
Spiritus sanctus disciplinę effugiet fictum 705.
5 Inuocaui, & venit in me Spiritus sapientiæ 607.
11 Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti 184.

ECCLESIASTICI.

10 Initium omnis peccati superbia 162.
15 Deus dereliquit hominem in manu consilij sui 135.

ISAIAE.

1 Si volueritis, & audieritis me, bona terrę comedetis 128.
Heu, consolabor super hostibus meis &cæt. 189.
2 Idola penitus conterentur 674.
6 Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth 43. 44. 604.
Aure audietis, & non intelligetis 627.
7 Ecce, Virgo concipiet, & pariet filium &cæt. 291.
9 Paruulus natus est nobis, & Filius datus est &c. 399.
11 Requiescet spiritus sapientiæ & intellectus 315. 320.
Erit fides cinctorium renum eius 312.
35 Confortamini, ecce Deus vester veniet &c. 279.
40 Parate viam Domini, &c. 280.

41. Acce-

41 Accedant & nuntient nobis ventura, &c. & sciemus quia dij estis vos 626.

45 Ego Dominus faciens pacem, & creans malum 194

Labor Aegypti, negotiatio Aethiopiæ, & Sabbaim viri sublimes, ad te transibunt &c. & te adorabunt, teque deprecabuntur 280.

46 Vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram: ego portabo & saluabo 673.

48 Dominus misit me, & Spiritus eius 627.

53 Verè langores nostros ipse tulit &c. 439. 462.

Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras &c. 414.

Omnes nos quasi oues errauimus, &c. 500.

Oblatus est, quia ipse voluit &c. 439.

Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in eo dirigetur &c. 495.

Posuit in eo iniquitates omnium nostrum 463. 467. 500.

55 Quomodo descendit imber & nix de cælo &c. 651.

61 Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento iustitiæ circundedit me, & tanquam sponsam decorauit &c. 677.

63 Quis est iste, qui venit de Edom &c. Quare rubra sunt vestimenta tua? Torcular calcaui solus 568.

## IEREMIAE.

1 Dedi verba mea in ore tuo, vt euellas & destruas, & dispердas &c. 349.

18 Si pœnitentiam egerit gens illa &c. agam & ego pœnitentiam &c. 129.

21 Do coram vobis viam vitæ & mortis 135.

23 Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, &c. 349. 651.

25 Si forsitan audiant, & conuertantur 139.

## EZECHIELIS.

18 Si impius egerit pœnitentiam, &c. vita viuet &c. 129.

Si auerterit se iustitia sua &cæt. in pecca tis morietur 700.
Nolo mortem peccatoris, &c. 166.

36 Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini &c. 616. 674.

44 Porta hæc clausa erit, & non aperietur, &c. 292. 294.

## DANIELIS.

2 Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit &c. 292. 674.

7 Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit 546.
Potestas eius, potestas æterna, quę non auferetur: & regnum eius quod non corrumpetur 281.
Cornu illud faciebat bellum aduersus sanctos, &c. 639. 640.

9 Vngetur sanctus sanctorum &c. 355.

13 Duo senes accurrerunt ad Susannam, & dixerũt: Ecce ostia pomarij clausa sunt &c. 180. 183.
Nosti omnia antequam fiant 613.

## OSEE.

1 Domui Iuda miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo 281.

2 Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia &c. 676. 677.

4 Non visitabo super filias vestras, cùm fuerint fornicatæ, &c. 149.

6 Viuificabit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos, &c. 514.

13 Perditio tua ex te Israël: tantummodo in me auxilium tuum 179. 187.
De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos 281. 514. 535.
Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne 514. 535.

## AMOS.

3 Si est malum in ciuitate quod non fecerit Dominus 194.

## IONAE.

1 Si fortè Deus recogitet de nobis, & non peream-mus 139.

Quis

Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus &c. 129. 140. 690.

IOELIS.

2 Quis scit si conuertatur & ignoscat, & relinquat post se benedictionem? 166. 690.
Ego Dominus Deus vester, & non est amplius &c. 281.
Zelatus est Dominus terram suam &c. 166.
Effundam de Spiritu meo super omnem carnem &c. 281.

MICHAEAE.

4 Venite, ascendamus ad domum Domini, & ad domum Dei Iacob &c. 282.
5 Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis 282.

AGGAEI.

2 Magna erit gloria domus istius nouissimæ &c. 679.

ZACHARIAE.

9 Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua 514. 516. 534.
12 Aspicient ad me quem confixerunt 568.
Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ &c. 421.
13 Erit fons patens domui Dauid &c. 675.

MALACHIAE.

3 Ego Dominus & non mutor 119.
Veniet ad templum sanctum suum Dominator Dominus &c. 282.

# EX LIBRIS NOVI TESTAMENTI: AC PRIMO EXEVANGELIO S. MATTHAEI.

MATTHAEI.

1 Quod in ea natum est, de Spiritu S. est 612. 626.
Vocabis nomen eius IESVM, ipse enim saluum faciet &c. 240. 249. 251. 291 397.
2 Et procidentes adorauerunt eum 45. 238.
3 Baptizabit vos in Spiritu sancto & igni 381.
Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui 283. 306. 378. 486.

4 Dic vt lapides isti panes fiant 109. 365.
Non in solo pane viuit homo 651.
Dominum Deum tuum adorabis &c. 53.
Appropinquauit regnum cælorum 535.
5 Beati eritis cùm maledixerint vobis homines &c. 240.
Vos estis sal terræ. Vos estis lux mundi 643. 649.
Sitis Filij Patris vestri qui in cælis est &c. 145.
6 Ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo 189. 696.
7 Qui audit verba, & facit ea, assimilabitur viro sapienti &c. 239.
Erat docens eos sicut potestatem habens &c. 341.
9 Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto &c. 333. 334.
Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam 145. 166.
Tenuit manum puellæ, & surrexit 577.
11 Omnia mihi tradita sunt à Patre meo 329.
10 Dabitur vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri &c. 644.
Qui amat Patrem aut matrẽ plusquam me &c. 239.
Timete eum qui potest & animam & corpus perdere &c. 572.
11 Tu es qui venturus es, an alium expectamus? 513.
Omnia mihi tradita sunt à Patre meo &c. 329.
Venite ad me omnes qui laboratis, &c. 166. 246. 374.
12. Qui dixerit contra Spiritum sanctum non remittetur ei &c. 586. 604.
Omne verbum otiosum quod loq. &c. reddent rationem de eo &c. 576.
15 De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes &c. Hæc sunt quæ coinquinant hominem 189.
Illa venit, & adorauit dicens, Domine, adiuua me 585.
16 Si quis vult venire post me &c. 361.

Tu

Tu es Christus Filius Dei viui 283.
Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi &c. 667. 670.
Filius hominis venturus est in gloria &c. 261. 575.
18 Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus &c. 681.
Non est voluntas Patris mei vt pereat vnus de pusillis istis 107.
19 Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum 97.
20 An non licet mihi facere quod volo? 130.
21 Clamabant dicentes, Hosanna in excelsis 243.
Videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam &c. 335.
23 Quoties volui vos congregare &c. & noluistis? 135. 168.
25 Cùm venerit filius hominis in maiestate sua 261.
26 Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est 152.
Hic est enim sanguis meus, qui pro multis effunderur in remissionem peccatorum 440. 449. 451.
Tristis est anima mea vsque ad mortem 430. 451.
Pater, si possibile est, transeat à me calix iste &c. 204. 486.
An putas quia non possum rogare Patrem meũ, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? 418.
Videbitis filium hominis venientem cum nubib. cæli 261.
27 Peccaui tradens sanguinem iustum 353.
Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? 454. 455. 456. 477. 478.
Sperauit in Deo, saluum faciat eum nunc si vult 313.
28. Angelus Domini accedens reuoluit lapidem, &c. 520. 521.
Discipuli videntes IESVM adorauerunt eum 236.
Data est mihi omnis potestas in cęlo & in terra 493.
Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine

mine Patris & Filij & Spiritus ſancti 31. 40. 242. 588. 599. 619.
Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus 667. 670.

MARCI.

13 De die illo vel hora, nemo ſcit, neq; Angeli in cæ lo, neque Filius, niſi Pater 331. 332.
14 Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt 102. 418.
Tu es Chriſtus Filius Dei benedicti? 283.
16 Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ 500.

LVCAE.

1 Concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius IESVM 231. 283.
Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis 666.
Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei 231. 283. 355.
Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum 90. 102. 106.
Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me 231.
2 Reſponſum accepit Simeon à Spiritu S. non viſurum ſe mortem &c. 608.
Puer autem proficiebat ætate & ſapientia, & gratia &c. 316. 326.
4 Omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum 341.
7 Adoleſcens, tibi dico ſurge, & reſedit qui erat mortuus 577.
22 Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua 670. 674. 694.
23 Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt 375. 488.
Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum 246.
Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo 246. 261. 535.
24 Nonne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam? 545.
Videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum:

palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, &c. 529. 566.

IOANNIS.

1 In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbū 203. 220. 226. 274. 303
Omnia per ipsum facta ſunt, &c. 226. 240. 276.
In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum 297.
Dedit poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt &c. 226. 239. 381. 471.
Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis 230. 276. 473.
Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis 215. 304. 315. 322. 394. 460.
De plenitudine eius nos omnes accepimus 316.
Vnigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris, ipſe narrauit 304.
Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi 463. 484.

2 Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud 578.
Ieſus nouerat omnes, nec opus erat vt quis &cæt. 322.

3 Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei 656.
Non ad menſuram dat Deus Spiritum 316. 342.
Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius 379.
Filius hominis qui eſt in cælo 305.

4. Tu petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam 245.
Deus ſpiritus eſt, & eos qui adorant oportet in ſpiritu adorare 602.

5 Non poteſt Filius à ſe facere quicquam niſi quod viderit Patrem &c. 362.
Sicut Pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic Filius &c. 227. 257. 261. 577.
Pater omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent &c. 261. 546. 547.

Mortui audient vocem Filij Dei,& viuent 578.
Sicut Pater habet vitam &c. sic dedit & Filio vitam habere &c.209. 227.
6 Ego resuscitabo eum in nouissimo die 257.
Is qui est à Deo, hic vidit Patrem 305.
Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi 298.
Panis quem dabo, caro mea est pro mundi vita 295. 298. 449.
Caro mea verè est cibus &c. 300.
Qui manducat me, viuet propter me 299. 300. 577.
Multi audientes ex discipulis eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant 695. 696.
Dixit Iesus ad duodecim, Nunquid & vos vultis abire? 134. 135. 696.
7 Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me &c. 323.
Nunquam sic loquutus est homo, vt hic loquitur 340.
8 Quis ex vobis arguet me de peccato? 355. 416.
Antequam Abraham fieret, ego sum 284.
9 Et procidens adorauit eum 239.
10 Animam meam pono pro ouibus meis 426. 440.
Propterea me diligit Pater, quia ego pono animã meam &c. 379. 427. 470.
Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam 427. 578.
Ego & Pater vnum sumus 54. 87. 227. 238. 264. 588.
11 Ego sum resurrectio & vita &c. 258. 577.
Lazare, veni foras. Et prodijt viuus &c. 577.
12 Nunc iudicium est mundi, nunc princeps &c. 386
Si exaltatus fuero à terra, omnia traham &c. 440. 535.
Ante sex dies Paschæ venit IESVS Bethaniam &c. 427.
13 Sciens quia Pater dedit ei omnia in manu 54. 428. 486.
Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci &c. 360.

Iesus turbatus est spiritu 456.
14 Vado ad eum qui misit me,&c.460. 461.
Si abiero,& parauero vobis locum,iterum veniam &c. 539.
Ego in Patre,& Pater in me est 214. 305.
Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo &c 251.
Rogabo Patrem,& alium Paraclitum dabit vobis 556. 628.
Vt maneat vobiscum in æternum &c. 617. 641. 670. 681.
Apud vos manebit,& in vobis erit 641.
Ille vos docebit omnia,& suggeret omnia &cæt. 615.
15 Mundi estis propter sermonem quem loquutus sum vobis 652.
Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes &c.688.
Fructus vester maneat 679.
16 Spiritus veritatis qui à Patre procedit 583.584.596. 628.
Arguet mundum de peccato,de iustitia, & de iudicio 615.
Si abiero mittam eum ad vos 585.
Ille me clarificabit,quia de meo accipiet 583.584. 585.
Si quid petieritis Patrem in nomine meo &cæt. 244.
17 Clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui &c. 470.
Ego pro eis rogo: non pro mundo 645.
Mea omnia tua sunt,& tua mea sunt 546.
Pater sancte, serua eos in nomine tuo,quos dedisti mihi 645.
Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo 645.
Sanctifica eos in veritate 374. 645.
Pater,quos dedisti mihi,volo vt vbi ego sum & illi sint mecum 461. 553.
18 Sciens omnia quæ ventura erant &c.429. 487.

Duxe-

Duxerunt eum ad Annam primùm 432. 433.
19 Vt consummaretur Scriptura dixit: Sitio 425. 489.
Consummatum est 438. 449. 450.
In manus tuas commendo spiritum meum 492. 495
Videbunt in quem transfixerunt 568.
20 Venit Maria Magdalena cùm adhuc tenebræ essent 521.
Cùm fores essent clausæ venit Iesus & stetit in medio 524. 525.
Ostendit eis manus & latus &c. 566. 567.
Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum &c. 567.
Dominus meus & Deus meus 230. 285.

ACTORVM.

1 Vos baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies 646.
Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa &c.
Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum 259. 262. 562. 567.
2 Factus est repente de cælo sonus &c. 647.
Repleuit totam domum vbi erant sedentes 647.
Repleti sunt omnes Spiritu S. &c. 599. 613.
Non derelinques animam meam in inferno, &c. 320. 512. 513.
Baptizetur vnusquisq; vestrum in remissionem peccatorum &c. 666.
4 Non est aliud nomen sub cælo datum hominib. &c. 377.
Multitudinis credentium erat cor vnum &c. 633.
5 Non estis mentiti hominibus, sed Deo 589. 604. 620. 628.
Oportet obedire Deo, magis quàm hominib. 643.
7 Vos semper Spiritui S. restitistis &c. 604.
Intendens in cælum vidit gloriam Dei &c. 549.
9 Domine IESV, suscipe spiritum meum &c. 246.
8 Si fortè remittatur tibi hæc cogitatio 139. 694.
9 Ego sum IESVS Nazarenus, quem tu persequeris 560.
Dominus IESVS qui apparuit tibi in via qua venie bas &c. 561.

15 Qui autem missi erant à Spiritu sancto &c. 629.
20 Attendite vobis,& vniuerso gregi,in quo Spiritus sanctus posuit &c. 627.
22 Deus patrum nostrorum præordinauit te vt cognoscceres &c. 561.
23 Assistens Paulo Dominus dixit. Constãs estõ &c. 561.
27 Bene locutus est Spiritus per Isaiam, dicens,Vade ad populum istum &c.627.

EPISTOLAE ad Romanos.

1 Factus est ei ex semine Dauid secundum carnem 110. 231.
Gratia vobis & pax à Deó Patre nostro,& Domino IESV Christo 39.
2 Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? 150.
3 Alioqui quomodo iudicabit Deus hunc mundum? 192.
Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt &c.
Deus verax est,omnis autem homo mendax 117.
4 Vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt 102.
5 Gratia Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum &c. 703.
Non sicut delictum,ita & donum &c. 383.
Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem &c. 383.
Vbi abundauit delictum,superabundauit & gratia 384.
6 Resurgens à mortuis iam non moritur &c.529.
8 Spes quæ videtur,non est spes 311.
Christus qui mortuus est & resurrexit, interpellat pro nobis 266.
Quid oremus sicut oportet nescimus &c. 422.
9 Voluntati eius quis resistit? 102.122.
Cuius vult miseretur,& quem vult indurat 130.
Sustinet in multa patientia vasa iræ &c.150. 163.
Propter incredulitatem fracti sunt rami 687.

11 Vide ne fortè nec tibi parcat 139. 687.

PRIMAE ad Corinthios.

1 Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum &c. 442.

Nobis autem Dei virtutem & sapientiam 201.

4 Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum 686.

6 Empti enim estis pretio magno &c. 385.

7 Potestatem habens suæ voluntatis &c. 136.

8 Idolum nihil est in hoc mundo 54.

9 Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo &c. 686.

10 Qui stat, videat ne cadat 687.

Fidelis est Deus qui non patietur vos tentari &c. 157.

13 Cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur &c. 113. 310. 311.

Prophetiæ euacuabuntur, linguæ cessabunt &c. 302.

15 Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo &c. 578.

SECVNDAE ad Corinthios.

5 Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi &c. 375.

Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum &c. 375.

Pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt &c. 501.

9 Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia &c. 136.

11 Timeo ne sicut serpẽs seduxit Euam astutia sua, ita &c. 156. 687.

EPISTOLAE ad Galatas.

2 Cùm venisset Cephas Antiochiam, in facie restiti illi 631. 632. &c.

Viuo ego, iam non ego; viuit autem in me Christus 635.

3 Christus factus est pro nobis maledictum 375.

Mediator vnius non est, Deus autem vnus est 264.

4 Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra, &c. 422.
5 Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio &c. 190.
Fructus autem Spiritus est, charitas, gaudium &c. 190.

EPISTOLAE ad Ephesios.

1 Elegit nos vt essemus sancti & immaculati 379.
Habemus redemptionem per sanguinem IESV Christi &c. 440.
Signati estis spiritu promissionis sancto 708.
Constituit eum Deus Pater ad dexteram suam in cælestibus &c. 547.
2 Eramus natura filij iræ 711.
Qui eramus longè, facti sumus propè in sanguine Christi 442.
3 Mihi data est gratia hæc in Gentibus &c. 318.
4 Quod ascendit quid est, nisi quia & descendit primum &c. 515. 539.
Nolite contristare Spiritum sanctũ Dei &c. 604.
5 Estote imitatores Dei, sicut filij carissimi 361.
Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ 652. 653. 656.

EPISTOLAE ad Philippenses.

2 Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo 284.
Exinaniuit semetipsum factus obediens &c. 392. 393.
Propter quod & Deus exaltauit illum &cæt. 396. 495. 496. 547. 549.
Vt in nomine IESV omne genu flectatur 251.
Cum metu & tremore salutem operantes 683.

EPISTOLAE ad Colossenses.

1 In ipso condita sunt vniuersa in cælis & in terra 331. 380.
In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare &c. 321. 331.
Pacificans per sanguinem crucis siue quæ in terris &c. 502.

2 In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi &c. 321. 339.
In ipso habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter 330. 339. 347.
Cùm mortui essetis delictis, vos cõuiuificauit &c. 384.
Deleuit quod erat aduersum nos chirographum decreti 385.

PRIMAE ad Timotheum.

2 Vult omnes saluos fieri &c. 166. 167. 502.
Vnus mediator Dei & hominum homo Christus IESVS 266.
6 Solus Deus habet immortalitatem 120.

SECVNDAE ad Timotheum.

2 Deus seipsum negare non potest 109.
Dedit seipsum redemptionẽ pro omnibus 502.
3 Mali homines proficiunt in peius &c. 58.

EPISTOLAE ad Titum.

2 Pro omnibus mortem Christus degustauit 331. 502.
3 Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris &c. 491.

EPISTOLAE ad Hebræos.

1 Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ 32. 33. 77.
Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis &c. 545.
Adorent eum omnes Angeli Dei 279.
2 Minuisti eum paulò minus ab Angelis &c. 271.
Videmus IESVM propter ignominiam passionis gloria &c. 496. 545.
Debuit per omnia fratribus similari &c. 110. 315. 352. 415. 463.
4 Timeamus ne fortè relicta pollicitatione introeundi &c. 687. 700.
Viuus est sermo Dei & efficax &c. 350. 654.
5 In diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum qui possit eum saluum facere à morte &c. 418. 464.
6 Impossibile est eos qui semel illuminati & prolapsi sunt &c. 700.

Impossibile est mentiri Deum 469.
Ad interiora velaminis præcursor pro nobis IESVS introiuit 533.
7 Sempiternum habet sacerdotium, vnde & saluare &c. 533. 554 555.
Talis decebat vt esset nobis Pontifex sanctus, innocens &c. 356. 357. 416. 464.
8 Melioris testamenti mediator est &c. 678.
9 Per proprium sanguinem introiuit &c. 266.
Si enim sanguis hircorum inquinatos sanctificat 385. 442.
Apparet vultui Dei pro nobis 266.
Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata 442.
Nondum propalata erat sanctorum via. 533.
Per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo &c. 387.
10 Tunc dixi, Ecce venio &c. In qua volūtate sanctificati sumus per oblationem corporis IESV Christi semel 395.
Vna enim oblatione consummauit &c. 449.

D. IACOBI.

1 Nemo cùm tentatur, dicat quòd à Domino tentatur, Ipse enim neminem tentat 157.
Concupiscētia cùm conceperit, parit peccatū 163.
Vir duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis 184.
Tentatur vnusquisque à propria concupiscentia 190.
2 Beatus vir qui suffert tentationem, &c. 397.

PRIMAE Petri.

1 Per aspersionem sanguinis Iesu Christi 440.
Non corruptibilibus auro & argento redempti estis &c. sed pretioso sanguine quasi agni immaculati &c. 382. 441.
2 Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum &c. 361.
Cùm malediceretur, non maledicebat &c. 488.
Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum 441. 448. 467.

3 Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis &c. 448.
His qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit 511. 516.
4 Mortuis euangelizatum est, vt iudicentur quidem 511. 516. 576.

PRIMAE Ioannis.

1 Quod manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ &c. 567.
Sanguis IESV Christi emundat nos ab omni peccato 441.
2 Aduocatum habemus apud Patrem IESVM Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris &c. 244. 388. 441. 499. 577.
3 Qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio &c. 175.
4 Omnis Spiritus qui soluit IESVM ex Deo non est, & hic est Antichristus 231. 577.
5 Tres sunt qui testimoniũ dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt 31. 54. 264. 588.

APOCALYPSIS.

1 Ioannes septem Ecclesijs quæ sunt in Asia, &c. 40.
Christus lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. 381. 441. 448.
Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt 262.
3 Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam 700.
4 Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus &c. 44. 102. 114.
5 Dignus es Domine, accipere librum, &c. 441.
7 Lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni 441. 448.
8 Ascendit fumus aromatum de orationibus sanctorum &c. 422.
13 Aperiet os suum in blasphemias contra Deũ, 640.
22 Cecidi ad pedes eius vt adorarem, & dixit: Vide ne feceris &c. 634.
Veni Domine IESV 247.

# INDEX RERVM PRAECIPVARVM.

*Absurda que consequuntur negationem nominis S. Trinitatis & personarum* 28. 29. 30. 42. 50. 57. *que absolutam in rebus necessitatem* 136. 137. 138. *si Deus nulla improborum cura tangatur* 144. 145. *si Deus homines destinatò creat, vt damnet* 166. 167. *si peccatorum sit author* 171. 181. 182. 183. *si Christus homo non sit adorandus aut inuocandus* 234. *si diuina Essentia sit incommunicabilis.* 73. *si Christus impropriè docuerit* 345. 346. *si non sufficienter pro nobis meruerit.* 387.

*Adam quare conditus* 161. *peccati eius causa non Deo, sed diabolo tribuenda* 156. 159.

*Adoratio suprema debetur S. Trinitati* 43. 44. 45. 46. 47. *cur etiam debeatur Christo homini* 237. 238. 239. 240. 241. *eadem debetur etiam Spiritui sancto* 602. 603. *&c.*

*Aduocati officio suo hic viuens functus est Christus* 373. 374. *&c.*

*Anglicanorum ministrorum varia dogmata & ceremoniæ Caluinianis repugnantes* 11. 12. 13. *&c. Regina per eosdem contumelijs affecta* 12. *in Catholicos gesta* 15.

*S. Ambrosius probris vexatur à Caluinianis* 9. *S. Trinitatem adorat* 42. *vnitatem Dei asserit* 60. 87. *præscientiam Dei comprobat* 139.

*S. S. Apostolorum pars genere fuit illustri* 365 *à Caluinianis maledictis asseruntur* 366. 367 *grauissimorum scelerum ab eisdem insimulantur* 631. 632. 633 *&c. illicò vindicantur* 637. 638. 639. *&c. confirmati fuerunt in gratia, sic vt nec viuendo nec docendo mortaliter peccare potuerint* 641. 642. 643 *&c.*

*Arrianismus à Caluinianis multifariam instauratur* 28. 30. 268. 269. 270. 272. *&c. ab eisdem damnatur* 273. 274. 327. 330 *&c.*

*Asinus auis liber Lutheranorum in Sacramentarios.* 558. 559.

*S. Athanasius constantissimus S. Trinitatis propugnator* 31. 32. 33. 46. 56. 69. 70. 86. 202. *vnitatis Dei eximius assertor* 50. 60. *diuinitatis Christi prædicator* 209. 224. *& vnitatis in eodem persona* 239. *&c.*


S. Au-

S. *Augustinus laceratur à Caluinianis* 8. *S. Trinitatem inuocat* 41. *adorat* 46. 47. *pias regulas constituit* 34. *vnitatem Dei asserit* 55. 56. *distinguit inter hypostasim & substantiam* 79. *personas æquales prædicat* 60. 86. *Deum authorem peccatorum non esse constãter defendit* 148. *Filium Patri consubstantialẽ docet* 222. *de officio mediatoris disserit* 267. *&c.*

## B.

*Baptismi forma continet S. Trinitatis professionem, cultum, inuocationem* 31 32. *&c. mirabiles illius virtutes ac effectus* 372.

*Barthasius Poeta Gallus vnicam Dei essentiam impiè triplicat* 49 50. *Serueti impietatem reparat* 51. *tres diuinos Spiritus canit* 58. 59. *damnatus à Patribus* 60. 61. *de subsistentia rectius scribit quàm ministri* 66. *Dei absolutam potentiã confitetur* 521. *Christum primum hominum cælos petiisse negat* 531. *Spiritum sanctum piè inuocat* 607.

*S. Bernardus de proprietatibus, dignitate, & cultu nominis IESV disserit* 253. 254. *&c. de meritis & satisfactione Christi* 388. *de natiuitatis, & laborum eiusdem fructibus* 399. 400. *Christum de cruce pendentem inuocat* 465. 466. *& quomodo derelictus fuerit à Patre piè explicat* 480.

*Bernardinus Ochinus Deum vnum in essentia, & trinum in personis, Satanicum esse blasphemat* 28. 30. *omnipotentiæ diuinæ contradicit* 93.

*Bezani conuitiantur D. Hieronymo* 8. *Trinitatis personas coessentiales fatentur* 36. *veteres hæreses se damnare fingunt* 26. *vnicam Dei essentiam in tres partes nefariè lacerant* 48. *eandẽ absolutè in personis esse negant* 62. *de subsistentia impiè sentiunt* 65. 70. *tres causas in Deo constituunt* 82. *idem inficiantur* 83. *omnipotentiæ detrahunt* 90. 91 93. *eandem fatentur* 116. *Dei simplicem permissionem negant* 146. *eandem admittunt* 147. *peccatorum causam Deo tribuunt* 173. *hoc ipsum damnant* 179. 180. *Christi diuinitatem suis perfectionibus exuunt* 217. *duas in eo personas comminiscuntur.* 228. *idipsum coarguunt* 229. 230. *Christum secundum Deitatem orare scribunt* 262. *humanitatem eius inutilem aiunt* 287. *Caluinum cunctis etiam Prophetis & Apostolis præferunt* 288. *Christi Matrem in partu virginem negant* 290. *à Lutheranis in faciem impietatum multarum coarguuntur & damnantur* 342. 502.

502. 505. 537. 553. 562. *imparitatis Christum insimulant* 351. *vnicum ei modum ac medium communicādi nobis seipsum relinquunt* 368. *omnem crucifixi Christi repræsentationem execrantur* 403. *Christum inter reprobos ac inferis damnatos relegāt* 444. *cum Maometanis facilè conueniunt* 489. *Christum sibi aliquid meruisse aduersus Caluinum confitentur* 494. *descensum eius ad inferos negant* 506 507. *eum in peccata hominum aliquando inquisiturum inficiantur* 570. 571. *idipsum comprobant* 571. *omnes tandem à mortuis resuscitaturum esse negant* 576.

*Bullingerus vnum Deum in tres gradus, formas, & species differentes impiè distrahit* 83. *S. Trinitatem adorādam & inuocandam esse aduersus Caluinianos asserit* 40.

## C.

*Caluiniani in omnem hominum ordinem maledicentissimi* 4. 5. 6. 7. *plurimum dissident ab Angliæ ministris* 21. *à Lutheranis* 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. *S. Trinitatis & personarum nomen sepultum cupiunt* 27. *inuocationem oderunt* 27. *adorationem fastidiunt* 43. *nouis Arrianis viam in Gallias aperiunt* 28. 29. 30. 50. *ad Turcas deficiunt* 42. *vnitatem Dei lacerant* 47. 48. 82. *Essentiam diuinam scribunt esse incōmunicabilem* 71. *veteres hæreses aduersus Trinitatem instaurant* 74. 75. 211. 214. *&c. Absolutam Dei potentiam blasphemant* 89 90 *&c. symbola fidei Christianæ in dubium reuocant* 29. *priora Concilia, sanctorumque Patrum sententiam sequi se repromittunt* 25. 26. 42. *&c. eisdem interea conuitiantur* 7. 8. 9. 10. *Personas diuinas perperam definiunt* 76. 77. *Plinij atheismos palam amplexantur* 94. 108. *Capernaitarum, Sadducæorum, ac Elymæ Magi in Dei potestatem blasphemias reparant* 109. *in multis sunt Ethnicis, imò & Satana deteriores* 109. 110. *Deum reprehensibilem confingunt* 121. 122. 123. *necessitati etiam subijciunt* 124. *Serueti quem combusserunt, impietates sectantur* 48. 51. 74. 198. *prouidentiam super malos extendi negant* 141. 142. *Permissionem diuinam improbant* 146. *eandem asserunt* 147. *Deum autorem omnium peccatorum affirmant* 155. 170. 171. *&c. idipsum coarguunt & damnant* 156. 176. 177. *&c. Lenones se fatentur esse Tibertinorum* 177. *supra sexaginta hæreses tenent aduersus Filium Dei* 196. *confundunt eum cum sapientia ingenita*

genita & voluntate Dei 200. à se Deum esse affirmant 205. idem negant 206. 207. de Patris substantia genitum inficiantur 211. idem admittunt 212. Diuinitatem Christi per se inutilem comminiscuntur 217. idipsum damnant 217 218. ei aliam à Patre substantiam tribuunt 219. hoc ipsum reprobant 220. 221. 222. aliam à Patre causam dicunt 223. illud euarguunt 224. 225. 226. duas in Christo personas constituũt 228. idem refelluntur 229. 230. Ipsum cum carne adorandum esse nolunt 233 234. illud ipsum comprobant 236. 237. 238 &c. inuocandum prohibent 242. ijdem suadent 242. 243. 244. nomen IESV venerandum negant 248. affirmant 249. 250. propria virtute resurrexisse inficiantur 254. admittunt 255. 256. cum Arrianis sentiunt 268. 269. 270. 271. 272. ab his dissentiunt 273. 274. Christũ sua virtute exuunt 295. induunt 296. 297. 298. animam eius ab initio glorioſam fuisse nolunt 301. volunt 302. 303. 304 305. plenitudinem gratiæ detrahũt 313. tribuunt 314. 315. 316. ignorantem fuisse confingunt 317. 318. hoc ipsum pernegant 322. 323. notitiam postremi diei eidem adimunt 327. fidei quoque offerentium paralyticum 332. item arboris sici 335. tribuunt in docendo locutiones improprias & absurdas 337. probabiles coniecturas 343. responsiones parum appositas & intempestiuas 343. duriores metaphoras, non quadrantes partitiones, superuacuas illationes, parum solidas refutationes, & infirmas ratiocinationes 344. temperantiæ exempla cum nobis reliquisse pernegant 359. Apostolos habent pro quisquilijs & fecibus 364. Christum accusant mollitiæ animi & castigandorum desideriorum 413. mortem eius corpoream nihil nobis profuisse docent 435. hoc ipsum refellunt 436. maledictum, reprobatum, & damnatum autumant 443. quod illicò confutatur 449. 450. &c. multorum & propriorum scelerum reum confingunt 462. refelluntur 468. 469. à Patre derelictum 472. contrarium ostẽditur 473. 474. &c. desperationis voces emisisse 481. 482. oppositum euincitur 483. 484. 485. &c. sibi nihil meruisse contendunt 490. hoc ipsum concedunt 494. 495. pro vniuersis hominibus mortuum abnegant 498. idem affirmant 499. clauso sepulcro resurrexisse nolunt 518. volunt 519. clausis ianuis ad discipulos intrasse inficiantur 523. confitentur 524. certum cælorũ locum ascendẽdo petijsse negant 536. idem asserunt 537. 538. 539. &c. sessionem ad dexterã Patris deprauant 544. eandem profitentur 548. 549.

inter-

*intercessionem apud Patrem imminuunt* 552.553. *Apparitiones veras subsannant* 558. *confutantur* 560.562. &c. *venturum ad iudicium cum cicatricibus reprobant* 565. *omnes sua virtute suscitaturum esse abnuunt* 576. 577. *quadraginta & sex erroribus aduersus Spiritus sancti maiestatem, & veram eius officij detinentur* 582. 587. 591. &c. *S. Petrum accusant schismatis, scandali dati, oppressæ libertatis Christianæ, obrutæ gratiæ Christi, prauæ simulationis, ac deformati Euangelij* 631. 632.633. *S. Iacobum stoliditatis & superstitionis* 634. *S. Ioannem idolatriæ & apostasiæ* 634. 635. *Paulum peruersæ confidentiæ, temeritatis, epicureismi &c.* 635. *Euangelistas deprauationis Prophetiarum &c.* 636 637. *quæ omnia continuò refelluntur* 637.638.639. &c. *verbũ Dei & cuncta Sacramenta omni efficacia destituunt* 649. *hoc idem confutant & damnant* 650. 651. 655. *Ecclesiam Catholicam ex orbe defeciſſe prædicant* 639. *reuocant* 640. 641. &c. *certos se prædestinationis ac iustificationis propriæ seipsos iactitant* 682. *abnegant* 683. 684. *fidem aut gratiam Dei semel acceptam non posse amitti scribunt* 697. *reprobant* 698. *gratiam Spiritus sancti cum peccato mortali subsistere contendunt* 703. 704. *regnum cælorum non baptizatis repromittunt* 707. 708.

*Christus venit vt peccata deleret & damnaret* 191. 192. *vnica persona in duplici substantia* 230. 231. &c. *cum carne sua adorandus & inuocandus* 235. 243. &c. *propria virtute resurrexit* 255. 256. &c. *erat tantùm iuxta humanitatem* 263. *primi hostes diuinitatis eius* 275. *multis modis ea comprobatur* 276.277. &c. *secundum animam glorioſus ab initio conceptionis* 302. 303. &c. *ideo fidei ac spei expers* 309. 310. *summa gratia donatus* 314. 315. *omniscius* 319. 320. 328. *nihil impropriè aut absurdè locutus* 337. 338. *de multis à Caluinianis accusatur* 343. &c. *omnis libidinis fomite caruit* 356. 357. &c. *sufficientiſsimè pro nobis meruit & satisfecit* 381. 382. &c. *vnica sanguinis eius gutta satis fuiſſet* 389. &c. *à primo instanti conceptionis suæ, ac deinceps semper pro nobis meruit* 392. &c. *mortis eius multiplices fructus* 404.405.406. *multorũ scelerum à Caluinianis accusatur* 412. 413. *quæ mox refelluntur* 413.414.415. *preces eius fuerunt sanctiſsimæ* 421. *semper præstitit se mundi Saluatorem* 423. 424. &c. *nunquam opus redemptionis detrectauit* 426.427. &c. *non frustra ductus eſt ad Annam* 431. 432. *corporea morte sua nos redemit*

436.437. *supplicia peccatis debita æquualenter persoluit* 445. 446. &c. *summa passionum eius* 453. 454. *nunquam de propria salute dubitauit* 459. 460. &c. *nullius vnquam sceleris conscius* 462. 463. *non sibi persuasit odium se Patri incurrisse* 469. &c. *nunquam desperauit* 483. &c. *quædam sibi non meruit* 491. *quædam verò meruit* 492. *preces fudit multiplices* 503 504. *verè descendit ad inferos, & patrum animas liberauit* 509. 510. &c. *clauso sepulcro surrexit* 518. 519. *clausis ianuis intrauit ad discipulos* 523. 524. &c. *integer resurrexit* 529. 530. *primus omnium hominum ascendit in cælos* 531. 532. *idque sine horum fractione* 541. *in certum illorum locum* 537. 538. *quomodo sedet in dextera Patris* 544. *quo pacto pro nobis intercedit* 554. 555. &c. *postea in terris apparuit* 560. &c. *cum cicatricibus venturus est ad iudicium* 565. *in peccata hominum fidelium inquiret* 571. 572. *bonos & malos suscitabit* 577. 578.

*S. Clemens Rom. calumnijs vexatur* 10. *à Paulo laudatur* 34. *S. Trinitatem asserit, & Dei vnitatem prædicat* 53. *Christum omniscientem* 332.

*Consubstantialis vocis origo* 33.

*Conuitia in sanctos à Caluinianis pronunciata Deus inulta esse non permittit* 10. 11.

*Colloquium Vormatiense* 25. *Malbrunense* 25. 91. 519. 526. 536. 550. 558. *Parisiense* 92. 115. 119. *Pyßiacense* 93. *Mompelgartense* 342. 403. 502. 503. 537. 553. 562.

*Corpus Christi diuina vi in multis locis esse potest* 92. 115. 116. *plurimum à corporibus nostris differt* 111.

*Creationis hominum scopus ac finis* 165. 166. &c.

*Cyprianus martyr conuitijs petitur à Caluinianis* 9.

## D.

*Descensus Christi ad inferos per Caluinianos deletur* 506. 507. *à Rufino & Erasmo suspectus redditur* 507. 508. *pro fabula ab hæreticis reputatur* 508. *confunditur cum Passione* 508. *probatur ex symbolis, scripturis, patribus, Iudæis, & hæreticis* 509. 510. 511. 512. 513. &c.

*Desperatio non potuit in Christū cadere* 482. 483. 484. &c. *peccatum est omnium grauissimum ac vltimum* 485.

*Deus absolutè nominatus tres simul personas complectitur* 44. 84. *plurimis de causis summus ei cultus debetur* 45. *vnicus est,*

*um est, & plures non possunt esse* 52. 53. 54. *Omnipotens esse comprobatur* 95. 96. 97. *&c. unus spiritus, non triplex* 59. 60. *prorsus vera* 115. *immutabilis* 119. 120. *summè liber ad extra* 125. 126. *reprehensibilis* 121. *non prædestinat ad peccandum* 160. 161. *improbos ordinat ad pœnam, non ad culpam* 162. *non creat & damnet* 164. *non nobis, sed promissis suis obligatur* 390. 391.

*Dionysius Areopagita probris afficitur* 10. *S. Trinitatem asserit* 34. 42. 44.

E.

*Ecclesia Catholica visibilis* 661. *nunquam è terris defecit* 662. 663 664. 665 667. *persecutionibus creuit* 664. *toto orbe diffusa est* 665. 666. *est inuictum regnum Christi* 666. *oppugnari potest, expugnari non potest* 668. 669. *absurda plurima sequerentur si posset errare* 671. 672. 673. 674. *&c. est sponsa Christi & regnum cælorum* 676. 677. 681.

*Essentia Diuina simplex, vna, & impartibilis* 47. 48. 49. *etc. in tribus personis absolutè consideranda & credenda* 62. 63. 64 *&c. subsistit in personis, non personæ in ipsa.* 66. 67. 68. 69. *&c. personis ex se communicabilis* 71. *nomen vnde ortum* 33.

*Electio rerum homini post peccatum relicta* 134. 135.

F.

*Falco emissius in cuculum liber à Sacramentarijs editus* 559.

*Falsi Prophetæ non mittuntur à Deo* 186. 187.

*Fœminæ à ciuilibus officijs per leges remotæ.* 15.

*Fides & spes diuini cultus species* 45. *necessariæ ad iustitiam & salutem* 371. *solæ non sufficiũt* 370. 371. 372. *Christo non fuerunt necessariæ* 301. 302. 303. 304. 305.

*Filij Dei persona non est simplex proprietas* 197. *nec sapientia ingenita, nec voluntas Dei* 201. 202. 203. 204. *essentia à Patre accepta* 106. 107. 108. *&c. de Patris substantia est genitus* 115. 116. *&c. Deitas vtilissima* 218. 219. *non est alia à Patre substantia* 220. 221. 222. *& cæt. non secunda rerum causa* 225. 226. *&c.*

*S. Fulgentius simplicem præscientiam asserit* 153. 154. *scitè disserit de prædestinatione* 162. *Filium de Patris substantia genitum probat* 215. 216. *Christum nunquam à Patre derelictum* 47. 475. *Spiritus sancti Diuinitatem solidè confirmat*

588. 589. *soluit obiectiones Arrianorum & Caluinianorum* 215. 216.

## G.

S. *Gregorius Nazianzenus contumelijs affectus à Caluinianis* 9. *de S. Trinitate præclarè loquitur* 2. *vnitatem Dei asserit* 57. *sanguinis Christi virtutem* 57.

*S. Gregorius Papa impiè traducitur ab hæreticis* 10.

## H.

HAEretici, *vide titulos Bezani, Caluiniani.*

*S. Hilarius sanctiss. Trinitatis in vnitate essentiæ eximius assertor* 32. 62. *Christum omniscientem scripturis probat* 331.

*S. Hieronymus gloriatur de odio hæreticorum in Præfat. ab his vexatur probris* 7. 8. *Trinitatis mysterium asserit* 80. 81. *libertatem arbitrij confirmat* 119. *vnicam in Christo personam* 232. *nomen IESV venerandum* 249. *Integritatem perpetuam B. Deiparæ* 294. *Omniscientiam Christi* 308. *Ieiunium quadragesimale* 363. *Christum nunquam à Patre relictum* 479. *Limbum patrum confirmat* 534. *Ecclesiam superari non posse* 664. 669. *præsumptionem hæreticam de propria electione & iustitia refellit* 689 700.

## I.

S. *Iacobus Apost. à Caluinianis accusatur stoliditatis, vltioſi ac superstitioſi zeli* 634.

*Ieiunium quadragesimale continet imitationem Domini, & à Patribus commendatur* 362 363. 364.

*IESV nomen ab hæreticis traducitur* 248. *à Iudæis contemnitur* 249. *ab Angelis nunciatur* 249. *pijs gratissimũ* 250. *dæmonibus terribile* 251. *Deo Patri acceptissimum* 251. 253. *à cunctis verendum & honorandum* 252. *S. Bernardo suauissimum* 253. 254.

*S. Ioannes Euang. à Caluinianis falsò arguitur idololatriæ & apostasiæ* 634. 635. *improprietatis sermonum* 634.

*Ioan. Oecolamp. fatetur Angelos adorare S. Trinitatẽ* 44.

*S. Irenæus Martyr traducitur à Caluinianis* 9. *Ecclesiæ Ro. primatum commendat. Præfat. de veteribus Gnosticis* 75. *eos damnat qui Christo ignorantiam tribuunt* 325. 330. *vim magnam tribuit Eucharistiæ* 658. *successores Apostolorum perfectos viros fuisse docet* 677.

*Iudam proditorem Melanthon iustificat* 171. *peccata eius Satanæ, non Deo sunt tribuenda* 182. 189.

*S. Iustinus Martyr Hypostaseos & Trinitatis vocibus vtitur.* 32. 35. *Idem de his constanter propugnat* 35. 57. 76. *Deique vocatem* 53. 57. *personæ rationem designat* 200. *impios iudicat ignorantiam Christo tribuentes* 330. 336. *Spiritū sanctū adorat* 604. *calumnijs olim vexatos Christianos refert* 638.

## L.

*Lambertus Danæus inuocationem sanctissimæ Trinitatis damnat* 37. *contra veram Filij Dei generationem docet* 206. *Hominem Christum adorare & inuocare prohibet* 233. 242.

*Libertas Dei in operibus ad extra* 125. 126. 227. *&c.*

*Liberum est hominum arbitrium* 131. 132. 133. *&c.*

*Libertini à parentibus suis graphicè depicti* 176. 177. *horum lenones se fuisse fatentur Caluinus & Bucerus* 177.

*Limbus veterum Patrum ab hæreticis negatur* 508. *à Catholicis constanter & solidè probatur* 509. 510. 511. *&c.* 516. 517.

*Lutheri de Sacramentarijs iudicium* 20. *de Trinitate* 84. *de perpetua virginitate B. Deiparæ* 292. *de crucis consignatione* 403. *de descensu Christi ad inferos* 513. *de exitu Christi è sepulcro, & ingressu ad discipulos* 526. *de Christi sessione in dextera Patris* 550.

*Lutherani ministri Caluinianos oppugnantes* 16. 17. 18. 19. *in plurimis & grauissimis fidei Christianæ ab his dissident* 20. 21. 22. *rectius sentiunt de omnipotentia Dei* 90. 91. *de bonitate eius* 174. 175. *soluunt obiectiones illorum contra bonitatem Dei* 193. 194. *melius docent de Filij generatione* 201. *de merito & satisfactione Christi* 377. *colloquijs publicis Bezam refellunt* 403. *consensum cum Alcoranistis exprobrāt* 489. *Christi per sepulcrum clausum, & ingressum per occlusas fores comprobant* 519. *de sessione Christi ad dexteram Patris* 550. 551. *falsè illos deridet* 558. 559. *de Christi apparitione in terris* 561. 562. *de Spiritus sancti emanatione* 584. *de apostasia Simonis Magi* 693. *de passionibus Christi* 434. *de gratiæ diuinæ per peccatum amissione* 703.

## M.

S. MARIA Virgo penitus illæsa Christum peperit 291. signata fuit per montem ex quo abscissus est lapis sine manibus, & portam clausam 292. Heluidius hostis eius damnatus 293. integritas eius ad fidem pertinet, & scripturis probatur 292. 293. Christum in assumptione obiium habuit 563. 564.

Marotus, Bezæ iudicio, etiam vsque ad mortem vir impius fuit 142.

Martinus Bucerus Deum finxit authorem peccatorum 170. 171. Libertinorum fuit leno 177. efficaciam meriti Christi aduersus Caluinianos asseruit 384.

Malum culpæ aliud à malo pœnæ: hoc enim Deum authorem habet, non illud 188.

Maometani & Caluiniani plurimùm inter se conueniunt 27. 28. 42. 137. 228. 272. 296. 423. 489.

Mediatoris officio Christus strenuè functus est 266. 373. in quantum homo, & non vt Deus 267 268.

Memoria Christi crucifixi vtilissima 406. 407. 408. &c.

Merita Christi coram Deo Patre sufficientissima 377. 378. 379. &c. horũ Apostolicæ amplificationes 381. 382. 383. 384. etc. quædam sibi non meruit 491. quædam sibi meruit 492.

Michael Seruetius iustè arsit Genevæ 35. triplicem finxit Dei essentiam 51. Filij Dei personam veram negauit 74. 197. veniam à Christo nunquam postulare voluit 236. 243. Verbum & Spiritum sanctum confudit 595. 621. ventum volatilem eum appellabat 621.

C. Molinæus matrem Christi in partu virginem permansisse negat 290. Christo communem ignorantiam tribuit 318. meritis eius plurimum detrahit 391. à Caluinianis malè acceptus 392.

## O.

Obiectiones hæreticorum contra Dei vnitatem 59. potentiam 110. bonitatem 193. Christi omniscientiam 326. merita 398. fructum mortis eius 451. 452. &c. innocentiam 467. 468. Ecclesiæ Catholicæ perennitatem soluuntur 669.

Orationes piæ ad Deum 1. 3. sanctam Trinitatem 113. 195. Augustini

*gustini ad Christum hominem 247.400.504.579. ad Spiritum sanctum 717.*

*Omnipotentia Dei asseritur 89.90.96.97. &c. 108.109. &c.*

P.

*Patres veteres controuersiarum iudices admittuntur ab hæreticis 25.26.*

*Pharao an mutari potuerit 138. non prædestinatus ad peccatum 164. quo sensu dicitur, datus in reprobum sensum 194.195.*

*Paulus quantum mundo profuerit 289. à Caluinianis impiè accusatur peruersæ confidentiæ, temeritatis, contẽptus Dei, voluptatum carnalium, ac epicureismi 635.*

*S. Petrus coarguitur schismatis, grauissimi scandali, oppressæ libertatis Euangelicæ, & sepultæ gratiæ Christi, &c. 631. 632.633. illicò vindicatur 636.637.638.*

*Petrus Viretus minister Caluinianus pro omnipotẽtia Dei pugnat contra Caluinianos 97. 98. pro Filij generatione 211. 212. pro eius consubstantialitate 221.*

*Petrus Vermilius, qui & martyr dicitur, omnipotentiæ diuinæ detrahit 91.92.108. de authore peccatorum Caluinianis contradicit 175. perpetuam Matris Christi virginitatem negat 290. manifestus impostor 291. preces Christi pro nobis contra Caluinum admittit 555.*

*Petrus Caroli Næocomensis & Lausannæ minister, à Calainianis deficit 27. eorum contra Filij Dei generationem errores refellit 203.206.208. 211. & Spiritus sancti Diuinitatem confirmat 622.*

*Perseuerantiæ donum à fide & gratia distinctum est 692. 693.694.*

*Personæ vox ex scripturis sumpta 32. 33. eius recta finitio 72. 75.79.200. à Caluinianis deprauata 73. 76. 77. 197. 198. 199. vnica in Christo 230.231. &c.*

*Personæ diuinæ non subsistunt in essentia, sed essentia in ipsis 64.65.66.*

*Permissio diuina asseritur 146. 149. 150. ea tantùm peccata committuntur 146.147.148.149.*

*Præscientia simplex de futuris peccatis à Caluin. negatur 151. ab eisdem asseritur 151. ex scripturis & Patribus probatur 152.153.154. &c.*

*Prædestinatio nullorum est ad culpam* 155. 160. 161. *quorundam ad pœnam* 162.163.

*Prouidentia Dei etiam improbi reguntur & asſiguntur* 142. 143.144.145.

S.

*Spiritus ſancti hoſtes plurimi* 581.582. *Diuinitatem habet à Patre & Filio per æternam emanationem* 583. *&c. conſubſtantialis vtrique* 587. *vnica rē.* 582. *ſa* 591. *perſona* 597. 598. 599. *in eo Pater adoratur* 601. *&c.* 603. *inuocandus* 606.607. *omnipotens & omniſciens* 611. *&c. author boni, non mali* 614. 615. *&c. propriè Deus eſt* 623.624.625. *&c. Apoſtolos & Euangeliſtas in gratia ſua confirmauit* 638.639. 640. *&c. per verbum Dei & Sacramenta efficaciter operatur* 650. 651 *&c. Eccleſiam perpetuò ſeruat & docet* 662. 663. 664. *&c.* 671.672. *&c. permittit quoſdam à gratia ſua excidere* 692. 693. 694. *etc.* 697. 698. *&c non ſtat cum peccato* 703 704. 705 *&c. non ſanctificat paruulos ex vteris matrum* 707. 708. *&c.*

T.

*Trinitatis vox è ſcripturis deducta* 31. *credenda & confitenda* 27. 28. 29. *&c. inuocanda* 37. 38. 39. 40. *adoranda* 43. 44. 45. *eius vnica & ſimplex eſſentia* 47. 48. 49 59. *&c. vnicum rerum principium* 82. 83. 84. *&c. eadem operatio ad extra* 84. 85. 86. *&c. quibuſdam Philoſophis & Sybillis cognita* 36. *ab Angelis colitur* 43. 44. *vnicus Spiritus, non triplex* 59. 60.

V.

*Veritas Deo intimè ac eſſentialiter competit* 116. *nec poteſt ab eius verbis aut promiſſis vnquam abeſſe* 117. 118.

*Voluntas Dei non tollit libertatem arbitrij, aut contingētiam rerum* 131. 132. 133. 134 135. *&c.*

## ERRATA SIC EMENDATO.

Pag. 27. lin. 12. poſt, abſtinet, addendum: exceptis aliquot Inſtitut. lib. 1. c. 13. locis. p. 42. l. 24. quidem. p 43. l. 32. ſed validis. p. 51. in marg. Ioan. 14. p. 70. l. 25. perſona. p. 73. l. 23. proprieq; 5. p. 93. l. 32. ac. p. 128. l. 6. deſertis p. 141. l. 28. pariāt. p. 196. l. 34. plus ſexaginta. p. 215. l. 2. cōſentientibus. p. 219. l. 17. pro, 77. lege, 76. ſicq; ſequentes numeros corrige vſq; ad 82. p. 332. l. 29. ſapientiſſimo. p. 412. l. vlt. aliquē. p. 434. l. 15 hanc. p. 437. l. 33. Eiuſdem ſui. p. 482. l. 30. veſtrūm.

FINIS.